CLAUDIUS

CLAUDIANUS

87C56
ID 59

87C56 ID59

Columbia University
in the City of New York

THE LIBRARIES

[redacted]

Digitized by Google

CL.
CLAUDIANI
QUAE EXSTANT
VARIETATE LECTIONIS
ET PERPETUA ADNOTATIONE
ILLUSTRATA

A

IO. MATTHIA GESNERO

ACCEDIT

INDEX UBERRIMUS

LIPSIAE

IN OFFICINA FRITSCHIA

A. C. CIↃIↃCCLVIII

Digitized by Google

87 C 56
I D 59

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

AUGUSTO WILHELMO DE SCHWICHELDT

ET

BURCH. CHRISTIANO DE BEHR

GEORGII SECUNDI IN SANCTO CONSILIO
QUO SUAM GERMANIAM REGIT
AMICIS

IO. MATTHIAS GESNERUS

FELICITATEM

Fero vobis munus, INDULGENTISSIMI DOMINI quod ne contemtibile & indignum Veſtra perſona judicetis, minime metuo, car-

 mina

OCT 16 1899
433338

mina, quæ aurea eodem jure, quo antiqua illa Pythagoræorum præcepta quis dixerit, propter quæ auctorem ſtatuæ honore, & prægloriofiſſimi poëtæ *titulo, ornare Imperatores Arcadius & Honorius ſe dignum judicarunt. Neque illud vereor, ne iis offendamini, quæ a me vel ornamenta habet, vel intelligendi præſidia, Claudianus. Sed tamen eſt cauſa magis propria, quæ facit, ut magna cum fiducia veniam ad Vos cum libro, qui non nullo mihi labore conſtitit, cum dedicatione, qua non arrepere Veſtram ad gratiam coner, cujus me ſecurum olim*

eſſe

eſſe Veſtra juſſerit humanitas; non laudibus Vos Veſtris obtundere ſuſtineam, qui amari tantum poſtuletis a nobis, gnari, glorioſius Vos laudari ab illis, qui nihil a Vobis vel ſperant, vel metuunt, certi, admirationi atque exemplo Vos futuros poſteris. Volo ego, D O M I N I, *hac illuſtriſſimorum nominum Veſtrorum præſcriptione, hac allocutione, partim uſurpare jus aliquod meum, quod tribuere mihi videri poteſt duplex duorum Collegiorum, quibus adſcribi Vos paſſi eſtis, neceſſitudo; partim honorem habere ipſis Collegiis, quorum alterius inter ſodales primos*

eſſe juſſus ſum, alterius velut patrem me poſſum ferre, illius, quod te ILLUSTRISSIME BEHRI Seniorem, functum eo munere, etiam in iſto faſtigio, quoties ſe dedit occaſio, læta pietate ſuſpicit. Honori ſunt profecto & Regiæ Scientiarum Societati, & alteri Teutonicæ, Illuſtriſſima nomina Veſtra: honori eſt in univerſum literis, tales ac tantos viros non dedignari ſodalitatem hominum, qui colendis iis ætatem ſuam addixere. Ecquis enim temere contemnere audeat illos homines, modo non ab alia parte ipſi ſe ad vilitatem abjiciant, quorum

ſodales

ſodales eſſe non dedignentur viri a maximo natalium ſplendore, a Sapientiſſimi Regis amicitia, quam ſummis in rem publicam meritis, & magnifica munerum legationumque adminiſtratione, conſecuti ſunt ac tuentur, excellentiſſimi. Quantum enim ad nos, quos Collegii honore dignamini, Veſtra ſe, ILLUSTRISSIMI DOMINI demittit humanitas, tantum nos excitare eadem, & Veſtro admovere faſtigio ad fiduciam quandam, & animi ſe non contemnentis magnitudinem, videmini.

Hanc

Hanc laudum Veſtrarum, DOMINI, partem exſequi mihi luberet, & eadem ſtudioſos literarum juvenes, quibus quidquid eſt in me facultatis debeo, ad cultum hinc ſapientiæ, lingua patria recte utentis, hinc earum literarum, quæ, quo magis ultra captum ſe communem extollunt, eo fere negliguntur ſecurius, Veſtris exemplis incitare, cui rei vel ſolus Fl. Mallii Theodori Conſulatus, a Claudiano celebratus, quantam ultro porrigeret, quam aptam Veſtris perſonis, materiem! Sed verendum eſt, ne ſenili cuidam jactantiæ, quidquid præter ea, quæ jam dicta

ſunt,

ſunt, adjiciam, adſcribatur. Et quid opus eſt plura de Vobis dicere apud adoleſcentes, quibus haud eſt cornea fibra? quid apud alios ſatis eſt?

Itaque vota potius atque omina habeat, quod ſupereſt hujus epiſtolæ, ut quæ Auguſtiſſimo Regi noſtro, quæ Patriæ, quæ bonarum literarum cupidis, Veſtra virtute atque opera adhuc cæleſtis providentia tribuit, eorum fructus porro uberrimos exſtare velit, Vosque, INDULGENTISSIMI DOMINI, ut jam magna exempla ad imitandum generoſæ adoleſcentiæ ſolemus

pro-

proponere, ita admirandæ felicitatis, ſummam comitantis virtutem, documenta futuris ſæculis conſtituat. Scribeb. Kal. Majis cIↃIↃCCLIX *in Academia Georgia Auguſta.*

Digitized by Google

IN CLAUDIANUM

A SE ILLUSTRATUM

IO. MATTHI. GESNERI

PROLEGOMENA

Cum plura ſint, de quibus in ipſo hujus munuſculi noſtri ingreſſu monendi lectores videantur, placuit eorum hic velut breviarium quoddam ante omnia proponere.

I De patria, ætate, vita Claudiani.

II An Chriſtianus fuerit?

III De eruditione Claudiani.

IV De ingenio & facultate poëtica.

V Lectione dignus eſt propter τὸ ἠθικὸν, nec indignus ob ſtilum.

VI Occaſio hujus editionis & conſilium,
VII *Primo* in varietate lectionis indicanda.
VIII Unde illa in Claudiano orta ſit?
IX *Deinde* in lectione noſtra conſtituenda.
X De annotatione reliqua ſ. notis.
XI Catalogus editionum omnium, quarum mentionem auctores boni faciunt:
XII De illis, quibus hic uſus ſum.
XIII Index carminum ſ. opuſculorum Claudiani.
XIV Comparatio ordinis, quem ſequuntur alii.
XV Statuæ Claudiano poſitæ inſcriptio.
XVI An fuerit Comes Orientis?
XVII Duæ Inſcriptiones de Stilichone.
XVIII Genealogia familiæ Theodoſii.

I Jam

PROLEGOMENA

I

Iam de patria, ætate, ac vita Claudii Claudiani ea modo breviter indicabimus, quæ ſuis ipſe carminibus intexuit, cum reliqua fere recentiorum commenta ſint, & fundum ſolidum non habeant. Alexandrinum fuiſſe, diſerte Suidas tradidit, & ipſe adeo, ſi recte intelligo 39, 20 coll. 57; & 43, 3 ubi ſuum Nilum vocat. Fabulam de Hiſpania patria refellit Nic. Antonius Bibl. Hiſpa. Vet. 3, 5. 114 p. 200. Reliqua vix digna commemoratu *), niſi ut appareat, magnam fuiſſe de illo viro opinionem, de quo non minus fere, quam de Homeri patria certamen eſſet. Non inelegans eſt Claverii ſuſpicio, Patrem noſtri fuiſſe illum Claudianum, de quo Eunapius in Maximo p. 67 extr. *Ἀδελφὰς εἶχε γνησίας, ἃς ἐκώλυεν ἀναγ πρώτας αὐτὸς ὢν, Κλαυδιανόν τε, τὸν καταλαβόντα* **) *τὴν Ἀλεξανδρείαν κἀκεῖ παιδεύσαντα, καὶ Νυμφιδιανὸν, τὸν ἐν Σμύρνῃ περιφανῶς σοφιστεύσαντα.* Non imæ ſortis hominem, cognatum forte Hadriani Præfecti Prætorii, colligas ex 39, 55. Mature ſe in Stilichonis clientelam contulit, & quinque annis, qui primum illius conſulatum præceſſere, illum comitatus eſſe videtur. Mihi quidem illud liquet ex 23, 23 Hinc illa in Stilichonem ſtudia, hinc vehementia in Rufinum & Eutropium, hinc Orientis & Conſtantinopoleos invidia. *Tribunum* fuiſſe, ex Inſcriptione conſtat, quam n. XI repræſentabimus: ſed cujus generis, non dixerim. Militaſſe,

 arma

*) V. G. Quod Florentinum ſuſpicati ſunt nulla forte alia ratione adducti, quam quod librum ſecundum de Raptu c. 34 inſcripſit Florentino.

**) Faſtu quodam Sophiſtico de fama qualicunque & plauſu ſcholaſtico ſic loquitur, ut de capta urbe: hoc dicit Alexandream venit Claudianus, ſcholam aperuit, concurſus juventutis ad eum facti ſunt.

arma tractaſſe non ſatis tuto colligitur ex 39, 51 & 52: poteſt enim ibi etiam aulica militia intelligi: multo minus ex 16, 5, ut ibi monui: aut ex 30, 8 coll. v. 3, ubi Palladium *ſui per aulam ordinis conſortem* vocat. Neque video, unde probetur, interfuiſſe illum prælio contra Eugenium; cum potuerit quæ ſcripſit de illo 7, 89 ex aliorum relatione accepiſſe. Quæ calamitas fuerit quam illatam ſibi ab Hadriano Præf. Præt. in ſcripta ad illum epiſtola n. 59 queritur, propter linguæ vel ſtili, ut videtur, intemperantiam, non dixerim. Non ſatis illum ſibi a mordacitate etiam in magnos viros peperciſſe, docet Epigr. 24 n. 74 quæ ſatirica videtur deprecatio. Magis luculentum vero habemus teſtimonium, Epigramma 30 n. 80, quo ipſo forte iram Hadriani, & alterius magni Patroni ſui, Theodori Mallii, meruit. Ab illo quidem extrema metuiſſe vel cum cauſa, vel in æſtu illo animi, qui decet talem poëtam, ipſe finis laudatæ epiſtolæ indicat. Contigiſſe illud credibile eſt vel juveni, ante quam aulæ Honorianæ carus, & Stilichonis præſertim umbone tutus eſſet; vel poſt calamitatem Stilichonis, quam ſententiam ornat L. Cruſius *) Ceterum aulæ debuit matrimonium, illuſtre, ut videtur ac dives, quo nomine Serenæ Stilichonis uxori gratias agit n. 40. Illas nuptias Alexandreæ celebratas eſſe, intelligimus e v. 55: quo tempore jam gener Serenæ erat Honorius v. 50. Ab eo forte tempore tanto plus ſibi ſumſit in amicitiis magnorum hominum, ut Olybrii, Probini, Gennadii, quos in epiſtolis ad illos ſcriptis n. 41. 42. 43 ſatis tractat familiariter. Nam quod in Rufinum & Eutropium, poſt hujus calamitatem & illius mortem, ita acriter invectus eſt, ut ne Arcadio quidem ipſi ſatis parceret, illud in Stilichonis gratiam fecit, cui ita addictum deditumque apparet, ut ad hiſtoriæ fidem ac dicendum teſtimonium illum admittere in his perſonis, eorumque conſiliis & factis, vix tuto queamus. Nec ſatis nobis aliunde notus eſt viri animus, ut conjecturam facere liceat, quid facturus fuiſſet, (modo ſuperſtes

*) In pulchro opere *The Lives of the Roman Poets* Vol. 2 p. 161 ubi Hadrianum ponit ſucceſſiſſe Stilichoni: & conveniunt hujus tempora. Sed conciliarine poterit etiam *lubrica ætas* poëtæ v. 5? aut ſi de antiqua juvenis offenſione ſermo eſt, potuit hoc omittere in deprecatione Claudianus? Sed non ſatis mihi liquere de Claudiani temporibus, & ſatis poſt Stilichonis calamitatem, jam faſſus ſum ad 31, 67 & 93.

ſtes tum fuerit, de quo certi nihil conſtat *) ſi juſſus eſſet tertium opus in Stilichonem ſcribere ſimile his, quæ in Rufinum & Eutropium dederat, aut iis, quæ Rutilius Numatianus in Stilichonem cecinit itin. 2, 41 ſq. quæque damus ad horum Prolegomenon n. XVII, 2. Tale ſi carmen haberemus noſtri Poëtæ, minor forte de religione viri diſſenſus eſſet **) Et ſic tamen

II. An Chriſtianus fuerit Claudianus? mirum pene eſt diſputari, poſt diſerta illa Auguſtini & Oroſii teſtimonia, quæ laudamus ad 7, 96: poſt precationem, quam tribuit 3, 336 Stilichoni: poſt illud 18, 210 *Non pudet heu Superi?* poſt illam vaticiniorum irriſionem 18, 314. Sed ſcripſit carmen Paſchale n. 95 & Græca illa n. 96 & 97? Sed merito Paſchale carmen illi jam abjudicavit Ge. Fabricius: merito de bona parte minorum, his præſertim, quae damus a numero inde 79, pronunciarunt viri docti, & acerrimus judex Heinſius, aliena videri. Primus editor Barnabas Celſanus plane nihil minorum carminum ſuis in libris habuit. Et ſi quis pertendat, Chriſtianum fuiſſe: dicemus, ex eo illum genere fuiſſe, in quo fuit Auſonius, cujus rationem graphice deſcribit Barth. ad Stat. To. 2 p. 921: vel de quo apud Vopiſcum Saturnino c. 8 Hadrianus Auguſtus ſcribit, *Aegyptum totam* (patriam noſtri poëtæ) *didici levem, pendulam, — illi, qui Serapin colunt, Chriſtiani ſunt, & devoti ſunt Serapi, qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt. Nemo illic Archiſynagogus Iudæorum, nemo Samarites, nemo Chriſtianorum Presbyter, non Mathematicus, non aruſpex, non aliptes. Ipſe ille Patriarcha, cum Aegyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Chriſtum.* Forte pars eruditionis Claudiani fuit notitia rerum Chriſtianarum, jactare illam & oſtentare, pars ingenii.

*) Manifeſtus quidem error eſt in Chronico Proſperi, ubi Probino & Olybrio COSS. mortuus eſſe refertur. Rurſus nec ſatis illud certum eſt, quod ex Evagrii Hiſt. Eccl. 1, 19 p. 276 acute colligebat Tillemontius in Honorio artic. 66. At Evagrius, Theodoſii II temporibus καὶ Κλαυδιανὸν καὶ Κῦρον τοὺς ποιητὰς ἀναδειχθῆναι, h. e. ut Valeſius reddit, *floruiſſe*. Tillemontius igitur ſuſpicatur, poſt caſum Stilichonis in Orientem conceſſiſſe noſtrum, & ibi patriæ linguæ poëſi ſub Theodoſii, qui Arcadio ſucceſſerat, imperio effloruiſſe. Poteſt fieri, probabile eſt, & pulchre congruit cum Cruſii, de qua modo dictum eſt, ſententia.

**) Objecturus enim erat Stilichoni libros Sibyllinos exuſtos, non minus quam Rutilius.

III. Nempe jam de eruditione noſtri aliquid dicendum eſt. Sive is habuit patrem illum Sophiſtam Claudianum, laudatum Eunapio l. c. multum illi diſciplina paterna profuit: ſive alioquin recte uſus eſt opportunitatibus diſcendi, quas tum habuit Alexandrea: undecunque hauſerit doctrinam, doctiſſimis ſuae ætatis adſcribendus eſt. Indicabimus quædam, unde exiſtimare, quibus volupe eſt, ea de re poſſint. Summam quandam ſuae propoſuiſſe videtur, dum laudat doctrinam Mallii Theodori 17, 61 ſqq. qui locus vel ſolus theſauros eruditionis continet atque aperit. Locus ex intima Heracliti philoſophia poëtico ornatu expolitus eſt 2, 424 ſqq. quo etiam illa pertinent, quæ paſſim de Chao & Hade diſputat, vid. ad 5, 525 præſertim ad 33, 55. Philoſophema eſt, quod 35, 305 Parcas & Fatum Proſerpinæ ſuæ in famulatum dat Pluto. Ad Philolaicam Aſtronomian pertinere videntur 1, 1. 3, 11. 8, 286. 26, 236. Multum ultra vulgarem & plebeiam ſiderum cognitionem aſſurgunt, quæ de Martis & Iovis theoria habentur 22, 437. Item illud de VII Zonis 24, 135. Fluvii e mari orti in illud recurrunt 8, 630. De ſexu plantarum ſuaviter canit 10, 65. Sed plena talium ſunt omnia. Scivit, credo, Claudianus, quidquid tum ſciebant homines, & multo plus quam vulgo ſciebant, etiam qui docti habebantur. An forte plus interdum ſit in illius verſibus, quam ipſe ſciret, per diſciplinam, diſputationem, cauſas cognoviſſet? Fieri quidem poteſt, ut poëta aliquis, εὐφαντασίωτος præſertim, vt noſter, dum, quæ ſunt νοερὰ, etiam αἰσθητὰ vult facere, & contrectanda velut præbere ſenſibus, dum in partes ſe omnes vertit, & liberum ſpiritum nunc ad ſuperos evolare patitur & magnum inane percurrere, nunc præcipitat ad inferos, in eas incidat vel cogitationes vel imagines, in quibus plus ſit veri, quam ipſe primo contuitu obſervarat, vel poſtea inde elicit. Sed de hac re forte aliquando agere licebit, ſi poſſim facere, quod aliquoties cum cogitaſſem, alia interceperunt, vt quæ nova vulgo feruntur Philoſophorum vel inventa vel dogmata, ea non eſſe nova oſtenderem, & quod conantur alii antiquis novitatem dare, ego contra antiquitati vindicarem nova. Nondum dixi de illa propria poëtarum ſcientia, Mythologia, in qua ita noſter habitat, ut peccare non nunquam illa jactanda vbique & inculcanda videatur, qua de re deinde, cum de ingenio illius & poëtica facultate agendum erit, aliquid dicemus: hic illud modo obſervamus, habere noſtrum etiam rariuſcula quædam, & non ubique obvia, ut de animalibus Lunæ 24, 288. de bubus

bus Lunæ 36, 403, & textricem Proſerpinam 36, 246. Itaque credibile eſt, illum auctores habuiſſe etiam ubi nondum deprehenſum eſt quos ſecutus ſit. Huc ipſa quoque hiſtoria, quatenus poëtæ ſervit & Geographia *) referendæ ſunt, cujus ubique veſtigia deprehendimus. Quam ipſe utilis ſit ſui temporis hiſtoriæ, viri docti olim obſervarunt. Solus inſtar omnium eſſe poteſt Jacobus Gothofredus, qui hiſtoriarum lumine cum Theodoſianum Codicem egregie, & immane quantum ſupra omnes Legiſtas, illuſtraret, ea in re feliciter etiam Claudiano uſus eſt, cujus rei illuſtre præter cetera ſpecimen eſt ille ad l. 3 ad L. Corneliam de Sicariis juſtus commentarius, To. 3 p. 110 ſqq. ubi Rufini, Gildonis, Gainæ, Bargii factiones explicat. Sed an Chemicus etiam fuit noſter? Eſt quidem illud Claudiani ſæculum, quo illa vel ars vel vanitas invaluit. Eſt Claudianus aliquis in Catalogo Chemicorum Græcorum. Vid. Fabric. B. G. Vol. 12 p. 776, qui addit, de quo amplius quærere, mihi (veri etiam auri ſi non contemtori, amatori certe ſatis frigido), non vacat: *Etiam Latinus Poëta Claudianus in Carmine de raptu Proſerpinæ Chemicum artificium tegit, ſi Jo. Nic. Furichio credimus.* Laudantur hujus hominis quatuor libri Chryſeidos, in quibus videtur illud grande myſterium retexiſſe.

IV. Ut de ingenio Claudiani & facultate poëtica aliquid dicamus a nobis exſpectatur, diſputatio non facilis. Magnum ſane & capax ingenium contigit, quod merito ſuo paſſim viri ipſi magni & ingenioſi laudarunt. Ponamus modo illud Scaligeri patris Poët. 6, 5 p. 321 *Maximus Poëta Claudianus, ſolo argumento ignobiliore oppreſſus, addit de ingenio, quantum deeſt materiæ*, &c. Magnam vim teſtimoniorum congeſſit Barthius, qui vehementer illum admiratus eſt, nec minus magnifice de illo ſenſit Nic. Heinſius. Sed propius, age, illud conſideremus. Maxima vis ingenii in pictura illa elucet, qua poëtæ cenſentur non immerito. Hac vero ita valet noſter, ut optimis quibusque vel comparari poſſit, vel præferri debeat. Juvit illum hac in re tanta rerum naturalium, quanta tum eſſe poterat, cognitio, quæ inexhauſtam viro imaginum & comparationum copiam ſuppeditaret. Hæc in illo tanta fuit, ut modum illius habere difficile eſſet, cum accederet præſertim ingenium patrium, quod Alexandrinum etiam in aliis dicere

 ſole-,

*) Non ſemper tamen ſatis hic attentum fuiſſe, veriſimile eſt: V. G 16, 179.

ſoleo, quale efficere ſtudebant in his, quos Alexandrinas delicias appellabant, pueris & puellis, facile, fertile, & ſolo, quod Nilus ſuus irrigavit, ſimile, idemque cum hilaritate & laſcivia quadam ludibundum; quale in Theocrito, Apollonio, Callimacho, animadvertimus. Hoc genus ut amabilitatem & lætam ubertatem habet primæ ætatis, ita neque a puerilitate alienum eſt, ab illo quod ut Ariſtoteles (Rhet. 2, 12) ait, adoleſcentuli ἅπαντα ἐπὶ τὸ μᾶλλον καὶ σφοδρότερον ἁμαρτάνουσι παρὰ τὸ Χιλώνειον· πάντα γὰρ ἄγαν πράττουσιν· peccant non ſiccitate & ariditate, ſed luxuria, non intra modum, ſed ultra. Accedit τὸ σχολαστικὸν & σοφιστικὸν, quod ineptiarum nomine ſignare Latine loquentibus fas eſt, ſtudium magnum in re etiam parva: docent Sophiſtæ ævi Conſtantinei & Theodoſiani exaggerare laudes & vituperia, de eo quod verum eſt, quod hic decet, non laborant: tum oſtentandæ eruditionis & ubique inculcandæ ſtudium, quod augebat hoc ſæculo ipſa fugientium literarum conditio, & ingruens bonarum rerum ignorantia, cui ſe objicere omni ſtudio dum conabantur homines eruditi, in cacozeliæ quoddam genus, inanemque doctrinæ affectationem incidebant. Ita Caſſiodorus, etiam cum Theodorici Regis nomine ſcribit, toto ſacco effundit antiquitatis cognitionem, & Regem ſemibarbarum facit antiquariæ profeſſorem humanitatis, ac ſcholaſticum declamatorem. Itaque noſter poëta in ſumma ingenii felicitate non poteſt forte abſolvi ab Horatiano crimine (A. P. 34) *Infelix operis ſumma:* ſed habet tamen omnibus paginis, quæ ſummus poëta illi invideat, quæ Virgilius ſcripſiſſe velit: ubique invenias ingentis membra poëtæ. Ipſa illa ſive puerilia ſunt, ſive ſcholaſtica, ſive labentis in barbariem ſæculi vitia, prodeſſe poſſunt: quin nec eſſent vitia, alio loco poſita ſi eſſent. Hac animadverſione præmunitus & quaſi προθεραπευθεὶς qui ad Claudianum acceſſerit, quem non pœnituerit legere adſcriptas ſæpe cenſuras noſtras, cui & Virgilii Horatiique lectio, & quod præcipuum eſt, uſus aliquis vitæ & ſenſus e conſuetudine politorum hominum, vel vivorum vel mortuorum, hauſtus, limaverit judicium, illi nihil nocebit illud νεανικὸν vel παιδαριῶδες adeo, illæ de ſchola ineptiæ, vocemus enim ita, ſi lubet, & reliqua quæ diximus. Impune delectabit illum non modo deſcriptio regiæ Veneris 10, 49. 61. 72. 99 & antri 31, 1; formæ Mariæ 10, 265 & Honorii 11, 1; vitiorum 3, 27; Gildonis 15, 163; equi 8, 554; draconum in ſignis militaribus 5, 177 coll. 28, 566; Amorum ludentium 31, 110; infantiæ Honorii 7, 22 & 8, 152 & 162; tum enumeratio ora-

oraculorum 8, 141; ſignorum tempeſtatis 15, 493 & ſtatim exergaſia illius dicti Homerici εἷς οἰωνὸς ἄριστος &c. ominum inſtantis calamitatis 26, 227; tres unius ſpatii deſcriptiones 15, 159; monſtra omnia advocata ad pingendum Rufinum 3, 280; ſimiles exergaſiæ in Eutropio 18, 196: denique ipſa illa intolerabilis pene 20, 61 Eutropii cum Tiberio & Nerone comparatio. Satira enim potius et irriſione digna res Eunuchus Præfectus Prætorii, quam tantis tragœdiis. Hæc talia non diſſimulavi in annotatione mea, quæ tota hoc ſibi propoſitum habuit, ut & intelligatur Claudianus & proſit: itaque faſſus ſum etiam ſuo loco, non valde mihi placere exordium operis de Raptu Proſerpinæ. Verum etiam hoc non reticendum, non videri perfectum & elimatum illud opus. Quidquid ejus ſit: prodeſſe poſſunt poëſeos ſtudioſis ipſa etiam vitia Claudiani. Non refero in his quod ſolet hiſtorias fingere connubiorum, iisque intexere Venerem & Cupidinem. Condonandum certe poëtæ non Chriſtiano miniſteriis deorum uti. Ceterum merito reſipuit ætas noſtra, & ſuas ſibi res habere iuſſit ſuo cum puero Venerem.

V. Quantacunque vero quis eſſe dicat, Claudiani vitia facile illa compenſantur tum reliquis illius magnis bonis, de quibus dictum eſt, tum præſertim ſententiis vitæ profuturis. Perpetuum illum & ſonorum maxime virtutis præconem obſervamus, inimicum autem vitiorum & caſtigatorem aſperrimum. Unam mihi legat aliquis Theodoſii ad Honorium ſuum orationem 8, 214, & dicat, multumne ad perfectam inſtitutionem regiam deſideretur. Totus, *quantus quantus eſt*, (licet enim pene ſerio dicere in illum verbum, quo Demeæ illudit Syrus) *nil niſi ſapientia eſt*. Demamus Feſcenninos in Honorii nuptias luſus, pauca, nimis, pro ſæculi nempe more, Latine dicta in Eutropium, & quædam in Epigrammatis, quae forte nec ſunt Claudiani: reliqua talia ſunt, ut ea pueris virginibusque regiis cani *), prælegi, explicarique mereantur. Neque Latinitati multum a Claudiano metuendum videtur. Perierat fere, cum ille viveret, ſolutæ orationis eloquentia, niſi Drepanium Pacatum forte eximium velimus habere. Poëſeos illa prærogativa eſt, quod cum imitatione ſuperiorum bonam partem contineatur, diutius ſervavit decus ſuum, non minus in noſtro, quam in Papinio, Martiali, deinde Auſonio, ceteris, quorum proſa oratio ſæculum ſuum ſapit, carmina facile ſe tuentur: nempe ut fuerunt a renatis inde literis plures, qui

*) Vid. Not. ad 6, 1.

verſus Latinos Græcosque facerent bonos, ſolutæ orationis Latinæ eloquentes emendatosque ſcriptores laudare poſſumus paucos, Græcæ forte probabilem nullum. Adde quod nec damnaverim temere, quæ hodie apud ſolum Claudianum leguntur, cum potuerit ille auctores habuiſſe, quibus caremus hodie. Pauca illa, quæ manifeſto ſunt ſequioris ætatis ut illud, *Promiſi quod ſint* 40, 39 evitare facile eſt ei, qui monitus ſciat normam ſermonis eſſe ab aurea ætate petendam.

VI. Hæc cum ita ſint, diu eſt, cum amavi merito ſuo Claudianum, cum de illo edendo cogitavi. Sed, ut fit, non licuit meo mihi arbitratu agere quod liberet. Commode vero accidit, ut hæc occupatio in illud tempus incideret, ubi tali avocamento opus haberet bonus civis, cum bellum, quo miſere Germania in ſua ſævit viſcera, & quaſi non ſatis eſſet mutuis graſſari cædibus, externos etiam ad perniciem ſuam advocat, ſeni homini quietis & amanti & indigenti, ſuadere videretur facere, quod Athenodorus ille Philoſophus in Spectri Athenienſis exſpectatione feciſſe dicitur *): *Ipſe ad ſcribendum animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita ſimulacra & inanes ſibi metus fingeret — Ille non tollere oculos, non remittere ſtilum, ſed obfirmare animum, auribusque prætendere.* Sed addendum etiam honoris literarum cauſa illud eſt, non hic accidiſſe mihi hoc agenti, quod Athenodoro, non ſuperveniſſe effigiem horribilem, quæ *ſcribentis capiti catenis inſonaret:* ſed ſuperveniſſe aliquoties Duces Gallicos, in quorum poteſtate tum eramus, quantum metuendos ob id ipſum, tantum ob humanitatem ſuam, & literarum, & omnis pulchri amorem, amabiles. Nominari ſe patiuntur, puto, Viri Illuſtriſſimi, Muyeus Eques & Comes Orlickius, qui aliquoties ad lucernam ſcribenti cum obrepſiſſent jucunde, nec me diſcedere plane paſſi ſunt, honoris illorum cauſa ab opere, aut forenſem veſtem ſumere: ſed ſuaviter conſumta inter ipſos libellos meos hora in ſermone de literis aliisque rebus a bello ſejunctis, diſceſſerunt ita, ut vix egredi me cubiculo deducendi cauſa permitterent, gradu autem primo ſcalarum prohiberent, quam ſolam mihi vim ab illis factam memini. Redeo ad Claudianum & meum in illo in ſcenam quaſi reducendo conſilium. Huius duo velut capita conſtitui, ut darem verba ſcriptoris, quantum ejus mea opera

*) a Plinio Epiſt. 7, 27. 7.

opera fieri poſſet, emendata, ac talia qualia ab ipſo literis commendata eſſe, vero ſimile ſit; deinde ut ea adnotatione perpetua explicarem, quo intelligi, & ad vitæ aliquem uſum transferri etiam a mediocriter doctis vel occupatis, ſine multo labore aut diſcurſu ad alios libros, poſſint.

VII. Quantum ad priorem illam partem, ſemper mihi obverſatum eſt illud, quod Jo. Friderici Gronovii verbis placet eloqui, quem virum ab eo inde tempore admiratus ſum, quo aliquid in literis intelligere ſum viſus. Scripſit ille ad Nic. Heinſium juvenem iſta *), *Ego a prima ætate in lectione veterum id potiſſimum habui, ut mei mores emendarentur, non ut apices & puncta librorum. Si interim frequenter legendo eo profecimus, ut genium capere ſcriptoris, ipſumque ſua mente & ſtilo donare poſſem, in lucro deputavi. Barbari ſunt, qui non puram aquam atque ingenuam, quam turbidam ſordibusque permixtam bibere malunt. Sed nihil infelicius magiſtris, qui in literis & ſyllabis conſenuerunt, pulicum ſaltus metiuntur &c.* Itaque cum viderem, magnam jam diligentiam adhibitam ab illo Latinorum poëtarum ſoſpitatore Heinſio, ut qui ubique erant per Europam libri MSS. eos excuteret, omnique illorum conſiderata varietate, quæ ad ſuam poëtæ integritatem reſtituendam maxime viderentur facere, eligeret: verſus Claudiani ex ipſius exemplo prioris editionis (quod emendatius ſub oculis Gronovii excuſum eſſe deprehendi) exprimendum dedi typographis, mutatis modo illis locis, quos ipſe in ſecundis curis mutari juſſerat Heinſius, aut in quibus ab illo diſcedendi juſtas me cauſas habere putavi, quas adnotare non neglexi. De notata ab illo, vel obſervata aliunde varietate lectionis, quæ ſententiam mutaret, prudens nullam omiſi: & in toto hoc genere malui peccare in eam partem, quæ tutior eſt. Sed nolui deſcribere hanc partem Heinſianæ adnotationis, qua ille omnes plerumque codices nominatim citat, tum ea ratione, quam mox dicam, tum quod in magna & proxima exſpectatione eſt Burmanniana editio, quæ omnem illum Heinſianum apparatum, & quem jam habemus, & quem ille poſt A. 1665 collegit, continebit ſine dubio, & forte alia multa id genus collectanea, unde quantum cuique talium cupido volupe erit, licebit ſumere. Hæc etiam cauſa eſt, cur in Codicibus Guelferby-

Du-

*) Sylloges Burm. To. 3 ep. 2 p. 5.

tanis nolui ultra negotium faceſſere Bibliothecario Sereniſſimi Ducis, Hugoni, viro præſtantiſſimo, qui lubens volensque hoc mihi, vetulo doctori, didactron perſoluturus erat, ut omnes Claudiani, quæ ſunt in illis theſauris, membranas mea cauſa cum pulviſculo excuteret. Animadverti enim in his, quae ille ſpeciminis cauſa miſerat, in centum locis, qui diverſum aliquid ab Heinſiana lectione haberent, vix unum alterumque eſſe, cuius non aliunde obſervata varietas eſſet, ne unum forte unde melior fieri uno apice Claudianus me judice poſſet. Igitur pauca de illis retuli (maxime ad n. 21 & 33) laboris autem reliqui gratiam feci viro, qui melius & majori cum decore & emolumento literarum, collocare bonas horas poſſit. Ceterum ea in primis exemplaria typis expreſſa diligenter contuli, quæ cum olim jam rara fuerint, metus eſt, ne paullatim plane intereant, ut Vicentinum, Viennenſe Camertis, & Baſileenſe Iſingrinii: hoc præter cetera, cum, ob adſcriptas margini varietates, quas brevitatis cauſa omnes ſigno Cujacianarum notavi *), tum eas quoque, quas typographus appoſuerat, tamen nunquam eſſet dimittendum ex oculis. Quæ cum ita ſint, habebunt certe hic etiam, in noſtris exemplaribus, docti & ingenioſi homines hylen, in qua emendatricem divinatricemque illam Criticam exerceant, in qua non multum deſiderent operoſam (quam minime alias contemno) ſingulorum codicum indicationem.

VIII. Hic locus eſt univerſim aliquid de Varietate lectionis Claudianæ diſputandi. Non eſt illa ſemper, ne plerumque quidem, plane monſtroſa & talis, quæ ſtupori atque ignorantiæ vel ſomno librariorum debeatur: ſed plerumque emendatorem potius olet, ut ſuſpicer, aut fuiſſe olim Codices duarum pluriumve ipſius poëtæ prælectionum, aut certe voluiſſe ſubinde deſcriptores, non mercenarios, ſed qui ſibi codices pararent, in quos plus ſibi juris ſumerent ſcilicet, (quod Catonis & Palladii fatum fuiſſe, mihi, ante hos viginti aliquot annos in illis verſanti, liquebat) velut ingenii certamen cum poëta inire, & quomodo variari poſſet oratio, oſtendere. Speciminis cauſa eſſe poteſt inſignis illa varietas propoſita 10, 7. Sed placet hic pluſcula velut per lancem ſaturam proponere, quæ non modo obſer-

*) Conf. quæ de his libris dicentur horum Proleg. n. XII ad A. 1510 & 1534.

ſervationem de Claudiano noſtram confirment; ſed in univerſum tractantibus poëtas utiles eſſe poſſint. C. 3, 261 *letiferos* nemo ſanus mutavit in *peſtiferos* & contra, quod vitioſum putaret alterum. Talia ſunt 5, 117 *Et quamvis præſens tumor*, pro quo alius *Et petulans animis tumor;* & 5, 261 *Tradimur* — *ſpernis*, & *Prodimur* — *tradis;* & 5, 479 *ad rigidi*, & *ad mala mox*, & quæ alia ibi eſt varietas. *Nidos, natos, pullos* 6, 5 non peperit ſtupor, ſed variandi ſtudium. Eadem ratio 7, 82 ubi *cæſi terga abſorbere* & *celſi tabo ſordere juvenci* neque auris neque oculus aberrans confundere potuit. Et 8, 591 ubi plures deſcriptorum conjecturas notavimus. *Civiles neces* & *Imbelles notas* 15, 430 non deberi indoctis librariis, apparet. Inter nomina Sardiniæ vera docte fluctuant libri 15, 508. Inter *Lageis* & *Pellæis* 18, 483. Illud *accipit* & *adſpicit magiſtratum* 18, 486 poteſt ab errore eſſe, ſed nec a conſilio abhorret. *Exundet* 20, 18 eſt correctio τῷ *Areſcat* vel contra. *Laterum*, *lacerum*, *Latium* diverſas relationes habent 21, 282. Talia ſunt, h. e. emendationes, certamina, variationes 22, 137 & 187 & 331. Manifeſtum exemplum ibid. 441: & illud, quod 24, 347 duo verſus in unum contracti, aut unus dilatatus in duos. A correctoribus eſt varietas 26, 462 & 542. Certamen poëticum 28, 428 & 431. Notabilis in hanc rem locus 29, 193 & 31, 28, & plurimi ſine dubio alii. Volui enim ſpecimina modo hinc inde enotare, unde, quantum ſibi licere deſcriptores putaverint, queat intelligi. Editores plerique hoc videntur ſibi juris ſumſiſſe, non ut uni alicui præcedentium exemplarium ſimpliciter fidem ſuam addicerent, ſed ut ſuo uterentur judicio alii aliis modeſtius audaciusve. Certe non memini me in his quibus uſus ſum editionibus duas invenire plane ſibi per omnia conſentientes: itaque nec conſtituere ſectas, claſſesve licuit, nec, ut nunc res eſt, auctoritatibus plurium pauciorumve codicum aliquid decernere.

IX. Verum feci, quod modo dicebam: ſecutus ſum Heinſianam editionem: ſed ita tamen, ut nec religioni mihi ducerem ab illa nonnunquam, revocanda præſertim veteri lectione, diſcedere, cujus rei exempla quædam hic pono, ut eo facilius & breviori velut via poſſint, qui volent, de ratione noſtra judicare. Inſpiciat ergo, cui placet 8, 270 & 293 & 329 & 438 & 481 & 486, denique 636 ubi verſum repoſui, omiſſum ab Heinſio. Sic ſuperior revocata lectio 10, 49: ſed

ſed v. 242 mutatio ſuſcepta contra lectionem omnium. Rurſus 17, 20 diſceſſum ab Heinſio, & 261, itemque 18, 450 & 21, 200, & 22, 117 & 147 & 189 & 289 ac 441. Porro 24, 64 & 28, 405. 511. Sed quod ibi 611 *ſecreti muneris* habere Heinſius ſolus dicitur, illud ad priorem modo editionem pertinet: altera enim nobiſcum *numinis* habet. Sed 35, 226 neceſſario deſerendus fuit Heinſius. Contra libros omnes tentatum, certe receptum, præter l. c. nihil recordor, niſi forte 36, 361: ex uno autem libro 36, 393 & forte paſſim. Hæc indicant, nos ſeorſim etiam ſentire ab Heinſio auſos, ſed conſervata ſemper ea, quam & aliis & nobis debemus, modeſtia. Hæc de lectione conſtituta.

X. Jam de annotatione noſtra, (quas *notas* vocari conſuetudo pervicax contra uſum vetuſtatis evicit) aliquid dicendum eſt. Cum legi cupiam Claudianum & intelligi, & ad uſum vitæ transferri, non ab his, qui multo uſu hoc aſſecuti ſunt, ut nusquam hæreant, vel tantum in iis locis qui difficiles admodum explicatus habeant; ſed ab his vel maxime, quorum aut ætas, aut educatio & ratio ſtudiorum, aut vitæ genus & occupatio, illos impediunt, quo minus primo obtutu aſſequantur, quæ vel ab hiſtoria vel ab alia parte eruditionis repetita præſto eſſe debent intellecturo poëtam, doctum ſane & nihil temere dicentem, quod non vel eruditum lectorem poſtulet, vel faciat: his ergo cum commodare ſtudeam, poſui non ea in quibus ipſe oſtendere doctrinam poſſem, quod nunc ſerum eſſet in homine duodeſeptuageſimum annum nuper ingreſſo, &, ſi quando tempeſtivum fuit, alias factum eſt: ſed quæ explanarent ſenſus poëtæ, ſive de interioribus literis aliquid ad eam rem depromendum eſſet, (V. G. 18, 277. 24, 135 & 287, it. 33, 16 &c.) ſive illa ἐγκύκλιος παιδεία & communis eruditio ſufficeret; ſive dictum eſſet ab aliis ad Claudianum, aliisque in libris aliorum vel meis, ſive nunc demum ſtudio meo repertum. Non volui Commentarios ſcribere collectos undique, aut locos communes, non volui dictionem poëtæ congeſtis aliorum poëtarum formulis illuſtrare; ſed cum illud volui efficere, quod modo dicebam, poëta ut intelligatur: tum judicio meo juvare volui juniorum judicium, quid pulchrum atque decens, & ſummorum poëtarum ſimile putarem, oſtendendo; & contra ea, ubi aberraſſe illum a natura, a magnis exemplis, a decoro, arbitrarer, cum fide indicando. Hæc mihi cum haberem propoſita, fieri potuit,

ut

ut ponerem, quia evitari non potuit, vt non ponerem etiam, quæ bona pars lectorum ſibi non putet neceſſaria. Et velim ex eo genere eſſe quam plurima, quæ ſibi quoque in mentem venire abſque mea opera potuiſſe, ingenioſi homines; quæ ſe aliunde quoque didiciſſe, docti, arbitrentur. Multo equidem hoc malim, quam illud, quod ſæpe conqueri ſtudioſos memini, in magnis etiam voluminibus, in magna mole rerum & verborum, quibus facile carere poſſent, ſe deſiderare lucem eam, quæ umbras ab hiſtoriæ, mythologiæ, geographiæ, antiquitatis, ignorantia offuſas diſcuteret. Ceterum illos priores rogatos velim, ut ante quam noſtrum exemplum in manus ſumunt, purum & ſolum quodvis non nimis breve carmen poëtæ legendo vires ſuas experiantur: qui hoc ubi fecere, nihil in noſtris invenient, quod juvet, illi his ſe carere poſſe & ſciant & gaudeant. Si cui vero interdum deſtituiſſe lectorem videar, & tacere, ubi is aliquid adnotationis exſpectaret, ille Indicem adeat magno ſtudio confectum ab homine ſuo mihi ingenio, virtute, doctrina cariſſimo *Nicolao Niclas*, qui iſto labore, niſi mea me fallit opinio, multo majoribus quæ aliquando ipſi debebunt literæ muneribus præluſit. Nempe non temere puto futurum, ut explicandi opera non nunquam deſideretur, niſi in his quæ ſingulis nominibus vel verbis conſtant, quæque ſatis mihi erat uno in loco declarare, quanquam ego malui hic etiam in partem potius tutiorem peccare, quam plane inexplicatum dimittere, quod opera illa putarem indigere. Feci hic etiam, quod deberi puto adoleſcentiæ, ut indicarem candide ſi quid non intelligerem, eaque re vel ſolarer eos, qui me tacente ſe infeliciores ingenii vel doctrinæ putare poterant, vel excitarem attentionem eorum, qui me aut doctiores ſunt, aut feliciores. Cum enim mihi contigerit juveni, vt viderem non nunquam, quæ ætate atque uſu longe me majores fugerant: improbus ipſe mihi videar, ſi non credam, in hoc declivi ætatis conſtituto multa mihi elabi poſſe, quæ alii annis viribusque florentes labore non magno aſſequantur.

XI. Catalogus editionum Claudiani ſtudio *Nicolai Niclas* *excerptus* ex libris, quorum Syllabus in fine ponitur. Quibus ſignum * appoſui, de iis agit Indiculus n. XII propoſitus.

A. *CLAU*

A. *CLAUDIANI OPERA*

*1482. f. non minus eleganter, quam diligenter impreſſit Jacobus Duſenſis, Vicentiæ.
(edita ſunt ſtudio Barnabæ Celſani) C. B. R. & aa.

1493. 4. emendata per Thadæum Ugoletum, impreſſa per Angelum Ugoletum Parmæ. C. B. R. aa.

1495. 4. emendata per Thadæum Ugoletum Parmenſem, impreſſit Jo. de Tridino alias Tacuinus Venetiis. Harl. aa.

1496. f. Vicentiæ. Maitt. qui & præcedentes habet.

1498. f. ſ. l. Hanc laudat quidem ex Fabricio Maitt. ſed metuo, ne ſit error undecunque objectus Fabricio.

1500. 4. emendata per Thadæum Ugoletum, impreſſa per Chriſtoph. de Penſis Venet. Harl. aa.

*1510. 4. accuratiſſime recognita per D. Jo. Camertem typis Hieron. Victoris Philovallis & Jo. Singremii, expenſis vero Leonh. Alantſe. Viennæ Auſtr. Maitt. aa.

*1519. 8. impreſſa per hæredes Philippi Juntæ. Florentiæ. B. Sm.

*1523. 8. in ædibus Aldi & Andr. Aſulani Venet.
(ex recognitione Franciſci Aſulani) mm.

1530. 8. apud Simon. Colinæum Pariſ.
(in Cat. Bibl. Sarrazianæ; editio ſummopere accurata, dicitur)

*1534. 8. ad veterum exemplarium fidem excuſa, & eorundem beneficio locupletata. Ex ædibus Jo. Bebelii, Baſileæ. C. A. V. aa.
(ex emendatione Mich. Bentini & Joh. Honteri.)

1535. 8. apud Sebaſt. Gryphium Lugd. C. Sarr.
(per P. Crinitum ac Volateranum. Eſt in Bibliotheca Caſſellana.)

1538. 8. cum notis M. Ant. Delrio. Lugd. B. Bodl.

1548. 16. apud Sebaſt. Gryphium Lugd. C. Boze.

1549. 8. in Ruffinum libri 2 de bello Gildonico lib. 1. cum aliis eiusdem. Florent.
(Attulit hanc edit. Georg. Draudius in bibliotheca claſſica Francof. 1625. 4 p. 1039: ſed metus eſt, ne erratum ſit. mihi quidem videtur eadem editio eſſe cum illa 1519, certe idem eſt titulus.)

1551. 8. cum Delrio notis, apud Beringos fratres Lugd. Bodl. aa.

1561.

1561. 12. a Crinito, apud Hæred. Seb. Gryphii, Lugd. Menck. aa.
*1571. 16. per Theod. Pulmannum ex offic. Chr. Plantini Antverp. C. B. R. aa.
*1572. 16. ad opera-Martini Antonii Delrio notæ, ex offic. Chr. Plantini, Antverp. C. B. R.
1585. 16. per Theod. Pulmannum cum not. M. Ant. Delrio ex offic. Chr. Plantini. Antv. C. B. R. aa.
1589. 12. per P. Crinitum, apud Ant. Gryphium, Lugd. Hulſ. aa.
1590. 8. apud S. Colinæum, Paris. Hulſ.
1596. 12. per Theod. Pulmannum cum Delrio notis, ex offic. Plantin. apud vid. & Joh. Moretum, Antverp. Bun. aa.
1598. 12. apud Anton. Gryphium, Lugd. Mark.
*1602. 4. cum annotatt. perpetuis Steph. Claverii. acceſſere ejusdem coronis miſcella ad Claudianum; J. Parrhaſii ſelecta, & M. Ant. Delrii * notæ, Pariſiis exc. N. Buon. mm.

* in C. B. R. eſt Doleti, per merum errorem.

1602. 12. ex recenſione Theod. Pulmanni c. n. M. A. Delrio, apud Moretum Antv. Menk. aa.
*1603. 4. apud vid. Guil. Chaudiere, Pariſ. Draud.
*1603. 24. ex emendat. virorum doctorum ex offic. Plant. Raphelengii. C. B. R.
1603. 8. Lugduni. Bodl.
1606. 12. ex recenſione Pulmanni, Aurel. Allobr. Anon. (a qua non videntur diverſæ duæ proximæ.)
1606. 12. Lugduni. B. L. B. a.
1606. 16. Lugduni ſumtibus Jacobi Rouſſin. (hic Gottingæ apud Ven. Heilmannum.)
1607. 8. cum Annotatt. Tho. Dempſteri. Flexiæ, Barb. aa.
1607. 12. ex officina Plantin. Raphelengii. Salth. aa.
1608. 16. apud Moretum Antv. Draud. (forte eadem eſt cum antecedente.)
1611. 12. per Theod. Pulmannum una cum M. Ant. Delrio notis. Antv. Benteſ.
1612. 8. cum animadverſionibus C. Barthii, in bibliopolio Willieriano, Hanoviæ. mm.
1612. 8. eadem editio recuſa, apud Heuſman. Bremæ. Draud. (novus titulus.)
1612. 24. Genevæ. C. Elz.
1612. 8. a Pulmanno, Col. Allobr. Osb.

1613. 12. diligentia Theod. Pulmanni Colon. ap. Caſp. Bellerum. Draud.

(Hæc & præcedens una eademque eſſe videntur.)

1616. 12. apud Plantinum. B. L. B.

1616. 24. ex emendatione virorum doctorum, ap. Sanlecque, Pariſ. Thuan. a.

1617. 8. Theod. Pulmanni diligentia reſtitutus & a Marc. Ant. Delrio notis illuſtratus. apud Hier. Verduſen & Plantin. Antv. Bun. a.

1620. 16. Jul. Cæſ. Scaligeri, Adriani Turnebi, & Marc. Ant. Delrio obſervatt. illuſtrata. apud Ludov. Kœnig. Baſil. Draud.

1620. 24. ex optimorum codicum fide. ap. Guil. Janſſonium. Amſterodami. C. B. R.

1620. eadem editio repetita Aug. Munat. Carpz.

1622. 12. apud. Sam. Criſpin. Genevæ.

*1628. 16. Amſtelodami. Osb. a.

*1630. 16. ex optimorum codd. fide apud Guil. Blæuw. Bun.

1639. 16. ex optimorum codd. fide apud Jo. Janſſonium. Amſtel. Smith.

1640. 4. Aur. Allobr. Bodl.

*1641. 12. cum not. Nic. Heinſii Lugd. Bat. mm.

*1650. 4. animadverſionibus illuſtrata a Caſparo Barthio. apud Jo. Naumannum. Francof. mm.

*1650. 12. cum notis Nic. Heinſii, ap. Elzevir. Lugd. Bat. mm.

1650. 24. Amſtel. apud Lud. Elzev. Cat. Elzev. aa.

(quantum obſervare potui hæc diverſa eſſe debet a priori: forte notis caret.)

1653. 16. optimorum codicum fide reſtituta, ap. Jo. Pet. Cardum, Mediol. C. B. R.

1659. 8. cum not. var. per C. Schrevelium, apud Elzevir. Amſtel. Cat. Elzev. aa.

*1665. 8. cum not. variorum accurante Corn. Schrevelio, ex offic. Elzevir. Amſtel. mm.

1668. 8. cum not. varior. per Schrevel. Amſtelod. Menarſ. aa.

1677. 4. interpretatione & annotationibus illuſtravit Guil. Pyrrho, in uſum Delphini. Fred. Leonard. Pariſiis. C. B. R. aa.

1677. 12. ex emendatione Nic. Heinſii, apud Dan. Elzev. Amſtel. Harl. aa.

1688.

1688. 8. ex emendat. Heinſii, Amſtel. Osb. bis.

1691. 8. Claverii, Dempſteri & Barthii ſcriptis, maximam vero partem notis Dan. Hartnaccii illuſtrata. Lubecæ. Uffenb. aa.

1701. 12. eadem editio repetita Lubecæ, ap. Jo. Wiedemeyerum. C. B. R. aa.

1715. 12 cum notis ad modum Minelli, ap. Weidem. Lipſ. Geor.

1734. 8. quæ extant Nic. Heinſius recenſuit, ac notas addidit, quibus accedunt variorum Commentarii, addita ſunt in calcem poëmata incerti Auctoris. Patavii. Geor.

f. a. & f. in Claud. Herman. Buſchius. Coloniæ. Draud.

B. *CLAUDIANI OPERA IN COLLECTIONIBUS*

Corpus omnium veterum poëtarum Latinorum ſecundum ſeriem temporum. Lugd. 1603. 4 II Voll. & Genevæ 1611. 4 II Voll. & Aur. Allobr. 1640. 4.

Opera & fragmenta veterum Poëtarum Latinorum profanorum & Eccleſiaſticorum Londini, apud J. Nicholſon, B. Tooke & J. Tonſon. 1713 II Voll. f.
(edidit Maittaire.)

Corpus Poët. Lat. cum verſione Ital. Mediol. 1731 ſq. 4 T. XI. XII. XIII.

C. *CLAUDIANI CARMINA SEPARATIM EDITA*

1500. f. raptus Proſerpinæ cum notis Jani Parrhaſii. Mediol. Cat. B. Ultr. aa.
(Vid. Joſ. Anto. Saxii hiſt. literario-typogr. Mediol. p. 608 & 612.)

1505. f. de raptu Proſerpinæ cum J. Parrhaſii Commentar. ſequitur Apologia Jani, contra obtrectatores per Furium Vallum Echinatum ejus auditorem. impr. per Jo. Angel. Scinzenzeler, ſub impenſis Jo. Jacobi & fratrum de Lignano. Mediolani. C. B. R. aa.

1511. 4. de raptu Proſerp. impr. per Ant. Bonnemere impenſis Pontii le Preux. Pariſ. Maitt. aa.
(*Eſt & penes me I. M. G.*)

1514. 4 Erphurdiæ in officina Induſtrii Ioannis Cnappii. (*Eſt penes Ampliſſ. Duvium Hannoveræ.*) Argumentum in librum primum *Pierius Hypſila Aeginenſis* concin-

cinnavit: *Dux Erebi Pluto molitur bella Tonanti* &c. Ad carmen *Omnia quæ ſenſu* (nobis 27) *Theophilus Chalcondyles Athen. Demetrii F.* appoſuit iſta: *Hos Elegos alieniſſimo loco inſeruit imperitia librariorum, qui, dum putant, ſuperiorum exemplo, tertium quoque librum carere præfatione non oportere, qualemcunque adjecerunt.* I. M. Geſnerus.)

1517. 4. de raptu Prof. cum Comment. Parrhaſii per Jo. Gourmontium. Pariſ. Bun. a.

1520. 4. de raptu Proſerpinæ. Colon. Hulſ.

1536. 4. de raptu Proſerpinæ. Buſciducis. Hulſ.

1539. 4. J. Parrhaſii in Claudiani de raptu Proſerpinæ libros Commentarius cum textu: acceſſit Claudiani vita ab eodem ſcripta, in officina Rob. Winter. Baſil. C. B. R. aa.

1620. 4. de raptu Proſerpinæ. Colon. Carpz.

1684. f. in Cl. Claudiani libros de raptu Proſerpinæ commentaria Nic. Biſſii addita textus in Italicos verſus translatione, ex typogr. Lud. Montiæ, Mediolani. Bun. aa. Bibl. Gotting.

*1675. 8. Panegyris in tertium Conſulatum Honorii Auguſti, cum notis Vorſtii. Lipſiæ. Bodl.

1706. 4. Panegyricus in IV. Honorii Conſulatum diſſertatione publica illuſtratus a Jo. Caſp. Khunio. Argent. Bun. aa.

— — Epigrammata ſelecta cum notis ejusd. ib. Bodl.

* * *

*ſ. a. in 4. Cl. opuſculum de raptu Proſerpinæ quale invenitur, nam ultimum volumen apud nos non exſtat. Lipſiæ. Vid. Jo. Henr. Leichius de origine & incrementis typographiæ Lipſienſis p. 105.

ſ. a. in f. Claudiani Siculi viri in primis doctiſſimi, de raptu Proſerpinæ Tragediæ duæ heroicæ. De quo libro Maitt. Ann. typ. I p. 753 hæc dicit: Hujus editionis Character Joannis de Weſtphalen Characterem ferme refert. Claudiani tres de raptu Proſerpinæ libros in duas heroicas Tragœdias, conſtantes tribus Actibus ſingulas, vir quidam neſcio quis artificioſe diſtribuit, poëtæque ipſa verba integra ordinemque inviolatum ſervavit. conf. Ej. Ann. Typogr. T. I p. 383-385 pr. ed. ubi ſpecimen Tragœdiæ exhibetur.

1518. 4. in Rufinum libri II Vindobonæ. *Eſt in Biblioth. Gotting.*

D. *CLAU*

D. *CLAUDIANI CARMINA CUM ALIIS EDITA*

C. Plinii ſecundi epiſtolæ & Panegyricus Trajano dictus; item Pacati, Mamertini Nazarii & Claudiani panegyrici omnes emendati, adjectis Iſaaci Caſauboni in epiſtolas notas. Pariſ. typ. H. Steph. 16. 1591. C. B. R. & 1604 ib. 12. Bun. aa.

Epigrammata pleraque invenias etiam in Caſp. Dornavii Theatro ſapientiæ Socraticæ Joco-Seriæ. Hanov. 1619 f.

Epigrammata multa habet etiam liber cujus titulus eſt: picta poëſis; ut pictura poëſis erit. Lugduni 1552, apud Bonhomme. & Picta poëſis Ovidiana, theſaurus propemodum omnium fabularum poëticarum variorum auctorum, cum præfatione El. Reuſneri, Francof. 1580.

Carmina de fontibus Apponi ſunt p. 19 inter Scriptores de Balneis. Venet. 1553 f.

(Hermanus von der Hardt portentoſo operi, cui titulum fecit, *Tomus I in Jobum, hiſtoriam populi Iſraëlis in Aſſyriaco exilio* &c. Helmſtadii 1728, f. attexuit *partem ſecundam in Symbola Jobi: Claudiani & Muſæi Symbola illuſtria in hiſtoria Byzantina & Romana* &c. a p. 499-645. Quid ſperare poſſit, ſi quis legere audeat opus, guſtum capere quis poteſt ex hac brevi ſumma, quam verbis ipſius expreſſam damus: 1) *De piis fratribus Amphinomo & Anapi, quorum apud Catinam in Sicilia ſtatuæ: in Arcadii & Honorii concordiam.* 2) *De mulabus Gallicis, in Rufinum cum Alarico conſpirantem.* 3) *Phœnix in Byzantium & Arcadii imperium a Rufini tyrannide liberatum.* 4) *Magnes, in Arcadii & Honorii concordiam pro debellando Gildone, Libyæ tyranno.* 5) *Nilus in Romani imperii potentiam, milite proprio & perpetuo.* 6) *Torpedo in Eutropii, Byzantinæ Curiæ moderatoris, exilium.* 7) *Hyſtrix, in Alanum fortem belli ducem pro Romanis.* Non eſt opus plura addere: ex hoc ungue Leonem: ex ipſis titulis Hardtium agnoſcere licet, doctiſſimum hiſtoriæque antiquæ omnis peritiſſimum virum; ſed in quo dubitare ſolebam interdum, bona ne fide ipſe deliraverit, an ludibrio

 ſibi

ſibi habere alios voluerit, qui vel probarent illa commenta, vel ſerio oppugnarent. I. M. Geſnerus.)

E. *CLAUDIANI OPERUM VERSIONES*

α *Italica.*

1716. 8. le Opere tradotte in Verſi ſciolti, ed arricchite di erudite Annotazioni da Nicola Beregani. Venezia per l' Ertz B. Sm.

eadem comparet

in corpore Poët. Lat. cum verſ. Ital. Mediol. 1731. To. XI. XII. XIII.

β *Anglica.*

1628. 4. Claudian, translated by L. Digges. Harl. III p. 365.

F *CLAUDIANI CARMINUM VERSIONES.*

α *Græca.*

1619. 4. Cl. Clandiani de Amphionii & Anapii fratrum ſtatuis, & in Sphæram Archimedis Epigrammata, metaphraſi metrica Græca Fed. Morelli Profeſſorum Reg. Decani reddita Pariſiis ex typogr. J. Libert. C. B. R. aa.

β *Italicæ.*

1553. 8. il ratto di Proſerpina, tradotto in verſi ſciolti da Livio Sanuto. (ſenza luogo e nome di Stampatore.) B. Sm.

1586. 4. il ratto di Proſerpina tradotto in ottava rima da Gio. Domenico Bevilacqua &c. in Palermo per Gio. Franc. Carrara. Capp.

1684. f. cum Latinis Commentariis Nic. Biffii edita etiam textus in Italicos verſus translatio.

1714. 8. il rapimento di Proſerpina tradotto (in verſi ſciolti) da Marcantonio Cinuzzi. Siena per il Bonetti. B. Sm.

ſ. a. 4. dell Ratto di Proſerpina in verſi ſciolti del Barbo. Padov. Osb.

1556. 4. la Fenice tradotta in verſi da Tito Giovanni Scandianeſe. Venezia, per Gabr. Giolito. B. Sm.

1622. 8. la Fenice tradotta da Ignatio Bracci con alcune conſiderazioni. Macerata per P. Salvioni. B. Barb. a.

γ *Anglica.*

1741. 8. Claudian's Hiſtory of Rufinus: with ſeveral ſelect pieces out of other Authors (viz. Mount Aetna deſcribed and an Account of its Eruptions &c.) translated by Mr. Hughes. Oſb. ſæpe.

(Alteram translationem poëticam operis de raptu Proſ. memorat Cruſius in opere de vitis Poëtarum Ro. T. 2 p. 178 *I ſhall ſubjoin Mr.* Eusden's *Translation, which though in ſome parks a little paraphraſtical, has more of* Claudians *ſpirit in it than Mr.* Hughe's, *and therefore will be more acceptable to the* Engliſh *Reader.*)

δ *Gallica.*

1658. 12. Claudian Proſerpine, poëme par Nicole. Faris. Geor.

ε *Germanica.*

1756. 8. Gedicht wider den Rufinus, mit einiger Freyheit in deutſche Verſe überſetzt, und nebſt verſchiedenen eigenen Sinngedichten ans Licht geſtellet vom Myriander. Nürnberg.

G. *CLAUDIANI CARMINUM VERSIONES IN ALIIS LIBRIS*

Lettres miſſives de Mes-dames Des-Roches, avec le raviſſement de Proſerpine, pris du Latin de Clodian; & autres imitations & meſſanges poëtiques. Paris, Abel l'Angelier. 1586.

Les oeuvres du Preſident Nicole, contenant diverſes pieçes choiſies traduites en vers François de Martial, d'Horace, Ovide, Seneque, Claudien, Catulle; les Satires de Perſe; l'Adonis du Cavalier Marin &c. Paris, chez de Servy 1681. 12 II Voll.

SYLLABUS NOTARUM

a. & alius.
aa. & alii.
An. Catalogus bibliothecæ Anonymianæ & Dan. Des-Marets Lugd. B.
B. bibliotheca.
B. A. V. index manuſcriptorum Biblioth. Auguſtanæ cum append. 1675. & Catalogus ampliſſimæ reipubl. Auguſtanæ. Aug. Vind. 1623 f.
B L. B. Catal. bibliotheæ Univerſit. Lugd. Bat. f.
B. Ultr. Catal. biblioth. Trajectino-Batavæ f.
Barb. index bibliothecæ Barberinæ Rom. 1681 f. II Voll.
Benteſ. bibliotheca Benteſiana Amſt. 1702. 4.
Bodl. Catal. impreſſ. librorum biblioth. Bodlejanæ Oxon. 1738 f.
Boz. Catalogue des Livres du Cabinet de M. de Boze. Paris. 1753.
Bun. Cat. bibl. Bunavianæ 4.
C. Catalogus.
C. B. R. Catalogue des Livres imprimés de la Bibliotheque du Roy. Paris f.
C. Elz. Catalogus librorum, qui in bibliopolio Dan. Elſevirii venales extant. Amſt. 1681.
Capp. Catalogo della libreria Capponi. in Roma 1747. 4.
Carpz. bibliotheca Carpzoviana. Lipſ. 8.
Draud. Georgii Draudii bibliotheca claſſica Francof. 1625. 4.
Geor. Georgi Bücher-Lexicon.
Harl. Catalogus Bibliothecæ Harleianæ Lond. 17 . .
Hulſ. Bibliotheca Hulſiana Hag. Com. 1730. 8.
mm. multi.
Maitt. Maittaire Annall. Typogr.
Mark. Catal bibl. Markianæ Hag. Com. 1712. 8.
Menarſ. Biblioth. Menarſiana Hag. Com. 1720.
Menk. Catal. bibl. Menkenianæ Lipſ. 8.
Osb. T. Osborne's Cataloque of Books. Lond. 1750-53. 8. VI Voll.
Sarr. Biblioth. Sarraziana Hag. 1715. 8.
Sm. Catalogus librorum D. Joſephi Smithii Angli. Venet. 1755. 4.
Thuan. Catal. bibl. Thuanæ 8.
Uffenb. Catalog. biblioth. Uffenbachianæ 8 Francof. 1735. IV Voll.

XII Edi-

XII. Editiones Claudiani, quarum exemplis uſus ſum, aliæque de quibus non recte relatum videtur.

1470 Venetiis, laudata dicitur Dempſtero ad Corippum paſſim, quam ſibi viſam negat Heinſius: nec habent Catalogi nobiliores.

*1482 f. Finis operum Cl. Claudiani: quæ non minus eleganter quam diligenter impreſſit Jacobus Duſenſis Mileſimo quadringenteſimo ſecundo ſex. cal. Jun. Vicentiæ. *Habet Bibl. Gotting.*

Præfatio eſt *Barnabæ Celſani* ad *Bartholomæum Pajellum* Equitem Vicentinum quem excitat, ut ſua carmina velit edere, quæ Claudiano adjecturum ſe fuiſſe ait, ſi exorari Pajellus potuiſſet. De Claudiano nihil. In hac editione deſiderari Carmina minora omnia, ſatis indicat tabula noſtra, quam damus ſub titulo, Ordo Carminum: hic addimus, quod ſuo loco moneri debebat, libro *de Bello Gildonico* hic titulum poni, *In Rufinum liber III.*

149 . . Ludovicus Ponticus Virunius circa finem ſæculi XV in urbe Regienſi (*Reggio*) explicavit, & primum quaſi propinavit Italis Claudianum. Hinc forte eſt, quod paſſim editi ab illo Claudiani faciunt viri docti, Geſnerus in Bibliotheca, Barthius, Heinſius. Sed nemo ſe vidiſſe dicit opus, nemo locum, annum, typographum indicat. Verbo, videtur omnis ea memoria deberi Catalogo ſcriptorum viri, maximam partem ineditorum, quem vitæ illius intexuit Andreas Ubaldus, cum cujus ſorore vixit Ponticus: unde ſua repetiit Niceronus To. VIII p.39.

*1510 Viennæ 4. Claudiani opera noviſſime per D. Jo. Camertem accuratiſſime recognita. *In fine:* Elimatiſſimum hoc Claudiani opus elaboratum eſt Viennæ Auſtriæ, *Hieronymi Vietoris Philovallis* Calcographi. Et *Joannis Singrenii* ſociorum ſolertia: Expenſis vero *Leonharti Alantſe* Bibliopolæ Viennenſis. Anno M.D.X pridie Nonas Octobris.

Charta candida, literæ Jenſonianæ pulcherrimæ, verſus per denaria intervalla dinumerati *).

*) Hoc inſtitutum elegantiſſime, cur non ſecutus ſit Iſingrinius & alii, non habeo dicere. Sic Argentinæ 1515, numerati ſunt verſus Metamorphoſeon Ovidianarum per intervalla quinaria, quod ipſum diu deinde neglectum eſt.

Eſt penes me munere FRID. CHRISTI. LESSERI τῶ μακαρίτυ, cui ſtudium naturalia corpora colligendi, & quæ de natura rerum didicerat, ad agnitionem ſui conditoris transferendi, longam bonamque memoriam ſpondent.

Fuit tum Jo. Camers, ut intelligitur ex verſiculis a Joachimo Vadiano adjectis ſacræ Theologiæ ſimul & optimarum literarum Profeſſor, ordinis Divi Franciſci. Ponamus majorem præfationis partem: *Io. Camers lectoribus felicitatem.* Claudianum, poëtam *candidiſſimum: ſed mendis innumeris denigratum, his paucis diebus ea qua potuimus diligentia in priſtinam redegimus majeſtatem: eumque ſuo (vt poſſibile fuit) candori reſtitutum ad ſtudioſorum commodum imprimendum curavimus. —— Edidimus præterea in hunc ipſum poëtam locorum difficilium commentariolum: quod propediem eodem moti ſine favente Deo maximo publicabimus. Edidimus* credo ita interpretandum, dictavimus auditoribus noſtris: *publicabimus*, typis curabimus vulgandum. Hoc poſterius vtrum factum ſit, non habeo dicere. Per temporum rationem fieri potuit: diu enim ſupervixit. C. Barthius quidem cum primum ederet ſuas in noſtrum poëtam animadverſiones A. 1612, non aliunde noverat hunc librum, quam ex ipſius Camertis ad Florum annotationibus. Et in magno opere Adv. 50, 9 p. 2363 *Utinam*, inquit, *in manus noſtras alicunde venirent, qui & ipſi in eum ſcripſiſſe aliquid dicuntur, Jo. Camers, Ponticus Virvnjus, Jo. Aventinus, Jo. Tornorupæus & alii non nulli, quorum ſcripta ubicunque potui inquiſita noluit divina vis in manus noſtras pervenire. Hæc in opere* 1624 edito: Triginta fere annis poſt, cum iterum vulgaret Claudianum, ad Carmen, cui titulus Laus Chriſti (n. 98) p. 1070, facta Jo. Camertis mentione, addit, *cujus editionem in his opuſculis comparare nequivimus.* Et in præfatione, *Non poſſumus*, inquit, *etiam non nominatim hic meminiſſe Aldinarum, Camertis, & aliarum Editionum* — quoad licuit, *harum etiam notabilia enotata ſunt.* Verba *quoad licuit* videntur hoc ſignificare, invitum caruiſſe Camertis exemplo virum doctiſſimum, & noluiſſe fateri. Sic in teſtimoniis & judiciis, quæ undique, ex præfationibus etiam congeſſit, Camertis nomen

nomen deſidero. Nec memini alias me obſervare adductas in Barthiano commentario lectiones Viennenſis editionis proprias. Nicolaus quidem Heinſius candidius ita (præf. edit. poſt. * p. 16) *Vidi, & qui laudarent exemplar a Camerte caſtigatum, quod fruſtra quæſiui hactenus, uti & de ſe teſtatur Barthius.* Eo igitur lubentius feci, ut diligenter varietatem lectionis Viennenſis enotarem. Et tamen non ita diligenter id a me factum fateor, ut non relictus ſit ſpicilegio locus. Nam de aliis ne dicam, forte ſecure nimis prætermiſi ultima operis folia. Nempe a pag. 6, 1, b. habentur *Errata*, ſive ut ipſe vocat *commiſſi inter imprimendum defectus.* In his poſtea deprehendi conjecturas & emendationes ex MSS. inſignes, quibus poſteriores uſi ſunt, quod de Iſingrinio ſtatim oſtendetur, in easdem certe lectiones inciderunt. Utrum quædam ibi ſint, quibus etiam, ut nunc eſt, juvari poſſit Claudianus, non dixerim, nec ſatis jam vel otii eſt vel voluntatis, ut denuo cum pulviſculo omnia excutiam. Satisfactum puto officio erga manes & memoriam Camertis, quod hic indico in maximis Claudiani Evergetis illum merito ſuo referendum, & mereri illius labores diligenter conſervari ab his, qui etiam hanc particulam hiſtoriæ ingeniorum exſtare malunt quam ſepeliri. De meo conſilio dictum ante n. VI. Hic illud adjicio, quod ad notitiam hujus editionis pertinet. In his ipſis erratis, ad Victoriam Stil. contra Alaricum (nobis 26, 18) ſcribit Camers, *Correximus ex vetuſto exemplari* toto: *in alio vetuſtiſſimo Codice, quem apud Aldum Ro. reliquimus*, Tomari. Eandem ob cauſam de Catalogo operum Claudiani illud hic ſubjicere placet:

Quæ Joannes Camers Ordinis Minorum addidit, nondum antehac impreſſa:
Claudiani laus Chriſti. Proles.
Claudiani miracula Chriſti. Angelus.
Claudiani laudes Herculis. Pieridum.
Claudianus in Sirenas. Dulce.

Non uſum eſſe Juntam hac editione, neque Aldum, ſed eam laudatam ab Iſingrinio, & Claverios, ſtatim videbimus.

*1519 Florentiæ 8. Per hæredes Philippi Juntæ Florentiæ M. D. XIX. Leone decimo Pontifice. *Habet Bibl. Gotting.*

Præ-

Præfatur *Anto. Franciſcus Varerienſis* ad *Franc. Spinellum*, eruditiſſimum juvenem: — *Florentiam reverſus ſtatim Bernardo Juntæ noſtro — perſuadeo — Collatis ergo in unum antiquiſſimis exemplaribus, quæ potuimus vulnera Claudiano ſanavimus, ad hoc acri* Daxii *judicio uſi, adeo ut compertum habeam, te non amplius eum* Claudum *nuncupaturum.* Non uſum eſſe Juntam Camertis editione, apparet, quod non habet quatuor illa carmina ab illo primum edita. Ceterum recte conjeciſſe puto Niclaſium meum in Catalogo ſuo ad A. 1549.

*1523 Venetiis 8. Cl. Claudiani opera quam diligentiſſime caſtigata. In fine: Venetiis in ædibus Aldi & Andreæ Aſulani ſoceri, menſe Martio M. D. XXIII. *Eſt penes me.*

Præfatur *Franc. Aſulanus* ad *Nicol. de Guddis* Florentinum, Epiſcopum Firmen. *Non ſolum multa, quæ perverſe legebantur, curavimus reſtituenda: ſed totum plane opus diffuſum antea ita diſpoſuimus: ut ſummam poſſit legentibus jucunditatem afferre. huc adde quod* in Herculem *carmen non inelegans, &* de Sirenis *epigramma nos primi ex fragmento quodam vetuſtiſſimo in medium protulimus, nec tamen negamus, hæc omnia meliora melioribus exemplaribus effici poſſe.*

Geminatam Aldi Manutii editionem habuit Heinſ. V. præfat. ed. poſt. * 5, b. Ex eo, quod a ſe primum prolatum ait epigramma de Sirenibus, colligo, nec ipſi viſum eſſe Camertis exemplum.

1534. 8. Baſileæ. Cl. Claudiani poëtæ celeberrimi omnia, quæ quidem exſtant, opera ad veterum exemplarium fidem quam fieri potuit emendatiſſime excuſa, verſibus etiam aliquot, eorundem beneficio, ſuper omnes hactenus editiones ſparſim locupletata. Palma Bebelii. Baſileæ 1534.

Operæ pretium eſt de præfatione libri & ipſius rarioris quædam huc transferre. „*Carolo Utenhoveo*, „Genere & virtute vere nobili, Michael Iſingrinius „S. D. — Eſt & alia hujus (*poëtæ*) tibi dedicandi „ratio, ſingularis illa amicitiæ, communisque patriæ „neceſſitudo, quæ tibi cum eo interceſſit, qui mihi „hujus poëtæ emaculationem animam agens, veluti „amoris ſingularis ſymbolum, teſtamento ea lege

„man-

„mandavit, ut ſtudioſis quibusque *meis typis* com-„municarem. Quem tu hic mihi, inquis, Claudiani „emendatorem narras? An non hunc ipſum ante an-„nos aliquot *Jo. Camers*, non ob multijugam ſolum le-„ctionem, ſed raram etiam in juvandis optimis qui-„busque autoribus induſtriam præcipue ſuſpiciendus „vir, tanquam ab inferis revocavit? Quem equidem „fraudare laude ſua improbum plane duxerim. Plu-„rimum enim illis publice deberi credo, qui in hoc „incumbunt, ut collapſa per vetuſtatem ſcriptorum „monumenta reſtaurent. Atqui ſic fiet, ut *Michaël* „*Bentinus*, ſicut ſingulari pietatis ſtudio immortali-„tatem cum ſuperis aſſequutus eſt, ita propter exi-„miam, qua juvenis adhuc præditus fuit, & ſanctam, „qua in autorum lucubrationibus reparandis uſus eſt, „religionem æterna inter ſtudioſos commemoratione, „certatim jure optimo celebrandus ſit. Fac collatio-„nem, & videbis, quid paſſim lucis ex hujus reſtitu-„tione Claudiano noſtro acceſſerit: quot ubivis loco-„rum verba natali ſenſui reſtituta *): quot verſibus „ſparſim auctus, qui dum deſiderabantur, quanta ob-„ſcuritate vates laboraverit, facile ſtudioſus quivis „deprehendet. Uſus fuit exemplaribus veneranda „vetuſtate commendabilibus: quorum alterum ſup-„peditavit CAPITO, qui & ipſe præter ſyncerioris „Theologiæ profeſſionem, humanitatis ſtudia tam „juvat aſſiduo, quam ſedulam in illis operam ſemper „collocavit. Ea inquam exemplaria tam acri judicio „quam opera diligenti contulit. Contulit vero ita, „ne ambiguis in locis lectori naſuto fraus fieret: to-„lerabilem enim utcunque lectionem marginibus aſſi-„gnatam lectoris ſupercilioſi arbitrio reliquit inte-„gram. Cui caſtigationi, utpote poſthumæ, ſucceſ-„ſit alia, velut tutoris officio functa: poſtremam ſi-„quidem manum adjecit IO. HONTERUS Coronen-„ſis, qui, ut in adminiſtrandis Muſarum ſacris mire „pius eſt, ita ſuſceptum hic quoque tutoris munus „tanta fide curavit, ut non facile. niſi malignus ali-„quis, diem illi male obitæ functionis quisquam di-„cere poſſit.„ Hæc ibi. Eſt inter libros meos exem-plum hujus editionis beneficio Ill. *Weichmanni* Con-ſiliarii

*) Ne quis hinc colligat, aliquid explicationis aut interpretationis his acceſſiſſe.

ſiliarii Guelferbytani, cujus humanitas & virtutes reliquæ poëticam, qua ſuo merito floret, laudem obſcurant, certe ne ea cenſeatur faciunt. Habuit illud *Jo. Alb. Fabricius*: & ante hunc *Marquardus Gudius*, qui manu ſua, (ſæpe mihi viſa cum Vinarienſem Bibliothecam curarem) inſcripſit, *Donum Emundi Riverii ICti Aurelianenſis A. D. III Eid. Maii* MDCLXI, quo anno fuiſſe in Gallia Gudium, conſtat, cum etiam edidit Pariſiis Hippolyti de Antichriſto libellum. Præterea etiam hoc ſcripſit in prima pagina libri Gudius: *Ex Bibliotheca Jacobi Cujacii, qui paſſim ſua manu lectiones quasdam adſcripſit.* Ex auctione Gudiana igitur pervenit cum multis aliis ad Fabricium: eſtque hoc illud ipſum exemplum, de quo in præfatione poſterioris editionis Heinſius: „Marquardus quoque Gudius noſter Iſingrinianæ editioni lectiones varias a collectore incer„to adſcriptas communicavit, quod exemplar Jac. „Cujacii olim fuiſſe dicebatur. Sed excerpta hæc & „ſerius paullo ad me perlata ſunt, cum ſub prælo „jam ferveret Claudianus noſter, ut accurate ea excuti „vix potuerint, & ſupra codices plebejos, ut quod res „eſt dicam nihil ſapere aut oſtentare videbatur: cum „de iis plurimum mihi promiſiſſem, probe recordatus, „quam exquiſita quamque præclara horum pleraque „eſſent exiſtimanda, quæ ex ſchedis Cujacianis Cla„verius in animadverſiones ſuas contuliſſet„. Quibus placebit noſtras de Varietate lectionis annotationes percurrere, judicabunt, an plane nihil hic fuerit, quod prodeſſe etiam poſt Heinſianam diligentiam, &, quod majus eſt, ingenium Heinſianum, Claudiano potuerit.

* 1548. 12. Lugduni apud Seb. Gryphium. *Penes Ampl. Duvium Hannoveræ.* Sequitur ordinem, qui eſt in Baſileenſi: negligit marginalem hujus annotationem. Lemma n. 49 *de Aponis thermis* nusquam obſervavi, niſi in his duabus. Sed n. 48, 54 *Senſu*, quod Baſileæ poſitum in margine, in textu habet Gryphiana.

* 1571. 16. Cl. Claudianus, Theod. Pulmanni Craneburgii diligentia & fide ſumma e vetuſtis codicibus reſtitutus. Antverpiæ ex officina Chriſtophori Plantini 1571. Prima hæc Pulmanni editio, quod docet epiſtola præfixa cui dies adſcriptus VI Kal. Jan. A. CIↃ. IↃ. LXX. Privilegii tenor habet 22 Novemb. M. D. LXXI: ultima pagi-

pagina CIƆIƆLXXII. Ad Cl. Claudiani V. C. Opera Martini Antonii Delrio notæ, ibid. 1572. Epiſtolæ, qua auctor patri dedicavit libellum ſubſcriptum Lovanii A. D. IV. Nonas Martias, CIƆ. IƆ. LXXII. Hic auctor eſt ordinis carminum majorum hiſtorici, cujus rationem reddit in præfatione: qui in eo tantum ab Heinſiano differt, quod *de laudibus* vel *Conſulatu Stilichonis tertium*, vocat *in Conſulatum ſecundum Stilichonis* & ſubjicit *ſexto Conſulatui Honorii. Eſt penes me.*

* 1602. 4. Cl. Claudiani, poëtæ in ſuo genere principis opera, ſerio emendata, neque non aucta, ex fide vett. Codicum, qui olim in Bibliotheca Cujaciana. Cum annotationibus perpetuis St. Claverii in ſupr. Curia (*Biturigis*) Advocati. Ad Sereniſſ. divinæque originis principem Franciæ Delphinum. Adjecta eſt coronis miſcella, J. Parrhaſii ſelecta, & M. Antonii Delrii notæ, ne quid huic editioni deeſſe videatur. Pariſiis apud Nicol. Buon in monte D. Hilarii ſub ſigno D. Claudii. M. DCII. cum privilegio regis. *Habet Bibliotheca Gottingenſis.*

De præfatione hæc delibamus: *Quis Jo. Camertem digne laudaverit, e cujus epomide* (ſic, puto, vocat cucullam S. Franciſci) *quod rarum ſimul ac præclarum eſt, hic poëta quantus quantus mira luce & candore, quantumvis ſenili conſpicuus ſe mihi vel in traſitu exeruit.* Deinde Parrhaſium, Delrium, Pulmannum ſuis mactat elogiis, ſed nihil ſingulare aut ignotum habentibus. De Cujacio quid dicat, cum rarus jam olim fuerit liber, ponamus: „Cum præ„ſertim apud Jacobum Cujacium, virum omni modo „illuſtrem agenti duo Claudiani exemplaria, antiqua „manu exarata, ſe obtulerint, unde poëta, quem in „oſculis habebat, convaluerit jam plane, aut certe „multo minus æger ſit præſtitus. tum vero adeo gra„tia valebam, ut diceret, ſuos poëtas mihi vel poſ„ſione vel uſu brevi datum iri. Sed non ego illi ni„mium credulus, quippe noveram ipſum me etiam „id ætatis. Ut ut ſit, ejus benignitate vel opera, con„textum noſtri auctoris in mundum redegimus: uſi „inſuper codice Gryphiano, in cujus ora varias le„ctiones aliunde expreſſerat. At triduo poſt repe„tiit, aliquando enim de ſuis vigiliis erat anxius, ad „usque umbram ſuſpicionis. quod minime mirum: „nam & in his amoribus magnum ſæpe a rivali aliquo „peri-

„periculum. Itaque ante luſtrum, aut plus eo, ut „reſcivi, eundem librum eſſe in Muſeo V. C. H. Picaultii ſplendide eruditi & faventiæ pleni, ad eum „volavi curriculo, voti mei, ut reapſe paruit, compos futurus. Exinde profecto pleraque olim feſtinando præterita non ſine voluptate collegi. —— „P. Gnoſii judicis optimi, nec parvi inter literatos „nominis Schedia ut placitum inſpexi: e quibus auctarium ſatis amplum repræſentare potui — omnes „etiam editiones fere delibavimus, nec ulla freti „conjectura.„ De hac editione ita Caſp. Barthius in præfatione ſecundæ ſuæ: „Laudem præcipuam meretur, quæ ex Cujacianis libris & obſervationibus „a Stephano Claverio Pariſiis edita in ſatis ampla & „ſplendida, paullo poſt a Joſepho Scaligero in minutiſſimam formam, ſolo tamen, ut vocamus, textu, „redacta, & a Plantinianis eſt ſæpius recuſa. Totam hanc corrigendam, probandam, examinandam, „in noſtra hac promulgatione reponendam, duximus.„ Eſt qui Claverianæ huic editioni adjectum etiam memoret *Jo. Tornorupæi* commentarium ad carmen de tertio & quarto conſulatu Honorii. In noſtro quidem exemplo nullum ejus rei veſtigium deprehendebam. Floruit autem eo tempore & in Perſium notas edidit Tornorupæus Pariſ. 1601. 4.

1603. 24. prodiſſe videtur editio, de qua in ſua præfatione Heinſius: *Raphelengianam omnium quot vidi optimam, quam Scaligerum recenſuiſſe volunt, exprimendam curavi, ſublatis tantum hic illic conjecturis viri maximi non nullis, quas in contextum temere admiſerat typographus.* Hanc recuſam puto

1620 itemque

1628. 24. apud Jo. Janſſonium. Habui hujus exemplum: ſed & ob typorum minutiem non multum illo uſus ſum, qui putarem vix relictum quidquam poſt Barthium Heinſiumque, obſervabile: & tamen diſcrimen quoddam hic quoque notavi: quod accurate perſequi neque tempora mea, neque ſtudium parcendi oculis mox ſeptuagenariis, patiebantur. Itaque quod exiſtimabam aliquamdiu, eandem vim eſſe notarum mearum *Scal.* & *Raph.* & *Janſſ.* illud ut ſine exceptione verum ſit, jam metuo.

1630. 16. in Catalogo ſuperiori commemorata videtur illa, quam Amſtelædamenſem Cæſiorum (*Blæuw*) memorat Heinſ. ad 26, 147.

1630.

*1612. 8. Claud. Claudiani poëtæ prægloriofiſſimi quæ exſtant. Caſpar Barthius recenſuit, & animadverſionum librum adjecit. Hanoviæ in Bibliopolio Willieriano.

De hac ipſe in præfatione animadverſionum, „Solam „Pulmanni editionem, anno 1596 recuſam ſecuti in „emendando auctore ſumus, quam & cum omnibus „vitiis & virtutibus in textu exprimendam juſſimus, „ut conſtaret lectori potius ex animadverſionibus, „quam cum periculo ſcriptoris, quid corrigendum & „mutandum cenſeremus. --- Pulmanni fidem in MSS. „librorum lectionibus proponendis ſecuti ſumus. — „MSStos alios conferre non lubuit. Nam ſi tot illi „nihil potuerunt melioris notæ adferre, unde Claudia„ni inſignes nævi emacularentur, ſupervacuum arbi„tratus ſum, bonas horas in unius alicujus MSSti „collatione corrumpere.„ Plura ſunt in eam ſententiam: ſed quæ bene eſt, quod retundere judicium hominis XXIV tum annorum non potuit Heinſianam diligentiam: quod ipſe Barthius XXXVIII annis poſt judicavit & egit aliter. Nempe

*1650. (quædam exempla præferunt A. 1654) 4to prodiit, Claudii Claudiani, Principum Heroumque Poëtæ prægloriofiſſimi quæ exſtant. Caſpar Barthius ope ſeptemdecim manuſcriptorum exemplarium reſtituit: Commentario multo locupletiore, Grammatico, Critico, Philologo, Hiſtorico, Philoſophico, Politicoque, ita illuſtravit, ut auctor pretioſiſſimus omni ætati, Scholaſticæ, Academicæ, Aulicæ, Politicæque eſſe debeat ex commendato commendatiſſimus. Francofurti apud Jo. Naumannum, Bibliop. Hamburgenſem.

In Præfatione de ſua priore ita, nec falſo prædicat, „Primi velut penitius arcana ejus ſumus ingreſſi, ta„li certe opera, quæ vel ſola eum totum nobis & „communi mortalitati reddere potuit explicatiorem, „caſtigatiorem, & per omnia commendabiliorem. „Ab eo tempore plus ſubſidiorum adeptis reſumere „eandem operam, & quidquid in eodem præſtitiſſent „alii examinare, itaque pretioſiſſimum ſcriptorem ex„cipere, ut primum, quoad ejus fieri poſſet, redde„remus emaculatiſſimum, deinde & clariſſimum. — „Conquiſitis itaque veteribus libris, adhibitis docto„rum hominum commentationibus, & omni genere „veteris Philoſophiæ Philologiæque, nullumque fe„re veræ legitimæque Antiquitatis auctorem inta-

„ctum relinquentes, eum confecimus noſtro ſolum „Marte, ſatis amplum liberumque commentarium, „quem hac editione exhibemus.„ Et ſane, cum mythologiæ, hiſtoriarum, ſententiarum præſtantiſſimarum copia abundet Claudianus, harum rerum omnium faviſſas quasdam conſtruxit Barthius, ut, cui volupe eſt, poſſit illis, tanquam locis communibus uti. Quod autem eſt de critica opera, ne illa quidem contemnenda; ſuperatus hac parte citra omnem dubitationem eſt a Nicolao Heinſio, quem Servatorem quendam & Soſpitatorem veterum poëtarum merito ſua & proxima ætas celebrarunt.

1654. Hunc annum præ ſe ferunt obſervante Fabricio exempla quædam editionis Barthianæ poſterioris. Et poteſt ſuſpicionem injicere novæ editionis illud, quod ſaxum hoc volviſſe Barthium, oſtendit viri epiſtola ad Daumium, Lipſiæ 3 Sept. 1651 ſcripta, quæ habetur in Miſcellaneis Lipſienſ. novis Vol. 8 p. 718 ubi queritur, ſe vix unam Claudiani paginam, certe non ultra duas toto biduo extricare poſſe: itemque p. 722, ducenta minimum capita in Adverſariis editionem præſtolantibus eidem auctori data. Verum, nihil eum abſolviſſe, alia epiſtola docet p. 720 ſq. ubi, *Claudiani*, inquit, *recenſionem aggreſſus eram, ſed cogor deponere. Interim & porro in perpetuum manent in marginibus Claveriani textus notæ novæ cum veteribus indeſcriptæ, magnam partem veteres, novæ vero prorſus omnes, non nullo damno poſteritatis, niſi meipſum ipſe ego fallo. Nam certum eſt, ne ad piſtrinum hoc redeam cum detrimento viſus & totius corporis, Claverianum illud exemplar prima occaſione longius amoliri, quod omnis Chironis ſecta tantum non imperat. Si tibi placet* (ad Daumium ſcribit 16 Dec. 1651) *quod mihi voluptati etiam erit, comparare licet; nam ſine meis notis liber eſt pretioſus, & nullibi parabilis; ut ſic & hac cura liber vivam: alioquin enim metuo, ne anus ad armillas aliquando revolvar* *). *Heinſii editionem nunquam vidi. Duo exemplaria, quæ hic fuerunt, illico evanuerunt.* (Nempe eo tempore Lipſia nihil minus erat quam librariæ mercaturæ metropolis) *Vellem tuo beneficio illam poſtea evolvere uno biduo.* Denuo ſcrupulum injicit

*) Facere parat bonus ſenex ſimile quiddam iis, qui ut illam naſi picam, morbum non inter leviſſimos, ejiciant, pyxides quas habent pretioſas illius veneni donant amicis. Quidni inimicis potius?

cit proxima epiſtola, 14 Jan. 1652 ſcripta, cujus pluſcula deſcribere non piget, quando multi hoc ſæculo, nec ſine cauſa vel guſtu minutias etiam literarias amant. Ita vero ſcribit: *Pro tua erga univerſum bonum literarium eximia voluntate apprime feciſſe videris*, Claudiano *noſtro tuam recenſionem conſpondendo, mi amantiſſime* Daumi. *Sic poterit tandem ἀποτελέσματι quopiam mactari, ad omnem poſteritatem utili & nobili, ſummus Poëta. Infinita ex* Claverianis *marginibus accidi poterunt, & meæ notæ prudentius excudi, ut minor moles fiat. & ita nullo diſcrimine* Heinſiana *omnia adjici, ut &* Claveriana, *qui homo caret lectione, eloquentia, & non raro etiam judicio, & tamen ne unus quidem apex ex ejus notis præteriri poteſt; quod felicitatis diligentiæ ejus erga* Cujaciana *reperta debemus.* Igitur forte præſtitit, quod hic rogatus eſt, Daumius? qui ad Reineſium ſcribit A. 1651 9 Martii, epiſt. 20 p. 59 ſe jam in Barthianum Claudianum concinnare Indices Verborum, Auctorum, Rerum. At idem Daumius in præfatione Papinio Barthiano præmiſſa, ubi diligenter reliquias Barthianas recenſet, Idibus Majis 1664, huius rei ne verbo quidem meminit.

1641. 12. Lugduni Batavorum cum notis Nic. Heinſii prodiiſſe memoratur Claudianus, tum alias, tum in Crenii animadverſionum To. XII p. 33. Quod unde ortum ſit, non dixerim; falſum eſſe, ſatis oſtendit ejus, quam ſtatim laudabimus, editionis præfatio. Lubuit tamen quærere. Habemus vitam viri diligenter ſcriptam a Petro Secundo Burmanno, Adverſariis illius præmiſſam, qui & illa Sylloge patrui ſui, cujus potior pars pertinet ad Heinſium, & aliis præſidiis omnibus uſus eſt. Ibi diſcimus, anno ſæculi illius XLI, qui erat vitæ Heinſii XXI, illum quidem jam cœpiſſe operam dare comparandis MSS. etiam Claudiani: quin ſcribit ad illum jam A. XXXIX, XIV Kal. Dec. Gronovius, Vol. 3 Ep. 77 p. 86 *Gaudeo te recenſionem illius magni poëtæ* (de Claudiano ſermo eſt) *meditari. Quidquid ipſe conferre poſſum, conferam libenter.* Sed ex toto vitæ & epiſtolarum tenore laudataque modo præfatione, illud apparet, abſolutas eſſe notas demum A. XLIX in ipſo itinere in Sueciam rogatu Chriſtinæ ſuſcepto, commiſſamque editionis curam Gronovio. Undecunque ſit igitur ille numerus, falſum eſſe, & ex quocunque cujuſcunque errore ortum, mihi non eſt dubium.

1650. 12. Heinſiana prior ex Elſeviriana officina prodiit. Ita confeſſa ſunt Nicolai Heinſii de poëtis merita, ita ſupra omnem ingenii & doctrinæ aleam poſita, quæ ad Virgilium, Ovidium, Valerium Flaccum, Silium Italicum emendandos ornandosque contulit, ut laudare volenti ne occinatur metus ſit, Quis enim vituperat? Ea porro habuerat rei bene gerendæ ab ipſa familiaritate cum his quos Claudianus imitatus eſt, a MSStis quorum XXVIII recenſet, & collationibus veterum librorum, jam hoc tempore præſidia, ut egregia omnia vel hinc ſuſpicari liceat. Curavit editionem per ipſius abſentiam Jo. Fridericus Gronovius, quo viro nihil erat accuratius, oculatius, honoris amici ſui ſtudioſius. Itaque hæc prior editio alteri, quantum ad emendationis ἀκρίβειαν, etiam præferenda mihi videbatur. Ad alteram anni

1665. 8. nova doctrinæ ſuæ incrementa, & decem novorum codicum ſubſidia, cum attulerit, quantum ea res profuerit Claudiano, facile eſt ad intelligendum. Videtur non ſatisfeciſſe Heinſio diligentia ejus, qui typis præfuit, ſive is Schrevelius fuit, qui Variorum, Barthii præcipue notas attexuit, ſive alius. Scribit enim ad Gronovium To. 3 Sylloges Burm. p. 514 *Invitus deprehendo, mendas complures huic operi irrepſiſſe.* Circa orthographiam etiam ſæpiuſcule diſceſſum ab Heinſiana ratione video. Quo lubentius feci, ut in hac editione priorem illam potiſſimum typographis exprimendam traderem. Sed quæ de hujus viri ſtudiis, virtutibus, meritis legere Claudiani ſtudioſi vellent, ea ego integra ſervanda doctiſſimo viro, quem in paranda nova editione occupari audio, cenſui: cui quidem faventem & hujus operis & Anthologiæ Latinæ cauſa Lucinam optare, qui has literas amant, par eſt. Hic forte excutietur etiam illa Jac. Gronovii querela, quam intexuit exercitationibus de pernicie & caſu Judæ p. 173 ſq. quæ, ne repetamus more illius viri dicta acerbius, hanc certe vim habet, ut quæ in hoc genere ſumma putantur, ea tamen non præſtent nobis, ne hiſtoricam quidem ubique ſecuritatem, nedum excludere debeant judicium longo uſu & multa lectione firmatum. In primis obſervaſſe mihi videor, in libris de Raptu Proſerpinæ remiſiſſe aliquantum ſummi dum viveret viri diligentiam. Supereſt, ut illi quibusdam certe locis noſtra non infeliciter ſucceſſiſſe, æquis judicibus videatur.

XIII

INDEX CARMINUM

CARMINA MAJORA

1 *Conſulatus Olybrii & Probini.*
2-5 *In Rufinum libri duo, cum præfationibus.*
6. 7 *Tertius Conſulatus Honorii Aug. cum præfatione.*
8 *Quartus Conſulatus Honorii.*
9. 10 *Epithalamium in nuptias Honorii cum præfatione.*
11-14 *Feſcennina.*
15 *Bellum Gildonicum.*
16. 17 *Conſulatus Mallii Theodori c. præfatione.*
18-20 *In Eutropium libri duo c. præfat.*
21-24 *Conſulatus ſ. de Laudibus Stilichonis c. præf.*
25. 26 *Bellum Geticum c. præf.*
27. 28 *Sextus Conſulatus Honorii c. præf.*
29 *Panegyris Serenæ dicta.*
30. 31 *Epithalamium Palladii c. præf.*
32-36 *Raptus Proſerpinæ Libri tres c. præfationibus.*
37. 38 *Gigantomachia cum fragmento Græco.*

EPISTOLAE

39 *Ad Hadrianum.*
40 *Ad Serenam.*
41 *Ad Olybrium.*
42 *Ad Probinum.*
43 *Ad Gennadium.*

EIDYLLIA

44 *Phœnix.*
45 *Hyſtrix.*
46 *Torpedo.*
47 *Nilus.*
48 *Magnes.*
49 *Aponus.*
50 *Pii fratres.*

EPIGRAMMATA

51. 1 *De mulabus Gallicis.*
52. 2 *De ſene Veronenſi.*
53. 3 *De apro & leone.*
54. 4 *Deſcriptio armenti.*
55. 5 *De Concha.*
56-62. 6-12 *De Cryſtallo.*
63-65. 13-15 *De Cryſtallo Græca.*
66. 16 Εἰς μιμάδα γηράσασαν.
67. 17 Εἰς δοῦλον τυπηθέντα παρ᾽ αὐτοῦ.
68. 18 *In ſphæram Archimedis.*
69. 19 *De Polycaſte & Perdicca.*
70. 20 *De Zona equi regii miſſa Honorio.*
71. 21 *De Zona miſſa Arcadio.*
72. 22 *De chlamyde & frenis.*
73. 23 *De freno, phaleris & cingulo.*
74. 24 *Deprecatio ad Alethium.*
75. 25 *In Curetium.*
76. 26 *In eundem.*
77. 27 *In Jacobum Magiſtrum equitum.*
78. 28 *Rimanti telum ira facit.*

ALIA QUAE CLAUDIANI NON VIDENTUR

79. 29 *In Podagrum.*
80. 30 *De Theodoro & Hadriano.*
81. 31 *Ad Aeternalem.*
82. 32 *Ad Maximum.*
83. 33 *De locuſta.*
84. 34 *De balneis Quintianis.*
85. 35 *Deſcriptio portus Smyrnenſis.*
86. 36 *Eſt in ſeceſſu longo locus.*
87. 37 *De quadriga marmorea.*
88. 38 *Fragmentum.*
89. 39 *De paupere amante.*
90. 40 *De eodem.*
91. 41 *De ſepulchro ſpecioſæ.*
92. 42 *De birro caſtoreo.*

93.

93. 43 *De Hippopotamo.*
94. 44 *Quæ in menſa de Sardonyche.*
95. 45 *Carmen Paſchale.*
96. 46 Εἰς τὸν Σωτῆρα.
97. 47 Εἰς τὸ δεσπότην χριστόν.
98. 48 *Laus Chriſti.*
99. 49 *Miracula Chriſti.*
100. 50 *In Sirenas.*
101. 51. *Laus Herculis.*

XIV

ORDO CARMINUM

Non videtur digeſſiſſe ſcripta ſua ipſe Claudianus, quod de majoribus facile intelligitur, quæ ſeparatis voluminibus diverſo tempore ſint edita: verum nec minora in libros compoſuit, ut Catullus, Horatius, Papinius, Martialis: ſed vagari ea ac palari paſſum arbitror; niſi forte periit tota collectio, ſervatæ ſunt particulæ. Quod ad impreſſos typis attinet, editiones neſcio an duæ plane conveniant, præter Heinſianas. Primi editores ſecuti videntur MSStos ſuos. Vicentina quidem, & Camertis Viennenſis, & Baſileenſis Iſingrinii ſuam ſibi viam eunt, & ſic reliquæ. quare operæ pretium duxi, cum ad laborem hunc accederem, in tabellam conjicere collationem editionum quæ ad manus erant, quæ deinde illam evolvendi moleſtiam levaret. Hanc porro tabellam nolui invidere his, qui forte in poſterum tanti putabunt diverſas inter ſe editiones conferre. Ceterum carmina majora Claudiani primus hiſtorica ſerie diſponenda ut eſſent, oſtendiſſe videtur Delrius, qui notas ſuas eo ordine digeſſit, ejusque rei rationem in præfatione reddidit. Eundem imitata eſſe debet Pulmanniana editio A. 1596. Hanc enim expreſſit Barthiana prior, quæ cum Delriana illa diſpoſitione fere convenit. Sed in alia omnia Claverius abiit, & plane a ſua priore & omnium aliorum ratione diſceſſit Barthius. Heinſiana utraque & Pyrrhonis, ut inter ſe, ita cum Delriana diſpoſitione quantum ad majora opera, plerumque conveniunt. Sed en tibi, Lector, tabellam.

Numeri Delphin.	Tituli Heinſiani Elementorum ordine in ſuis claſſibus diſpoſiti	Vic. 1482	Vien.1510	Junt. 1515	Ald. 1523	Baſ. 1534	Plant.1572	Clav.1602	Janſ. 1628	Barth.ſ.1612	R. 2 1650
	O P E R A										
6. 7	Conſulatus Honorii III	54	60	91	89	89	163	127	109	42	58
8	- - - - IV	57	64	95	93	94	171	135	114	50	40
27.28	- - - - VI	83	107	60	104	107	192	151	129	225	47
16.17	- - Mallii Theodori	64	76	106	121	120	213	168	145	107	4
1	- - Probini & Olybrii	99	133	124	116	152	266	205	153	1	1
21	- Stilichonis I	68	84	38	50	127	225	177	160	160	8
22	- - - - II	73	91	45	56	135	237	186	168	173	12
23.24	- - - - III	79	99	53	64	144	253	197	180	189	17
9.10	Epithalamion Honorii	49	53	32	83	167	280	225	195	76	56
11.14	(Feſcennini)	47	50	20	161	165	275	220	203	72	54
30.31	Palladii & Serenæ	0	183	151	159 167	200 175	293	232	207	296	36
18	in Eutropium I	53	28	71	30	42	86	63	55	119	94
19.20	in Eutropium II	39	39	80	38	53	102	73	68	137	99
25.26	Geticum B.	91	120	113	70	76	142	109	94	207	21
37	Gigantomachia 38 Γιγαντομ.		166	137	172	186	309	247	210	301	72
15	Gildonic. B.	27	18	20	20	66	124	96	82	89	28
32.33	Raptus Proſerpinæ I	2	138	154	127	1	17	3	7	247	59
34.35	- - - II	6	143	159	132	7	29	13	14	259	63
36	- - - III	10	151	167	140	15	42	25	23	272	67
2. 3	in Rufinum I	16	1	4	5	24	56	36	34	10	84
4. 5	- - II	20	8	11	10	32	69	48	43	24	89
29	Serenæ Panegyr.	0	173	142	155	157	291	212	189	288	34
	EIDYLLIA										
49	Aponus		163	133	169	183	324	243	223	317	77
45	Hyſtrix		181	149	165	197	328	266	220	322	26
48	Magnes		162	132	168	181	322	241	227	315	79
47	Nilus		164	135	171	185	327	245	225	321	79
44	Phœnix		160	120	152	179	318	239	218	312	75
50	Pii fratres		182	150	166	198	342	268	230	335	81
46	Torpedo		171	145	175	191	334	255	221	327	77

Delph.		Vien.	Jun	Al.	Baſ.	Pl.	Cl.	Jan	B. 1	B. 2
	EPISTOLÆ									
43	ad Gennadium	183	151	167	199	218	269		311	75
39	- Hadrianum	158	129	150	178	313	237		306	73
41	- Olybrium	178	147	165	195	317	261		310	74
42	- Probinum	179	147	164	195	317	262		311	75
40	- Serenam	171	140	153	192	315	255		308	74
	EPIGRAMMATA									
74	ad Alethium deprecatio	165	136	172	185	331	246	234	325	83
53	de Apro & Leone	170	140	175	191	333	254	222		77
54	Armenti deſcriptio	180	149	165	196	346	264	223	335	77
72	de Chlamyde & frenis	173	142	0	194	335	258		329	82
55	de Concha	172	142	0	193	335	257	227	329	79
56-64	de Cryſtallo	177	146	163	194	337	259	228	330	80
75	in Curetium 1 & 2	170	139	175	190	332	253	234	326	83
73	de Frene, phaleris & cingulo	173	142	0	0	336	258	233	329	82
77	in Jacobum	170	139	175	191	344	253	235	337	85
51	de Mulabus Gallicis	0	139	174	190	332	252	222	325	77
70. 71	de Phaleris (Zona) Arcadii & Honorii	172	141	0	193	335	257	233	328	82
69	- Polycaſte & Perdicca	181	149	165	197	341	266	232	334	82
68	- Sphæra Archimedis	179	148	164	196	338	262	231	331	81
80	- Theodoro & Hadriano	183	151	167	199	344	269	235	337	83
52	- Veronenſi ſene (de Zona V. Phaleræ)	0	130	151	179	330	238	231	324	81
	ALIENA									
81	ad Aeternalem	180	0	165	196	340	264	217	333	74
84	Balneæ Quintianæ	180	148	164	196	339	0	225	332	78
92	de Birro Caſtoreo	179	148	164	196	339	263	234	332	83
98	Chriſti laus	168	0	0	188	346	250	236	339	84
99	- - miracula	169	0	0	189	347	251	237	340	84
86	Eſt in conſpectu	180	149	165	196	340	265	226	333	79
88	Fragmentum	0	0	0	0	333	0	231	327	81
101	Herculis	186	0	148	162	290	217	237	346	107
83	de Locuſta	170	140	175	191	339	254	222	0	77
82	ad Maximum	182	150	166	198	341	267	217	335	75
95	Paſchale carmen	168	138	174	188	345	249	236	338	84
89	de Paupere amante	182	150	166	198	342	267	232	335	82
79	in Podagram	182	150	166	0	341	267	235	334	83
87	Quadriga marmorea	180	149	165	197	341	268	[illegible]	334	81
78	Rimanti telum	180	149	165	0	340	265	235	334	83
100	in Sirenas	188	0	150	200	344	269	229	337	81
85	Smyrnenſis portus	180	148	165	0	339	265	226	333	79
91	Sepulcrum Speciosæ	179	148	164	196	339	264	232	332	82

XV

STATVA CLAUDIANO POSITA

Hujus rei meminit ipſe poëta, Præf. B. Get. ſ. 25, 7: & favit illi fortuna ut non ipſa quidem imago corporis ſervaretur: quantillum hoc futurum erat ad imaginem ingenii in carminibus expreſſam? ſed titulus imaginis in tabula marmorea. Inventa hæc in domo Pomponii Læti: editaque a Mazochio p. 8, a Grutero p. 391, 5. Læti fidem in dubium vocat vir doctus in *Giornale de' Letterati d' Italia* To. 22 p. 400. Ponemus duorum inſignium virorum de illa verba. Janus Parrhaſius in vita, quam ipſo anno MD cum libris de raptu Proſerpinæ edidit, *In vita tantus fuit, ut Arcadio Honorioque gratus ampliſſimis ab utroque honoribus honeſtaretur, & ſtatua, cujus* baſis in foro Trajani *inter urbis ruinas effoſſa* nuper *eſt, cum hoc elogio* CL. CLAUDIANO, quod totidem deinde quot hic literis refertur. Accurate illum attendiſſe, inde apparet, quod *ſcitu dignum* obſervat, *Virgilium per jota ſcribi.* Addit interpretationem, in qua veniam petit penultimæ in Claudiani nomine correptæ, *Virgilii mentem, Muſam quod haberet Homeri, Conſtituere duces Romaque Claudianum.* Poterat evitare offenſionem ſi placuiſſet, *Claudianum Roma & conſtituere Duces.* Heinſii autem in fine præfationis (ed. ſec.) ſunt iſta, „Inſcriptionem antiquam ab Arcadio & Honorio Impp. Augg. „Claudiani meritis in foro Trajano olim dedicatam, ibidem„que ante annos propemodum ducentos erutam, quæ ima„gini ejus æneæ, cujus ipſe meminit in poëmatis, ſubjecta „videtur fuiſſe, — nos coram in Farneſianis ædibus, — „Romæ inſpeximus, rudi atque impolito literarum ductu „tabula marmorea oblonga nullis admotis diſtinctionibus, „nullo ornatu adhibito expreſſam, mutilam adhæc non ni„hil adeo quidem, ut duas aut tres priores literas verſuum „trium priorum liqueret intercidiſſe, nec manifeſtum ſatis „eſſet, quid pro VIGENTES, aut quod alii prætulere, IN„GENTES ARTES, legi oporteret: cum ejus vocabuli literæ „priores truncato marmori periiſſent, tertiæ literæ dimidia„tæ pars inferior etiamnum ſupereſſet, quæ C potius literæ „quam G veſtigium manifeſte præ ſe ferret: ut perſuaſum „habeam, DECENTES ARTES exaratum fuiſſe. Pro DO„CTISSIMI IMPERATORES a manu prima illic GLORIO„SISSIMI vocabulum exſtiterat, ſed eraſum poſtea, ſic ut „primam ejus ſyllabam GLO non penitus aboleviſſet ſcul-

„ptor.

„ptor. Hæc plus ſatis operoſe, ut antiquariorum curioſitati „ſatisfieret.„ In ipſa inſcriptione nihil equidem deprehendo, quod fraudem arguat.

C L. C L A U D I A N I. V. C

CL. CLAUDIANO. V. *) C. TRI
BUNO. ET.**) NOTARIO. INTER. CETERAS
VIGENTES. ARTES. PRÆGLORIOSISSI
MO ***)
POETARVM. LICET. AD. MEMORIAM. SEM
PITERNAM. CARMINA. AB. EODEM
SCRIPTA. SUFFICIANT. ADTAMEN
TESTIMONII. GRATIA. OB. JUDICII. SUI
FIDEM. DD. NN. ARCADIUS. ET. HONORIUS
FELICISSIMI. AC. DOCTISSIMI
IMPERATORES. SENATU. PETENTE
STATUAM. IN. FORO. DIVI. TRAJANI
ERIGI. COLLOCARIQ. JUSSERUNT

ΕΙΝ ΕΝΙ ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ ΝΟΟΝ
ΚΑΙ ΜΟΤCΑΝ ΟΜΗΡΟΤ
ΚΛΑΤΔΙΑΝΟΝ ΡΩΜΗ ΚΑΙ
ΒΑCΙΛΕΙC ΕΘΕCΑΝ ****)

XVI

*) V. C. non auſim interpretari VIRO CONSULARI: ſed VIRO CLARISSIMO, quod nomen etiam infimæ Senatorum claſſi tributum conſtat, & *clariſſimorum notariorum* mentio l. 4 §. 2 C. de advoc. div. judicum. De *Patricio honore* dictum ad 25, 8, ne putes propter ea Clariſſimum vocari Claudianum, quod eſſet *Patricius*.

**) *Tribuni & Notarii* juncta dignitas. Vid. Gothofr. ad L. un. C. Theod. de mandatis Principum (1, 3) p. 29. Cellar. ad Zoſim. 5, 34. 11 & 40, 2.

***) Sic *Narſes Vir Glorioſiſſimus* eſt in Vet. Inſcr. Vid. Hagenb. Epiſt. epigr. p. 288 & 289.

****) Vix dubites, hoc epigramma velut matrem felicem fuiſſe Drydeniani illius in Miltonum, quem tertium poſt Homerum Virgiliumque cum creare poëtam vellet natura, & nihil jam poſſet majus efficere, utrumque junxerit. *The force of nature could no further goe To make a third: She join'd former two.*

XVI

AN COMES ORIENTIS FUIT CLAUDIANUS?

Quod diximus modo, in Titulo Claudiani, nihil eſſe, quod fraudem arguat, illud revocandum fuerit, ſi ille fuit Comes Orientis. Nempe habet lex 11 C. Theod. de Judæis, Cælicolis & Samaritanis (16, 8) inſcriptionem, *Arcadii & Honorii ad Claudianum Comitem Orientis.* Hunc noſtrum poëtam eſſe, Seldenus putabat de I. N. & G. 2, 9 & ipſe Gothofredus ad l. c. quem movet in primis temporum convenientia, & conſtans lectio librorum, cum una tantum Pariſienſis editio habeat *Claudium.* Sed qui potuit in titulo, ſi verus eſt, omitti dignitas, de qua Not. Imp. c. 104 ſqq. (Labbei ſ. 12) *Sub diſpoſitione Viri Spectabilis Comitis Orientis Palæſtina, Phœnice, Cyprus* &c. quindecim enarrantur Provinciæ. Si dicas, hoc honore auctum eſſe Claudianum poſt ſtatuam poſitam cum titulo, nihil dixeris. Scripta lex eſt Arcadio IV, Honorio III COSS. (A. C. 396). At ſtatuam meruiſſe ſe ait Poëta 25, 5 poſt bellum Gildonicum & quartum Conſulatum Honorii. Itaque aut titulus falſus eſt, aut alius Comes Orientis. Ne titulum hinc arguam, hæc habeo argumenta: primo non ſit mihi probabile, noſtro Claudiano, Honorianæ aulæ & Stilichoni addicto, in ipſum aſpero Arcadium, tributum ab Arcadio, vel Eutropio potius, Stilichonis æmulo, tantum honorem; deinde tacere de illo potuiſſe poëtam, in tam multiplici de ſe prædicandi occaſione.

XVII

XVII

*INSCRIPTIONES DUÆ HONORI STILICHONIS POSITÆ**)

I. REPERTA ROMÆ IN BASI MARMOREA PRÆGRANDI

FL. STILICHONI V. C
FL. STILICHONI. INLUSTRISSIMO. VIRO
MAGISTRO. EQUITVM. PEDITUMQUE. CO
MITI. DOMESTICORUM. TRIBUNO **)
PRÆTORIANO. ET. ***) AB. INEUNTE
ÆTATE. PER. GRADUS. CLARISSIMÆ
MILITIÆ. AD. COLUMEN. GLORIÆ. SEM
PITERNÆ. ET. REGIÆ ADFINITATIS
EVECTO. PROGENERO. †) DIVI. THEO
DOSI. COMITI. DIVI. THEODOSI. AUGU
STI. IN. OMNIBUS. BELLIS. ATQUE. VI
CTORIIS. ET. AB. EO. IN. ADFINITATEM
REGIAM. ††) COOPTATO. ITEMQUE. SOCE
RO. D. N̄. HONORI. AUGUSTI. AFRICA †††)
CONSILIIS. EJUS. ET. PROVISIONE. LI
BERATA. EX. S. C

II. IBI

*) Habentur apud Gruterum p. 412 n. 3 & 4. Promiſimus eas ad 21 pr. & monuimus, poſſe illam *paginam honorum* vocari, de qua ad 22, 244.

**) COMITI Boiſſard. Verum *Tribuni & Notarii Prætoriani* dignitas eſt etiam in V. Inſcr. apud Gruterum p. 464, 8.

***) ET omitt. Boiſſ.

†) *Progener* Theodoſii erat ob matrimonium cum Serena. Vid. Geneal. n. XVIII.

††) De nomine REGIAM modo M ſupereſt apud Boiſſ.

†††) Poſitus itaque videtur hic titulus mox a bello Gildonico.

II. IBIDEM REPERTA IN BASI MARMOREA SUPERNE DEFRACTA *).

. . . .

VIRO. BIS. CONSULI. ORDINARIO
MAGISTRO. UTRIUSQUE. MILITIÆ
COMITI. DOMESTICORUM **)
ET. STABULI. SACRI. ADQUE
AB. INEUNTE. ÆTATE. PER
GRADUS. CLARISSIMÆ
MILITIÆ. AD. COLUMEN. REGIÆ
ADFINITATIS. EVECTO. ***) SOCIO
BELLORUM. OMNIUM
ET. VICTORIARUM. ADFINI
ETIAM. DIVI. THEODOSI. AUGUSTI
ITEMQUE. SOCERO
DOMINI. †) NOSTRI. HONORI. AUGUSTI
POPULUS. ROMANUS
PRO. SINGULARI. EJUS
CIRCA. SE. AMORE
ADQUE. PROVIDENTIA
STATUAM. EX. ÆRE. ARGENTOQUE
IN. ††) ROSTRIS. AD. MEMORIAM
GLORIÆ. SEMPITERNÆ
CONLOCANDAM. DECREVIT

EXEQUENTE. †††) FL. PISIDIO. ROMULO
V. C. PRÆF. URBIS

Cum

*) Hanc publicavit inter Antiquitatis monumenta A. 1549. 8 Ge. Fabricius p. 41 cum hoc lemmate, *Decretum Populi Ro. Romæ in domo Cardinalis Vallæ ad circum Flaminium, hactenus non impreſſum*: & integram poſuit ab initio ſic, *Flavio Stiliconi clariſſimo viro* &c. Itaque videtur tum fuiſſe integrum marmor. Neque vero fugit virum inſignem, quod ipſe ad Poëtas Chriſtianos Voc. *Stilico* p. 187 poſuit, *Nomen ejus Romæ in multis marmoribus deletum atque eraſum conſpicitur.* Illud hic etiam obſervaturus erat, credo, ſi truncum capite marmor jam tum fuiſſet. Exemplum eraſi nominis eſt apud Grut. p. 165, 1 ut veſtigia tamen extent, ubi V. C. ET. INLUSTRIS. MILES. ET. MAGISTER. UTRIUSQUE. MILITIAE vocatur.

**) De his titulis dictum ad 29, 191 & 193. ADQUE etiam ita ſcribitur in Fabriciano exemplo.

***) VECTO Boiſſ.

†) DOMNI Boiſſ.

††) Pro IN. ROSTRIS, *poſteris* habet Fabric.

†††) Hos duo verſus nec Fabricius habet nec Boiſſardus: ſed vidiſſe ſe teſtatur in marmora, Gudius.

Cum hac inſcriptione comparari debet titulus Diptychi Divionenſis:

EXC. SAC. STAB. ET. MM. P. OR. EXC. C. OR.

quem ita interpretatur Cangius append. ad Gloſſ. Gr. V. *Κόμης τοῦ στάβλου* p. 107, a. EXComite SACri STABuli ET Magiſter Militum Per ORientem EXConſule Conſul ORdinarius; & cum altera tabula ſ. pagina deſit, Stilichoni tribuit. Reliquam hiſtoriam qui volet cognoſcere, illum deducet Cl. Saxius in Diptycho Magni Conſulis p. 11 ſq. Utramque hic paginam faciunt Epigraphicæ epiſtolæ Cl. Hagenbuchii, & de Diptycho Areobindi COS. diſputatio, Diptycho Quiriniano ſubjuncta, ad quam transfert ſcilicet, qui Stilichonis putabatur eſſe, titulus. Eſt ille Hagenbuchius, cui tantum debent Muſæ lapidariæ & eburneæ, quantum neſcio an hodie nemini. Nobis non licet modo longioribus, quibus ſatis eſt indicaſſe fontem, unde irrigari poſſint quæ tenuiter dicta ſunt ad 29, 193. Addimus modo in eorum gratiam, qui non deponere de manibus hunc librum, & tamen inſpicere Stilichonem etiam ab altera parte volunt verſus Rutilii itiner. 2, 41 ſqq.

Quo magis eſt diri facinus Stilichonis acerbum
Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur eſſe ſuperſtes,
Crudelis ſummis miſcuit ima furor;
Dumque timet, quidquid ſe fecerat ipſe timeri,
Immiſit Latiæ barbara tela neci.
Viſceribus nudis armatum condidit hoſtem,
Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipſa ſatellitibus pellitis Roma patebat,
Et captiva prius quam caperetur, erat.
Nec tantum Geticis graſſatus proditor armis,
Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam conſumti funere torris,
Niſæum crimen flere putantur aves
At Stilicho æterni fatalia pignora regni,
Et plenas voluit præcipitare colus.
Omnia tartarei ceſſent tormenta Neronis,
Conſumat Stygias triſtior umbra faces.
Hic immortalem, mortalem perculit ille:
Hic mundi matrem perculit, ille ſuam.

XVIII

GENUS THEODOSII M AUGUSTI

Theodoſius Comes Africæ (Aurelio Victori Epit. 48 pr. Honorius) ex Hiſpania & gente Ulpia Trajani oriundus (vid. ad 7, 189) rem geſſit in Britannia & Africa. V. 7, 52. 8, 24. 29, 40 ſq. mortuus A. 377. Ux. Thermantia.

Fl. THEODOSIUS M. n. 346. Cæſar Aug. ab 379. mort. 395. Uxores
1 Aelia Flaccilla (10, 43. 29, 69) mort. 385.
2 Galla Placidia mortua 390.

Honorius mature obiit in Hiſpania. Uxor Maria ex nobili apud Hiſpanos gente orta, ut colligere licet ex 29, 69.

Children of Theodosius M.:

ARCADIUS n. 377. Auguſtus a patre dictus 383. Imperator Orientis ab A. 395. mort. 408.

HONORIUS n. 384. Cæſ. 393. Imp. Occid. ab A. 395. mort. 423. Uxores
1 Maria 398.
2 Thermantia, filiæ Stilichonis.

Children of Honorius:

THERMANTIA Duci alicui nupta. V. 29, 114. 186 ſq.

SERENA adoptata a patruo. V. 29, 104. Cf. 24, 178. Laqueo necata juſſu Honorii, cujus ob adoptionem ſoror 70, 1, & per duas filias ſocrus erat. Maritus Fl. STILICHO Vandalus (V. ad 29, 82) Comes & Magiſter utriusque militiæ. Periit juſſu Honorii Ravennæ A. 408.

Children of Serena and Stilicho:

Eucherius (10, 338) Tribunus Notarior. Zoſim. 5, 34. Interfectus juſſu Honorii A. 408 Zoſim. 5, 37.

MARIA uxor Honorii.

Thermantia poſt ſororis obitum uxor Honorii.

I

CL. CLAUDIANI

IN

PROBINI ET OLYBRII *

FRATRUM

CONSULATUM

PANEGYRIS

Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
Volvis inexhauſto redeuntia ſæcula motu,
Sparge diem meliore coma, crinemque repexi
Blandius elato ſurgant temone jugales,

Efflan-

VARIETAS LECTIONIS

1 Flammiferis *al.* 4 rubeant *Baſ. quod placet Heinſio.*

* Fluctuat Inſcriptio. Plena nomina ponit in Faſtis A. C. 395 Pe. Relandus, *Anicius Hermogenianus Olybrius*, *Anicius Probinus*, & varietatem e legum ſubſcriptionibus, & vetuſtis lapidibus probat, e quibus etiam totam hanc familiam, matrem præſertim Probam, illuſtrat. Idem factum a Gothofredo in Proſopogr. Cod. Theod. Noſtra adnotatio poëtæ ſervire debet maxime, qua poëta & ingenioſus, & doctus, & philoſophus eſt. Igitur hic illud modo addimus, qui tres hic fratres conſules in inſcriptione ponunt, eos non a faſtis modo refelli, ſed etiam verſu 72, ubi *duobus* gratulari poëtam, apparet.

1 *Habenas* vocant Romani lorum, funem vel ſimile quiddam, quo regitur motus animalium vel aliorum corporum, ut lapidis vel glandis in funda. Potuit ergo Claudianus hac phraſi indicare motum telluris a ſole pendentem. V. ad 3,11. it. 8, 286. Neque obſtat, quod mox mutata phantaſia, redit ad imaginem poëticam, ludibundam, quæ radios lucis comparat cum coma & juba.

4 *Blandius* neque ad *elato* neque ad *ſurgant* bene accommodatum eſt.

itaque

Efflantes roſeum frenis ſpumantibus ignem.
Jam nova germanis veſtigia torqueat annus
Conſulibus, lætique petant exordia menſes.
Scis genus Auchenium, nec te latuere potentes
Anniadæ: nam ſæpe ſoles ductoribus illis
Inſtaurare vias, & curſibus addere nomen.
His neque per dubium pendet Fortuna favorem,
Nec novit mutare vices; ſed fixus in omnes
Cognatos procedit honos. quemcunque requires
Hac de ſtirpe virum, certum eſt de Conſule naſci.
Per faſces numerantur avi, ſemperque renata
Nobilitate virent, & prolem fata ſequuntur
Continuum ſimili ſervantia lege tenorem:
Nec quiſquam procerum tentat, licet ære vetuſto
Floreat, & claro cingatur Roma Senatu,
Se jactare parem: ſed, prima ſede relicta
Aucheniis, de jure licet certare ſecundo.
Haud ſecus ac tacitam Luna regnante per Arcton

Sidereæ

6 faſtigia *conj. Heinſ.* 11 pavorem *al.* 13 require *al.* 16 vigent *Plant.* 18 tentet *conj. Heinſ.* 22 Abraciam *corrector aliquis ap. Heinſ.*

itaque valde placet Baſileenſis lectio *Blandius rubeant*. Roſeus color ignis blandior eſt.

5 Cum *roſeum ignem* addit *ſpumantibus frenis*, reſpicit, puto, ad *ſpumam cruentam*, ſanguine permixtam, fortiſſimorum equorum, ut obſervarunt ad Virg. Ge. 3, 203 Servius & Cerda. Noſter ipſe de hac re 8, 548 *ſpumoſis morſibus auri exundantes ſanguine gemmas* addit. Et Plutonis equorum 35, 203 *ſanguine frena calent*. Laboravit in ea ſpuma cruenta ars Apellis, caſus illam adjuvit apud Dion. de fortuna, Or. 64 p. 591 H.

6 Perſonam facit annum, qui ad tropicum capricorni cum ſole delatus, retro flectere veſtigia, hoc enim eſt torquere, incipiat.

8 *Auchenium* nomen Aniciæ genti vindicat ex veteri lapide, qui eſt etiam apud Reineſ. 6, 4, Heinſius. Conjuncti his ſanguine vel affinitate *Annii* ſ. *Anniadæ*.

9 Conſularem dignitatem harum gentium indicat.

11 Ipſum *pendet* pulchre inconſtantiam & mutabilitatem fortunæ ſignat.

16 Filium ſequitur fortuna patris.

18 *Aes vetuſtum* potius ad ſtatuas retulerim, quam ad illud jus imaginum, quas cereas plerumque fuiſſe, novimus.

19 *Cingatur* tanquam corona. Viri illuſtres, quibus conſtat ſenatus, ſunt velut gemmæ in corona Romæ deæ.

22 *Tacitam Arcton* obſcuram ſignat, ut ſilentia lunæ: ſed *retuſum*

fratrem

Sidereæ cedunt acies, cum fratre retuſo
Æmulus adverſis flagraverit ignibus orbis.
Tunc jubar Arcturi languet: tunc fulva Leonis
Ira perit: Plauſtro jam rara intermicat Arctos
Indignata tegi: jam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem.
Quem prius aggrediar? veteris quis facta Probini
Neſciat, aut nimias laudes ignoret Olybri?
Vivit adhuc, completque vagis ſermonibus aures
Gloria fuſa Probi, quam nec ventura ſilebunt
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube vetuſtas.
Illum fama vehit trans æquora, transque remotas
Tethyos ambages, Atlanteoſque receſſus.
Audiit &, gelido ſi quem Mæotica paſcit
Sub Iove, vel calido ſi quis conjunctus in axe
Naſcentem te, Nile, bibit. virtutibus ille
Fortunam domuit: nunquamque levantibus alte
Intumuit rebus: ſed mens circumflua luxu

A 2 Noverat

23 retruſo *conj. Scal.* recuſſo *ex MSS. Barth.* 29 fata *al.* 33 Ignotam *malit Gron.* obſcura *Baſ.* 35 Atlantidos *Mſ. unde conj. Heinſ.* Atlantiacos. 36 quis Mæotida *al.* 37 convinctos *al.* cognatus *al.*

fratrem cum ponit de ſole ſub horizonte latente, phantaſia eſt ab illa immerſione in Oceanum, quo *retundi* videntur radii, vel *obtundi.* Neque tamen damnare auſim *recuſſo* h. e. repercuſſo, reflexo. Plena luce tantum radiorum fratris ſui Phœbi recutit, ut poſſit illius videri æmula.

147 *Eripere* lunæ ſuam lucem recte dicitur Saga Theſſala. Sed tamen bene obſervatum Heinſio, præpoſitionem *de* hac in re familiarem eſſe poëtis, ut Hor. Epod. 5, 46 *Lunamque cælo deripit:* & 17, 5 *Refixa cælo devocare ſidera:* & v. 78 *Deripere lunam polo. Signa*, characteres magici, ex hieroglyphicis illis ſorte orti.

149 *Imperet*, pulchre. Nam verbis imperioſis & minacibus utuntur interdum magi. Cui non notus titulus libri ſuperſtitioſi, *Vis inferis illata*, *Hællenzwang*, cui Fauſti Doctoris nomen præſcribunt. *Fluentes arboribus ſucci:* ſuffimenta magica bonam partem conſtant ſuccis & reſinis arborum. Vid. v. g. Veget. mulom. 4, 12.

152 *Scythicæ rupes vernant* herbis in *carmina* h. e. ad uſum magicum & incantationes aptas producunt. Illuſtravit hanc rationem ſimilibus Statii locis, cui debetur reſtituta hic lectio, Heinſius

153 Propria Medeæ & Circes epitheta. *Sit Medea ferox* Hor. A. P. 123.

155 *Funera traxi* e ſepulcro.

157 *Parcæ* ſunt *Fata.* Hæc vero interdum de naturali morte ſumuntur, opponunturque violentæ, ut *occupare fata* ſit ſibi accelerare mortem, cui contrarium *fato ſuo mori.*

158 *Fulmen ſtare coëgi.* Majeſtatem carmini cum varietate conciliat hæc lectio: *fulmen*, quod iam ferri huc illuc cœpit, coëgi impetum ſiſtere. Poteſtatem ſibi arrogare magos in tempeſtates, tralaticium eſt.

Me fortaſſe putes, mutatos cerne Penates.„
Dixerat: & niveæ (mirum) cœpere columnæ
Ditari, ſubitoque trabes lucere metallo.
Illecebris capitur, nimiumque elatus avaro
Paſcitur intuitu. ſic Rex ad prima tumebat
Mæonius, pulchro cum verteret omnia tactu.
Sed poſtquam riguiſſe dapes, fulvamque revinctos
In glaciem vidit latices; tum munus acerbum
Senſit, & inviſo votum damnavit in auro.
Ergo animi victus, "*Sequimur quocumque vocaris,*
Seu tu vir, ſeu Numen,„ ait: patriaque relicta
Eoas juſſu Furiæ tendebat ad arces,
Inſtabilesque olim Symplegadas, & freta remis
Inclita Theſſalicis qua celſa Boſporus urbe
Splendet, & Odryſiis Aſiam diſterminat oris.
Vt longum permenſus iter, ductusque maligno
Stamine fatorum claram ſubrepſit in aulam,
Ilicet ambitio naſci; diſcedere rectum;
Venum cuncta dari. profert arcana, clientes
Fallit, & ambitos a principe vendit honores.

Inge-

166 aſpectu *al.* 169 invito *quid. MSS.* 170 animum *MS.* vocabis *al.* 173 Inſtabiles *MS. pro* olim. diu *MSS.* 174 arce *vulg.* 175 diſcriminat *al.* 179 proferre *MS. Hinc etiam* fallere - vendere *conj. Heinſ.*

165 *Ad prima*, ὡς τὰ πρῶτα, primum: ut, *ad ultimum.*

166 *Pulchrum* eſt, quod placet: placebat ſibi valde Midas hoc tactu, efferebatque ſe ab initio.

170 *Animi victus* plane ut Virg. Ge. 4, 491 de Orpheo *Immemor heu victusque animi reſpexit.*

172 *Eoas* dicit cum relatione ad Galliam, unde Rufinus excitatur.

173 *Symplegadas* commemorat poëta, licet illæ venienti ab occidentali plaga ſint ultra Conſtantinopolin. Scilicet cum ſint tamen ſat propinquæ Cyaneæ, non voluit poëta ita ſpecioſum nomen & Argonautas ipſos, in carmine ſuo omittere. Quod dicit *inſtabiles olim*, ad fabulam alludit. Fatale enim fuit ut deſinerent moveri & *ſymplegades* eſſe adeo, cum primum navim transmiſiſſent. Χρεὼν γὰρ ἦν ἀυταῖς νηὸς περαιωθείσης στῆναι παντελῶς, ut ait Apollod. 1, 9. 22.

177 *Stamen fatorum* videtur, ultra notam metaphoram, habere reſpectum ad Ariadnæum filum, quo ductus Theſeus Labyrinthum evaſit.

180 *Ambitos*, petitos a principe, tanquam fonte: Præpoſitio *a* non notat quis petierit, ſed unde petiti ſint honores.

Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem
Nutrit, & exiguum ſtimulando vulnus acerbat.
Ac velut innumeros amnes accedere Nereus
Neſcit, & undantem quamvis hinc hauriat Iſtrum,
Hinc bibat æſtivum ſepteno gurgite Nilum,
Par ſemper, ſimilisque meat: ſic fluctibus auri
Expleri calor ille nequit. Cuicumque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuiſſent,
Rufino populandus erat, dominoque parabat
Exitium fecundus ager; metuenda colonis
Fertilitas. Laribus pellit, detrudit avitis
Finibus, aut aufert vivis, aut occupat heres.
Congeſtæ cumulantur opes, orbisque rapinas
Accipit una domus. populi ſervire coacti,
Plenaque privato ſuccumbunt oppida regno.
Quo veſane ruis? teneas utrumque licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,
Jungantur ſolium Crœſi, Cyrique tiara:
Numquam dives eris, numquam ſatiabere quæſtu.

Sem-

182 cumulando *MSS.* 185 litore *Baſ.* 186 meat *al.* 187 ſitis iſta *al.* 193 ruinas *al.* 194 manus *MSS.* 198 Cyti, Crœſique *MSS.* tiaras *conj. Heinſ.*

181 *Ingeminat*, auget, & calumniando altero tanto majus facit, nedum ut extenuet: & hoc modo iram principis alit, vulnus in pectore ipſius, quod exiguum fuerat, tanquam vnguis in ulcere amplificat: *ſtimuli* ſunt etiam inter tormenta: locus jam læſus ſtimulando incenditur.

185 Æſtate modo Ægyptum inundat Nilus. Plin. 5, 9 *Incipit creſcere luna nova quæcunque poſt ſolſtitium eſt* &c.

187 Conferri ad hanc deſcriptionem juſſit Heinſius Suidam V. *Pe-Çiros*. *Et* ſunt ibi pluſcula, quæ videri poſſint hinc ſumta: ſed in eo differt Suidæ narratio, quod ibi *plane parallelos* tractantur, eorundem flagitiorum participes, Rufinus & Stilicho.

192 Conf. 15, 166 ubi ſimilia in Gildonem, quæ ad fecundum noſtri ingenium declarandum faciunt.

195 *Regnum privatum* invidioſiſſime vocatur potentia, quam ſibi privatus arrogat. Nondum obliti erant Romani, qui hiſtorias legerent, quam invidiam haberet ipſum *regni* nomen, nedum *privati*.

197 *Lydiæ* eſt Pactolus & Hermus: *rutilus* color auri.

198 *Cyri ſolio redditum Phraaten* habemus Hor. Car. 2, 2. 17. *Tiaram* eſſe Phrygium geſtamen, docet Virg. Aen. 7, 247. it. Iuven. 6, 516. Itaque placet lectio MSS. quæ nomina regum permutat.

Semper inops, quicumque cupit. contentus honeſto
Fabricius parvo ſpernebat munera Regum,
Sudabatque gravi Conſul Serranus aratro,
Et caſa pugnaces Curios anguſta tegebat.
Hæc mihi paupertas opulentior: hæc mihi tecta
Culminibus majora tuis. tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos. mihi donat inemtas
Terra dapes. rapiunt Tyrios ibi vellera fucos,
Et picturatæ ſaturantur murice veſtes:
Hic radiant flores, & prati viva voluptas
Ingenio variata ſuo. fulgentibus illic
Surgunt ſtrata toris: hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura ſoporem.
Turba ſalutantum latas ibi perſtrepit ædes:
Hic avium cantus, labentis murmura rivi.
Vivitur exiguo melius. natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.

Hæc

201 regis *margo Baſ.* 203 tenebat *al.* 204 auguſtior *vulg.* 207 tibi ſuccos *al.* 208 ſignantur *margo Baſ.* 215 beatos omnibus *MSS. ap. Burm. ad Aen.* 6, 66.

207 *Rapiunt - fucos* eleganter, q. d. cupide & celeriter bibunt. *Fucus* non ipſa purpura, ſed *δευσοποιὸν φάρμακον*, quo imbuta primum lana profundius admittit, & ſervat fidelius pretioſum purpuræ ſanguinem. Dixi ea de re quædam ad Quintil. 12, 10. 75. Locum ibi laudatum Nov. 4, 405 poſtea deprehendi expreſſum e Platone de Rep. 4 p. 449, B. Cæterum *fucos* ſ. *ſuccos* Tyrios, quibus e MSS. *fucos* ſubſtituit Heinſius, damnare non auſim: cum præſertim *Sidonio oſtro* multum diſtent *Aquinatem potantia vellera fucum*, Horat. Epiſt. 1, 10. 26 quo ipſo etiam in loco tamen *fucum* habent primæ editiones. Et eſt frequens admodum horum nominum in MSS. permutatio.

208 *Picturatas veſtes* intelligo, quæ figuras etiam vel colore vel acu vel ipſa denique textura pictas habent: qualis apud Romanos quoque triumphalis. Plin. 8, 48 ſ. 74 *Pictas veſtes apud Homerum* (Ιλ. Γ, 125) memorat, *unde triumphales* natæ. Cic. Tuſ. 5 c. 21 *Textili ſtragulo magnificis operibus picto* imponit Damoclem. Vid. Cerda ad Virg. Aen. 3, 483 *picturatas auri ſubtemine veſtes.* Verſus Claudiani multum Maroniano inferior eſt. Hic indicatur quomodo picturatæ ſint veſtes: in illo picturatæ jam veſtes ſaturantur murice, quod *ὕστερον πρότερον* eſt, & naturæ rei adverſum.

212 *Non abruptura ſoporem*, i. non paſſura abrumpi. Herba illa ita molle

Hæc ſi nota forent, frueremur ſimplice cultu:
Claſſica non fremerent: non ſtridula fraxinus iret:
Non ventus quateret puppes, non machina muros.
Creſcebat ſcelerata ſitis, prædæque recentis
Inceſtus flagrabat amor, nullusque petendi
Cogendive pudor. crebris perjuria nectit
Blanditiis: ſociat perituro fœdere dextras.
Si ſemel e tantis poſcenti quisque negaſſet,
Effera prætumido quatiebat corda furore.
Quæ ſic Getuli jaculo percuſſa leæna,
Aut Hyrcana premens raptorem bellua Parthum,
Aut ſerpens calcata furit? jurata Deorum
Majeſtas teritur: nusquam reverentia menſæ,
Non conjux, non ipſe ſimul, non pignora cæſa

Suffi-

217 victu *MS. quod placet Heinſ.* vultu *MS.* 218 gemerent *Baſ.* & *MS.* 222 perj. miſcet *vulg.* nutrit *MS.* nectit *etiam Cuj. ad Baſ.* 223 perituras *MS.* 226 Getulo *al.* gentili *plac. Heinſio.* Getuli *etiam Vic.* 227 partus *al.* 229 nunquam *al.* 230 cæſi *MS.*

le præbet cubile domino, ita dulcem conciliat ſomnum, ut curæ illum nullæ excitent.

218 *Stridula fraxinus*, haſta cum ſibilo ac ſtridore ſindens aëra.

219 Navium uſus ſemper a poëtis ad corruptos hominum mores, & ſæcula non amplius boni metalli, refertur. V.g. Arat. 110 quamdiu Juſtitia adhuc verſabatur inter homines, Aſtræa virgo, *Χαλεπὴ ἀπέκειτο θάλασσα, καὶ βίον ὕπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον.* Ovid. Met. 1, 132 ferrea demum ætate *Vela dabant ventis* &c.

221 *Inceſtus amor*, qui ſimul religionem ac pietatem violat.

223 *Perituro fœdere*: vehementius ita, quam ſi ſimpliciter poſuiſſet, non diuturno, non diu duraturo. *Sociat dextras*, antiquum ſymbolum fidei, etiam in nummis ſæpe expreſſum. Utramque imaginem habet jam Homerus Ιλ. Β, 340 *Ἐν πυρὶ δὴ βουλαί τε γενοίατο —— καὶ δεξιαὶ ᾗς ἐπέπιθμεν.*

224 Si vel ſemel *quisque* h. e. quisquam, vel quiscunque poſcenti Rufino, de tam magnis & multis rebus, quas quotidie petebat, quidquam negaſſet.

226 *Gentili* placeret mihi, commendante Heinſio, ſi relinqueretur indicium aliquod patriæ, aut ſi unam tantum leones haberent patriam, aut ſi leones facilius gentili, quam alieno jaculo vulnerarentur.

227 Vid. ſupra v. 91.

229 *Majeſtas teritur*, conculcatur, verbum vehemens ex antiquitate repetitum. Nævius Apella apud Priſcia. 6 p. 681 ext. *Ut illum DI terant, qui primum olitor cepam protulit.*

230 *Ipſe*, qui negavit Rufino, ſimul cæſus cum conjuge & liberis.

Sed

Sufficiunt odiis: non exſtinxiſſe propinquos,
Non notos egiſſe ſat eſt: exſcindere cives
Funditus, & nomen gentis delere laborat.
Nec celeri mittit leto: crudelibus ante
Suppliciis fruitur. cruciatus, vincla, tenebras,
Dilato mucrone, parat. pro ſævior enſe
Parcendi rabies, conceſſaque vita dolori!
Mors adeone parum? cauſſis fallacibus inſtat:
Arguit attonitos ſe judice. cætera ſegnis,
Ad facinus velox: penitus regione remotas
Impiger ire vias. non illum Sirius ardens,
Brumave Rhipæo ſtridens Aquilone retardat.
Effera torquebant avidæ præcordia curæ.
Effugeret ne quis gladios, neu perderet ullum
Auguſto miſerante nefas. non flectitur annis:
Non ætate labat. juvenum rorantia colla
Ante patrum vultus ſtricta cecidere ſecuri.
Ibat grandævus nato moriente ſuperſtes
Poſt trabeas exſul. quis prodere tanta relatu

Funera,

232 notis *al.* exſtinguere *al. marg. Baſ.* 234 perimit *al.* 237 Portenti 242 Typhæo *Baſ.*

Sed *cæſi* fere malim, ut referatur ad principalem perſonam, infelicem illum maritum, patrem, propter cujus offenſionem pereunt *conjux & pignora.*

237 Acerbiſſime Cic. ad Terentiam 15, 3 *Ut tuto ſim quod laboras, id mihi nunc facillimum eſt, quem etiam inimici volunt vivere in his tantis miſeriis.* Crudeliſſime Tiberius ap. Sueto. c. 61 *precanti cuidam pœnæ maturitatem reſpondit,* Nondum tecum in gratiam redii.

239 Crudelitas Rufini fecit, ut attoniti eſſent homines etiam innocentes, cum ad hunc judicem & quæſitorem vocarentur. Sed ipſe hunc timorem indicium & argumentum commiſſi facinoris interpretatus eſt.

240 *Regione* hic non puto aliud ſignificare quam ſpatio, intervallo; penitus autem ſimpliciter augere ſignificationem, plane, quantum poteſt.

242 *Rhipæus* ſ. quod alii malunt *Riphæus aquilo*, a montibus ejusdem nominis ſpirans.

245 *Auguſto* imperatore *miſerante* & parcente, Rufinus *perdit nefas* h.e. occaſionem nefarium quid perpetrandi.

246 *Rorantia colla*, ſanguine ſtillantia.

249 *Poſt trabeas* i. poſt geſtum Conſulatum, cujus tum inſigne etiam trabea, auro diſtincta & gemmis, ut copioſe oſtendit Barthius. Vid. 1, 178. 7, 5. 22, 3.

Funera, quis cædes poſſit deflere nefandas?
Quid tale immanes umquam geſſiſſe feruntur
Vel Sinis Iſthmiaca pinu, vel rupe profunda
Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sulla?
O mites Diomedis equi! Buſiridis aræ
Clementes! jam Cinna pius, jam, Spartace, lenis
Rufino collatus eris. dejecerat amens
Occultis odiis terror, tacitique ſepultos
Suſpirant gemitus, indignarique verentur.
At non magnanimi virtus Stilichonis eodem
Fracta metu: medio ſolus ſed turbine rerum

Contra

252 Cyclops hamata *marg. Baſ.* 254 equos-aras *MS.* 256 omnes *al.* amens *etiam Vic. & Vien.* 258 indignatique *al. quod placet Barthio.* 260 medioque in *vulg.* medio ſolus ſed *al.* ſolus medio ſed *al.* ſeſe medio ſed *primæ editt.* ſeſe medio de *al.* medio ſeſe ſed *Cujac. ad Baſ.* ſolus medio qui *conj. Heinſ.*

250 *Tanta funera*, non ſimpliciter pro tot poſitum: ſed etiam tam magna.

252 Solebat *Sinis* latro Iſthmum Corinthiam obſidens inflexis pinuum cacuminibus (unde *πιτυοκάμπτης* dictus) deligare homines, & ita redeuntibus ad ingenium arboribus dilacerare, eodem deinde ſupplicio ipſe a Theſeo peremtus. Vid. Pauſa. Corinth. c.1.

253 *Sciron* infamis & ipſe latro, ſaxa quædam inter Megara & Corinthum inhabitans, inde homines in mare deiecit: ſed ipſe quoque Theſeo eandem pœnam dedit, quod idem Pauſanias tradit Atticis extremis. De Sullæ crudelitate Sen. de Benef. 5, 16 & de Clem. 1, 12 &c.

254 *Diomedis equi* carne humana paſti a domino ſuo, quem illis tandem devorandum obiecit Hercules, (vid. Diod. Sic. 4 c. 15. Ovid. Met. 9, 194 &c.) mites videri poſſunt, ſi cum Rufino comparentur. *Buſiridis illaudati aras* olim poëtarum & declamatorum materiem fuiſſe, indicat Virg. Ge. 3 pr. & ineptum illius laudatorem refellit in encomio Iſocrates.

255 Cinna, adiutor ille & revocator C. Marii, interfector Octavii Conſulis, M. Antonii oratoris, ceterorum. Vid. Vell. Pat. 2, 22 qui pulchre de illo c. 24 extr. *auſum eum, quæ nemo auderet bonus; perfeciſſe, quæ a nullo niſi fortiſſimo, perfici poſſent.* *Spartaci* nomen ſervi, qui XL millibus ſervorum collectis terrorem & clades Italiæ intulerat, humilis, audacis, crudelis, ſeditioſi appellatio facta. Vid. Vell. 2, 30. Cicero Phil. 4 extr. Antonium vocat *percuſſorem, latronem, Spartacum.*

256 *Amens terror*, vehemens & dignum ſummo poëta epitheton, quod reſtituit ex MSS. Heinſius, quod firmat antiquiſſima editio Vicentina & emendata ſane Vienenſis. Et tamen *omnes* pene neceſſarium facit illud, quod vix abeſſe poteſt accuſatiuus, unde intelligatur, quis dejectus ſit. Nec rurſus librariis ſemibarbaris deberi poteſt *amens*. Quid ſi ita poëta dedit, *Dejecerat amens Occultos odii terror.* *Occultus odii* eſt, qui tegit odium ſuum, ut *manifeſtus mendacii* &c.

Contra letiferos rictus, contraque rapacem
Movit tela feram, volucris non præpete curſu
Vectus equi, non Pegaſeis adjutus habenis.
Hic cunctis optata quies, hic ſola pericli
Turris erat, clipeusque trucem porrectus in hoſtem.
Hic profugis ſedes, adverſaque ſigna furori,
Servandis hic caſtra bonis: hucusque minatus
Hærebat, retroque fuga cedebat inerti.
Haud ſecus hiberno tumidus cum vortice torrens
Saxa rotat volvitque nemus, pontesque revellit,
Frangitur objectu ſcopuli, quærensque meatum
Spumat, & illiſa montem circumtonat unda.
Qua dignum te laude feram, qui pene ruenti,
Lapſuroque tuos humeros objeceris orbi?
Te nobis trepidæ ceu ſidus dulce carinæ
Oſtendere Dei, geminis quæ laſſa procellis
Tunditur, & victo trahitur jam cæca magiſtro.
Inachius rubro perhibetur in æquore Perſeus
Neptu-

261 peſtiferos *al.* 266 regna *vulg.* adv. hic ſigna *MS.* 270 vertitque- poſtesque *marg. Baſ.* 272 eliſa *al.* circumſonat *al.* 274 ſubjeceris *MS.* 276 lapſa *vulg.* quaſſa *conj. Heinſ.* 278 In. quondam *vulg.* rubro *etiam Cujac.*

262 Chimæræ itaque comparat Rufinum, ad quam conficiendam Pegaſo adjutore uſus eſt Bellerophontes. Apollod. 2, 3.

265 *Porrectus* illud pulchram phantaſian offert lectori propugnatoris objicientis ſe hoſti, & protendentis clipeum. Sic mox *adverſa furori ſigna* indicant exercitum ſigna inferentem in furioſum hoſtem.

267 Rufinus dum vexat perſequiturque bonos omnes *huc usque* tantum, usque ad Stilichonem ad quem confugiunt miſeri, *minatus*, ubi in hunc incidit, ſtupore & metu hæret. Ceterum plane ſimiles moribus ac ſceleribus facit Rufinum & Stilichonem Zoſimus 5 pr. it. Suidas V. Ρυφῖνος.

276 *Geminas procellas* intellige fluctus per vices utrumque latus navis ferientes. Sed interdum ſuſpicor, pro *geminis* legendum forte *Geminos* Caſtora & Pollucem, Servatores illos nautarum. *Laſſa* dicitur navis ut alias *feſſa*, quæ vi externæ non jam reſiſtit: *cæca*, pulchre: oculos enim navi præſtat gubernator, cujus miniſterio ceſſante, cæca eſt.

278 *Inachius* longa ſucceſſione, Perſeus, inſtructus Mercurii talaribus, quæ hic *alæ* vocantur, & Meduſæ Gorgonis capite, interfecit cetum, cui expoſita fuerat Andromeda ad Ioppen Syriæ, ut fama vetus vulgarat. Vid. qui laudantur Cellario N. O. A. 3, 13. 96. At noſter ponit ad mare rubrum, qua

Neptuni domuiſſe pecus; ſed tutior alis:
Te non penna vehit. rigida cum Gorgone Perſeus;
Tu non vipereæ defenſus crine Meduſæ.
Illum vilis amor ſuſpenſæ virginis egit;
Te Romana ſalus. taceat ſuperata vetuſtas:
Herculeos conferre tuis jam deſinat actus.
Una Cleonæum paſcebat ſilva leonem,
Arcadiæ ſaltum vaſtabat dentibus unum
Sævus aper: tuque o compreſſa matre rebellis
Non ultra Libyæ fines, Antæe, nocebas:
Solaque fulmineo reſonabat Creta juvenco,

280 tegit *marg. Baſ.* 287 comprenſa *conj. Scal.*

qua nempe parte Æthiopiam alluit. *Pecus Neptuni* quod vocatur cetus ſ. piſtrix, eſt Horatianum Od. 1, 2. 7.

280 *Rigida* Gorgo ab effectu, ut *pallida mors.*

286 *Arcadiæ ſaltum* Erymanthum montem.

287 Quod *Comprenſa* matre malebat Scaliger, ejus rei duas potuit cauſſas habuiſſe, primo quod *compreſſa* videri poterat incautius dictum & turpiuſcule: deinde quod *comprenſa* poteſt ſignificare, illam in ipſo caſu a filio velut complexu aſſumtam in auxilium. Ceterum fabula nota eſt. Obſervavit in certamine Hercules Antæum humo afflictum ſurgere altero tanto validiorem, *rebellis* nomine noſter exprimit, bellum reſumere auſum. Itaque ſublatum de terra conſtrictis brachiis eliſit. Splendide deſcripta & copioſe fabula Luca. 4, 590 ſqq. Ceterum, quoniam hic ſumus, admoneamus lectores noſtros facti Cæſaris, qui *prolapſus in egreſſu navis, verſo ad melius omine*, Teneo te, *inquit*, Africa! Frontinus certe 1, 12. 2 hæc verba ponit, *Teneo te, Terra mater.* Sic tenuit eam Brutus, cum illi prolapſus oſculum ferret.

289 *Fulmineus juvencus* hic prætermiſſus ab interpretibus, & in univerſum rarior eſt in laboribus Herculis. Noſtro 34, 33 *Dictæas quatiens mugitibus urbes* dicitur. Lucret. 5, 26 ſimpliciter eſt *Cretæ taurus.* Seneca Herc. Fur. 250 *Taurum centum non levem populis metum* dicit, qui eidem Her. Oet. 27 eſt *Taurus populis horridus centum pavor.* Longam fabulam Tauri Cretæ vaſtatoris, Minoi a Neptuno immiſſi, habet Pauſa. Attic. c. 27, quem eundem in Herculis laboribus fuiſſe, ait, trajeciſſe in Peloponneſum, per Argivorum campos & Iſthmum in Marathona veniſſe, interfectoque ibi Androgeo, tandem a Theſeo in Attica arce mactatum. Aliter noſter, qui ſoli Cretæ illum aſſignat, & Herculi. Cum ignis in eo mentionem nemo alius faciat, *fulmineum* interpretabar de alia vi ac celeritate: ſed video, placuiſſe etiam Quinto Calabro 6, 237 Taurum, quem in Herculis laboribus ponit, πυρπνόον appellare. Hæc paullo exſequi pluribus lubuit, cum neque hic, neque ad alterum noſtri locum annotatum quidquam eſſet a Barthio.

Lernæamque virens obſederat Hydra paludem.
Hoc monſtrum non una palus, non una tremebat
Inſula: ſed Latia quidquid ditione ſubactum
Vivit, & a primis Ganges horrebat Iberis.
Hoc neque Geryones triplex, nec turbidus Orci
Janitor æquabunt, nec ſi concurrat in unum
Vis Hydræ, Scyllæque fames, & flamma Chimæræ.
Certamen ſublime diu, ſed moribus impar
Virtutum, ſcelerumque fuit. jugulare minatur:
Tu prohibes. ditem ſpoliat: tu reddis egenti.
Eruit: inſtauras. accendit prælia: vincis.
Ac velut infecto morbus crudeſcere cœlo
Incipiens primos pecudum depaſcitur artus;
Mox populos urbesque rapit, ventisque peruſtis
Corruptos Stygiam peſtem deſudat in amnes:
Sic avidus prædo jam non per ſingula ſævit;
Sed ſceptris inferre minas, omnique peremto
Milite,

294 Geryon *vulg. ſed* Geryones *etiam Vic.* 295 æquabat *al.* 296 canes *MSS.* 297 motibus *al.* 302 primo *vulg.* 303 venis *MS.* 304 diffundit *marg. Baſ.*

290 *Virens Lerna* ſolemni venenatorum epitheto. Sic *virides lacertos* dixit Virg. ecl. 2, 9 et Hor. Od. 1, 23. 6: colubras id. Od. 1, 17. 8: Pythonem Stat. Theb. 1, 711: Dracones Id. 2, 279.

293 Ponit terminum orbis Romani occidentalem Iberos ſ. Hiſpanos, & orientalem Indos ad Gangen. *Primos* Iberos dixit, h. e. extremos. Hæc enim converti poſſunt & permutari ut altum & profundum.

294 *Turbidum* vocat Cerberum, a natura animalis inquieti, & latratu turbantis ad minimam occaſionem ſilentia.

296 *Scyllæ canes*, quos e MSS. attulit Heinſius, eruditi certe librarii ſunt: cum vix unquam ſine illis memoretur.

297 *Sublime certamen* eſt, quam diu erigit ſe uterque pugnantium, ut galli gallinacei, ut illud par Virgilianum Aen. 5, 426 *Conſtitit in digitos extemplo erectus uterque, Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.*

302 Sic peſtilentia Attica incipit a canibus. V. Lucret. 6, 1220. Sic in Æginenſi apud Ovid. Met. 7, 536 *Strage canum prima-deprenſa potentia morbi.*

303 *Venti peruſti*, auſtri calidi. Vt urere poſſint venti, ipſos prius h. e. aëra, accendi utique oportet. Porro auſtri æſtuoſi propagare peſtilentiam ſolent. Attica illa ex Æthiopia per Ægyptum & Africam venit ad Græcos. V. Thucyd. 2, 48.

304 *Deſudat* illud morbum facit perſonam, cujus ſudor inficiat vicina corpora.

Milite, Romanas ardet proſternere vires.
Jam gentes Iſtrumque movet, Scythiamque receptat
Auxilio, traditque ſuas hoſtilibus armis
Relliquias. miſtis deſcendit Sarmata Dacis,
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Maſſagetes, cæſamque bibens Mæotida Alanus,
Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus,
Rufino collecta manus. vetat ille domari,
Innectitque moras, & congrua tempora differt.
  Nam tua cum Geticas ſtraviſſet dextra catervas,
Ulta Ducis ſocii letum, parsque una maneret
Debilior, facilisque capi: tunc impius ille
Proditor imperii, conjuratusque Getarum,
Diſtulit inſtantes eluſo principe pugnas,

307 audet *al.* V. *Heinſ. hic & ad Æn.* 11, 895. ardet *etiam Cuj. ad Baſ.*
308 Jamque Getas *MSS.* retenptat *Cuj. ad Baſ.* retentat *quid. ap. Heinſ.*
312 patriamque *vulg.* patriumque bibens Mæotis Orontem *MSS. quidam, Vic. Vien.* 314 collata *al.* 316 dextera turmas *vulg.*

308 Ad Rhadagaiſum Scytharum & Gothorum ducem reſpici apparet. Sed applicare ſingula ad hiſtoriam, nec expeditum eſt, nec forte profuturum poëtæ, in ſterilitate, & barbarie & vitiis aliis ſcriptorum, unde illa petenda eſſet.

310 *Reliquias* ſuas: quæ ipſe non vaſtaverat, devoraverat, ea tradit perdenda hoſtibus.

311 *Lactea Maſſagetes qui pocula ſanguine miſcet* Sen. Oedip. 470. Etiam hodie paſſim de Scythicis gentibus talia memorantur: quam vere non dixerim.

312 *Cæſam Mæotida* vocat glaciem de palude exciſam & liquefactam in ore. De *Alanis* hic multa collegit Barthius. *Geloni picti* ſunt Virg. Ge. 2, 115 h. e. Servio interprete, *ſtigmata habentes.* De illo more Scythico vid. Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. 3, 24 ſ. 202 & quæ ibi Fabric.

314 *Vetat* Rufinus *domari* hoſtes. Perfidiæ, proditionis, tamquam inſtrumentorum ambitionis, & ſtudii privatæ utilitatis plena tum omnia, deſcribunt hiſtorici: ſed eadem etiam iis involuta tum partium, tum ſcriptorum (qui nempe & ipſi in partes eunt non minus quam hic noſter poëta) vitio tenebris, ut neſciam, an certum quid conſtitui queat.

316 Redit hic ad Stilichonem, quem alloquutus eſt ſupra 275 ſq.

317 *Dux ſocius* eſt Promotus, qui colaphum Rufino infregerat, pro quo inſidiis illum hic interemit, narrante rem Zoſimo 5, 51. Ceterum hanc hujus loci ſententiam puto: Cum reliquus a clade, quam Stilicho ei intulerat, Getarum ſ. Gothorum exercitus in poteſtatem redigi facile poſſet, Rufini fraude illos evaſiſſe, procuratamque illis opportunitatem Hunnorum auxiliis ſe muniendi: hoc ſibi volunt verba, *Hunnorum laturus* i. e. allaturus illis laborantibus *opem.*

Hunnorum laturus opem: quos affore bello
Norat, & inviſis mox ſe conjungere caſtris.
Eſt genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanain: quo non famoſius ullum
Arctos alit. turpes habitus, obſcenaque viſu
Corpora; mens duro numquam ceſſura labori.
Præda cibus, vitanda Ceres, frontemque ſecari
Ludus, & occiſos pulchrum jurare parentes.
Nec plus nubigenas duplex natura biformes
Cognatis aptavit equis. acerrima nullo
Ordine mobilitas, inſperatique recurſus.
Quos tamen impavidus contra ſpumantis ad Hebri
Tendis aquas, ſic ante tubas ferrumque precatus:

"*Ma-*

321 ablaturus *it.* allaturus *al.* 322 dextris *al.* 324 deformius *vulg.* animoſius *it.* violentius *al.* 325 triſtes *vulg.* 327 fratresque ſecare *vulg. usque ad Claver.* fratresque necare *Baſ. ſed in marg.* frontemque ſecari. 329 bimembres *al.* 333 aciemque *al.* ferrumque *etiam* Stat. Theb. 6, 147.

323 Cum Hunnorum hac deſcriptione conferri meretur Zoſim. 4, 20: Jornand. de reb. Get. c. 24: præcipue vero Ammia. Marcelli. 31, 2 cujus inter alia hæc ſunt: *Prodigioſæ formæ, ut bipedes exiſtimes beſtias — Radicibus agreſtium herbarum, & ſemicruda cujusvis pecoris carne veſcuntur, quam inter femora ſua & equorum terga ſubſertam fotu calefaciunt brevi.* Et p. 669 *Nemo apud eos arat, nec ſtivam aliquando contingit.*

327 *Frontem*, ſi hæc vera eſt lectio, poſuit poëta pro tota facie. Sic enim Ammianus p. 666 *Quoniam ab ipſis naſcendi principiis infantum ferro ſulcantur altius genæ, ut pilorum vigor tempeſtivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur, ſeneſcunt imberbes* &c. *Fratrem* videtur fronti ſubſtituiſſe librarius aliquis, ut magis congruat cum *occiſis parentibus*, quorum conjuncta hic mentio. Nihil hac de re Ammianus, nec alius, puto, in Hunnorum deſcriptione. Sed notum h. e. vulgatum de Scythis, Maſſagetis, Derbicibus, parentes ſenes ab iis jugulatos ac devoratos. Vid. quos laudat ad Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. 2, 24 f. 210 Fabricius.

329 *Nubigenæ* ſunt Centauri, e nube, quam pro Junone amplexus fuerat Ixion, orti. Nempe tota fabula ex miraculo equitum, primo in Theſſalia viſorum, videtur nata. De Hunnis Ammia. pag. 668 *Equis prope affixi — Ex ipſis* (equis) *quivis pernox & perdius emit & vendit, cibumque ſumit & potum, & inclinatus cervici anguſtæ jumenti in altum ſoporem adusque varietatem effunditur ſomniorum* &c.

331 Ammia. p. 668 *Subito de induſtria diſperſi vigeſcunt, & incompoſita acie cum cæde vaſta diſcurrunt.*

333 Meminerimus ad Stilichonem converſam eſſe orationem. Sed

"Mavors, nubifero ſeu tu procumbis in Æmo,
Seu te cana gelu Rhodope, ſeu remige Medo
Sollicitatus Athos, ſeu caligantia nigris
Ilicibus Pangæa tenent, accingere mecum
Et Thracas defende tuos: ſi lætior adſit
Gloria, veſtita ſpoliis donabere quercu."
Audiit illa pater, ſcopuliſque nivalibus Æmi
Surgit, & hortatur celeres clamore miniſtros.
"Fer galeam, Bellona, mihi, nexuſque rotarum
Tende, Pavor: frena rapidos Formido jugales.
Feſtinas urgere manus. meus ecce paratur
Ad bellum Stilicho, qui me de more tropæis
Ditat, & hoſtiles ſuſpendit in arbore criſtas.
Communes ſemper litui, communia nobis
Signa canunt, junctoque ſequor tentoria curru."
Sic fatus campo inſiliit, lateque fugatas
Hinc Stilicho turmas, illinc Gradivus agebant,
Et clipeis & mole pares. ſtat caſſis utrique

 Side-

341 celeri *al.* 343 frenet *MSS. & Baſ.* trepidos *marg. Baſ.* 345 Stilichon *cum adſpiratione ſemper ſcrib. Heinſ.* 346 Ditet-ſuſpendat *conj. Heinſ.* 348 curſu *Baſ. marg.* 350 turbas-agebat *vulg.*

Sed quod illum facit precibus ſupplicantem Marti, indicat, ipſum poëtam non fuiſſe Chriſtianum, quidquid ſenſerit Stilicho.

334 Thraciæ montes (in quibus etiam Pangæus eſt) aſſignat ſedes Marti, non modo, quod res in Thracia gerebatur; ſed etiam ob antiquam, & Homericis temporibus jam celebratam, gentis gloriam bellicam, quam ſibi præter ceteros vindicare ſolent montani. Perfoſſus & navigatus Athos a Xerxe, frequens poëtarum & declamatorum materia. Illud *procumbis* ad quietem & ceſſationem Martis ſignandam pertinet. Sic Liv. 1, 7 in Aventino *procubuiſſe* dicitur Hercules. Ideo mox ſurgit Mars v. 343. Alludit ad illam quietem Martis noſter 4, 17 ſq.

339 *Veſtita ſpoliis*, veſtibus, armis, *quercus* tropæum eſt. Conf. 347 ſq.

342 *Nexus rotarum* ſunt funes axibus alligati, quod antiqua monimenta declarant. Quod *Pavori* hoc miniſterium tribuit, forte hoc indicat, a tumultu, ſtrepituque rotarum augeri pavorem bellicum.

351 *Mole pares* dicit Martem & Stilichonem, ad indicandam ſtaturam egregiam. Collatus jam hic eſt Virgilianus ille Aen. 12, 161 *ingenti mole Latinus*, qui *Quadrijugo vehitur curru.* Quod *ſtat caſſis jubis ſidereis hirſuta*, imago eſt criſtæ a motu in altum & velut verſus ſidera erectæ.

Sidereis hirſuta jubis, loricaque curſu
Æſtuat, & largo ſatiatur vulnere cornus.
Acrior interea voto, multoque Megæra
Luxuriata malo, mæſtam deprendit in arce
Juſtitiam, diroque prior ſic ore laceſſit.
" *En tibi priſca quies, revocataque ſæcula rurſus,*
Ut rebare, vigent. en noſtra potentia ceſſit,
Nec locus eſt usquam Furiis. huc lumina flecte.
Adſpice barbaricis jaceant quot mœnia flammis,
Quas mihi Rufinus ſtrages, quantumque cruoris
Præbeat, & quantis epulentur cædibus hydri.
Linque homines, ſortemque meam: pete ſidera: notis
Autumni te redde plagis, qua vergit in Auſtrum
Signifer. æſtivo ſedes vicina Leoni
Jam pridem geminæque vacant confinia Libræ,
Atque utinam per magna ſequi convexa liceret.„
Diva refert: "*Non ulterius bacchabere demens.*
Jam pœnas tuus iſte dabit: jam debitus ultor
Imminet, & terras qui nunc, ipſumque fatigat

Æthe-

352 Sidereas-jubas *conj. Heinſ.* curſum *al.* 353 Extuat *primæ editt.* ut extimare *pro* æſtiin. 354 voti *conj. Heinſ.* multisque-malis *al.* 356 atque prior diro *vulg.* 357 renovataque *Baſ. marg.* rurſum *MS.* 363 noctis *marg. Baſ.* 366 Jam dudum gelidæ *vel* egelidæ *al.* gelidæ ceſſant *Baſ.*

354 *Acrior voto*, ob id ipſum acrior alacriorque, quod voto ſuo potita eſt, quod potuit bellum excitare.

357 Ironice inſultat Megæra Aſtrææ (vid. ſupra v. 56), quæ fruſtra redierit in terras ſtatim denuo relinquendas.

362 *Hydri* ſ. ſerpentes, quibus Furiæ crinitæ ſunt, gaudent cædibus bellicis, iisque paſcuntur & *epulantur* adeo.

365 Nunc jubet diſcedere Juſtitiam: *ſortemque* ſuam, poſſeſſionem, & velut provinciam ſibi jam aſſignatam, genus humanum, relinquere, conſuetumque ſuum locum in Zodiaco inter Leonem & Libram repetere. Ille Zodiacus ſ. *Signifer in auſtrum vergit* qua parte Virgo eſt. nam in cancro Sol conſtitutus proximus eſt Septentrionibus; hinc verſus auſtrum paullatim deſcendit.

367 Optat Furia, etiam ſibi in cælo locum eſſe.

Æthera; nec vili moriens condetur arena.
Jamque aderit læto promiſſus Honorius ævo.
Nec forti genitore minor, nec fratre coruſco:
Qui ſubigat Medos, qui cuſpide proterat Indos.
Sub juga venturi reges. calcabitur aſper
Phaſis equo, pontemque pati cogetur Araxes.
Tuque ſimul gravibus ferri religata catenis
Expellere die, debellataſque draconum
Tonſa jubas imo Barathri condere receſſu.
Tum tellus communis erit: tum limite nullo
Diſcernetur ager: nec vomere ſulcus adunco
Findetur. ſubitis meſſor gaudebit ariſtis.
Rorabunt querceta favis: ſtagnantia paſſim
Vina fluent, oleique lacus: nec murice tinctis
Velleribus quæretur honos: ſed ſponte rubebunt
Attonito paſtore greges, pontumque per omnem
Ridebunt virides gemmis naſcentibus algæ.„

374 ſubiget - proteret *al.* 379 comas *al.* claudere *vulg.* trudere *MS.* 382 frangetur *MSS.* 383 favos *MS.* 384 ovis *MSS.*

371 Ne tralaticium quidem honorem Manibus illius habebunt prætereuntes, arenæ pugillis injiciendis.

376 Aperte alludit ad Virg. Æn. 8, 728 *Pontem indignatus Araxes.* Deinde *Tu*, o Megæra, *expellere die*, h. e. luce hac, qua ſuper terram verſaris, privata rejicieris ad inferos tuos.

378 *Dracones*, hydri, ſerpentes in capite Furiarum, res eadem.

381 *Tum*, te depulſa & detruſa in tartarum, redibunt ſæcula aurea: *Tellus communis erit* &c. Deſcriptiones hujus ætatis ſimiles dedit Lacerda ad Virg. Ecl. 4, quam ante oculos hic noſter habuit.

387 *Ridebunt*, ut *prata ridere* dicuntur. Viridis color ut veri & juventuti, ita hilaritati proprius.

IV

CL. CLAUDIANI

IN RUFINUM

LIBRI II

PRAEFATIO

Pandite defenſum reduces Helicona ſorores.
Pandite, permiſſis jam licet irê choris.
Nulla per Aonios hoſtilis buccina campos
Carmina mugitu deteriore vetat.
Tu quoque ſecuris pulſa formidine Delphis,
Floribus ultorem Delie cinge tuum.
Nullus Caſtalios latices, & præſcia fati
Flumina polluto Barbarus ore bibit.

Alpheus

1 Pangite *conj. Cujac.* 2 permixtis *vulg.* pacificis *conj. Cuj.* 4 canat *MS.*

Præfatio hæc Gildonico bello adhuc præfixa, ab Heinſio huc codicum quorundam fide relata eſt. Nondum obſervata, puto, interna quædam nota eſt, quæ illam alterutri plane vindicet. Neſcio, an oſtendi poſſit v. c. prælium, ad quod applicari recte queant quæ v. 9 & 10 de Alpheo & Siculo æquore dicuntur &c. Ut concedamus prima de Helicone & campis Aoniis poſſe ad res in Thracia geſtas (vid. 3,340) referri.

1 Quomodo *pandant* Muſæ Virgilii Ae. 7, 641 it. 10, 165, & noſtri Helicona, obſcuriuſculum eſt. Videntur illum imaginari poëtæ ut ſcenam, quæ velis demiſſis aperitur. *Pangite* qui voluit, canite, credo, intellexit, vel celebrate.

6 *Ultor* Apollinis, qui bello depulſo pacis artibus, poëſi præſertim locum fecit: ſiue is Stilicho ſit, vt videtur, ſiue ipſe Honorius.

Alpheus late rubuit, Siculumque per æquor
Sanguineas belli rettulit unda notas.
Agnovitque novos abſens Arethuſa triumphos,
Et Geticam ſenſit teſte cruore necem.
Immenſis, Stilicho, ſuccedant otia curis,
Et noſtræ patiens corda remitte lyræ.
Nec pudeat longos interrupiſſe labores,
Et tenuem Muſis conſtituiſſe moram.
Fertur & indomitus tandem poſt prælia Mavors
Laſſa per Odryſias fundere membra nives,
Oblituſque ſui, poſita clementior haſta,
Pieriis aures pacificare modis.

12 Gildonis *Vic. Baſ. ſed* Et Geticam *jam Vien. quod probavit Claver.*
19 ira *conj. Cujac.*

9 Hic alludi ad prælium navale adverſus Getas ſ. Gothos his locis commiſſum, patet e. v. 11 & 12 ubi per illum abſtruſum ſub Jonio mari meatum Alphei, erumpentem in Arethuſæ fonte ad Syracuſas, ſanguis eousque delatus eſſe dicitur.

V CL

V

C.L. CLAUDIANI
IN RUFINUM
LIBER II

Iam poſt edomitas Alpes, defenſaque regna
Heſperiæ, merita complexus ſede parentem
Auctior adjecto fulgebat ſidere mundus,
Jamque tuis, Stilicho, Romana potentia curis,
Et rerum commiſſus apex. tibi credita fratrum
Utraque majeſtas, geminæquæ exercitus aulæ.
Rufinus (neque enim patiuntur ſæva quietem
Crimina pollutæque negant areſcere fauces)
Infandis iterum terras accendere bellis
Inchoat, & ſolito pacem vexare tumultu.

Hæc

8 manſueſcere *MSS. ex* Luca. 1, 332 Nullus ſemel ore receptus Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces 10 turbare *al.* vexare *etiam Cujac. ad Baſ.*

1 Non ita conjunctus eſt hic liber primo in Rufinum, connexusque, ut unum opus perpetuum, ſtatim quemadmodum in Homero ac Marone appareat: taceo quod per præfationem diſiungitur, quæ indicat, diverſis temporibus editum, oblatum certe Stilichoni, fuiſſe. Hic ingreſſus carminis pertinet ad res geſtas & conſecrationem Theodoſii, ob ſuperatum Eugenium, ut de novo incipiat, non continuet narrationem libri ſuperioris.

3 *Mundus* ſ. cælum, novo ſidere *auctior* eſt, relato inter ea Theodoſio, qui, licet Chriſtianus hunc tamen honorem meruit, unde *divus* appellatur non minus quam alii Chriſtiani Imperatores in legibus. Vid. Ill. Shœpflinus de Apotheoſi Impp. Rom. c. 2.

6 *Utraque majeſtas fratrum credita* Stilichoni, certe ut ipſe credi volebat. Zoſimus 5, 4 *ἔλεγε γὰρ ἐπιτετράφθαι παρὰ Θεοδοσίου τελευτᾶν μέλλοντος τὰ κατ᾽ ἄμφω τοὺς βασιλέας ἔχειν ἐν πάσῃ φροντίδι.* Id. 5, 34 ex ſua perſona de Stilichone, *ἀμφοῖν τὰς βασιλείας ἐπιτραπεὶς.* Sed idem 5, 1 non diffitetur omnia per orientem potuiſſe & egiſſe Rufinum, Stilichonem autem in occidente: quo loco etiam pariter ſceleratum utrumque facit, qui 5, 34 Stilichonem in tanta poteſtate, modeſtiſſimum fuiſſe affirmet.

7 Scelerati novis ſuis ſceleribus a ſe ipſi puniuntur. Hoc argumentum tragœdiarum veterum. Hic locus tractatus in Roſciana a Tullio &c.

8 *Negant areſcere*, recuſant ſiccæ eſſe, ſitim pati nolunt, ſed ſanguinem ſemper appetunt.

Hæc etiam ſecum: "*Quanam ratione tuebor*
Spem vitæ fragilem? qua tot depellere fluctus
Arte queam? premor hinc odiis: hinc milite cingor.
Heu quid agam? non arma mihi, non principis ullus
Auxiliatur amor. matura pericula ſurgunt
Undique, & impoſiti radiant cervicibus enſes.
Quid reſtat, niſi cuncta novo confundere luctu,
Inſonteſque meæ populos miſcere ruinæ?
Everſo juvat orbe mori. ſolatia leto
Exitium commune dabit: nec territus ante
Decedam. cum luce ſimul linquenda poteſtas.„
Hæc fatus, ventis veluti ſi frena remittat
Aeolus, abrupto gentes ſic objice fudit,
Laxavitque viam bellis, &, ne qua maneret
Immunis regio, cladem diviſit in orbem,
Diſpoſuitque nefas. alii per terga ferocis
Danubii ſolidata ruunt, expertaque remos
Frangunt ſtagna rotis. alii per Caſpia clauſtra,
Armeniasque nives inopino tramite ducti
Invadunt Orientis opes. jam paſcua fumant
Cappadocum, volucrumque parens Argeus equorum.
Jam rubet altus Halys: nec ſe defendit iniquo

Monte

16 *quid ſi* infeſti? 19 fato *MS.* 21 Decedam *etiam Baſ.* Diſcedam *al.* 22 reſolvat *al* 25 dimiſit *al.* urbes *al.* orbem *etiam Vien. et Baſ.* 28 luſtra *Baſ. marg.* 31 equarum *MSS. quidam. pulchre.*

16 *Impoſiti enſes cervicibus* neſcio quomodo *radiare* dicantur, & totum eſt nimis languidum: vellem eſſet in libro bono *infeſti.*

17 *Novus luctus* videtur poëtæ in mentem veniſſe ex fabula Medeæ, quæ, luctu ex Abſyrti fratris ſui cæde patri oblato, hunc remorata eſt: cetera ex Catilinæ conjuratorum hiſtoria: & verſiculo illo apud Sueto. Nero. 37 *ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.*

20 Nec terrore impulſus a loco & faſtigio, quod occupavi, vivus *decedam* (quod placet præ vulg. *diſcedam*) ſtans moriar.

26 *Terga ſolidata* glacie: res nota: pulchrum epitheton *ferocis*, quia refertur ad accolas: cf. 17, 53 de Rhodano. *Frangunt ſtagna*, ad crepitum rotarum, & impreſſas orbitas pertinet.

31 Mons Cappadociæ *Argeus.* Conf. 29, 191.

32 Quam *iniquus Cilix mons* Amanus fuerit olim bella gerentibus

Monte Cilix. Syriæ tractus vaſtantur amœni:
Aſſuetumque choris, & læta plebe canorum
Proterit inbellum ſonipes hoſtilis Orontem.
Hinc planctus Aſiæ: Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæque datur, frondentis aduſque
Dalmatiæ fines: omnis qua mobile Ponti
Aequor, & Hadriacas tellus interiacet undas,
Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,
Inſtar anhelantis Libyæ, quæ torrida ſemper
Solibus humano neſcit manſueſcere cultu.
Theſſalus ardet ager. reticet paſtore fugato
Pelion, Emathias ignis populatur ariſtas.
Jam plaga Pannoniæ, miſerandaque mœnia Thracum,
Arvaque Myſorum jam nulli flebile damnum,
Sed curſus ſolennis erat, campuſque furori
Expoſitus, ſenſumque malis detraxerat uſus.
Eheu quam brevibus pereunt ingentia fatis!
Imperium tanto quæſitum ſanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,

Proditor

33 Montes *Baſ. marg.* 36 Geticisque-ſeveris *Cujac.* 46 Mœſorum *al. Sed ſæpe* Myſi *etiam Iſtri accolæ.* 49 Heu heu *Vic. cf. Burm. ad Virg. Ecl.* 2, 18. cauſis *al.*

bus contra incolas, Cicero ſuo in Proconſulatu expertus eſt. Vid. Epiſt. 15, 4.

35 Mollities & voluptates Syriæ notæ ſunt. Illa Daphne, qua celebratur & male audit Antiochia, Daphnicis moribus nomen dedit h. e. diſſolutis. *Orontes* dividebat Antiochiam &c.

36 *Geticis catervis*, quod recte Barthius ex Procopio de B. Vandal. 1 obſervavit, Honorio regnante comprehenduntur, h. e. ſignantur populi barbari, Gothi, Vandali, Viſigothi, Gepides, Sarmatæ, Melanchræni.

43 *Reticet* pro *tacet* poſitum, ut A. ad Herenn. 3 c. 12 *Arteriæ reticendo acquieſcunt.* Perſonat alias vocibus pecorum & paſtorum cantibus.

45 Conferamus verba Oratoris pro Roſc. Amer. extr. *Cum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam qui natura mitiſſimi ſumus aſſiduitate moleſtiarum ſenſum omnem humanitatis ex animis amittimus.*

47 *Curſus ſolennis.* Placuit omni fere Europæ *curſum* ita vocare hodie: ſed an ita vetuſtiores, jam non poſſum conſtituere.

Proditor unus iners anguſto tempore vertit.
Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et Chalcedonias contra deſpectat arenas,
Jam non finitimo Martis terrore movetur;
Sed propius lucere faces, & rauca ſonare
Cornua, vibratisque peti faſtigia telis
Adſpicit. hi vigili muros ſtatione tueri,
Hi junctis properant portus munire carinis.
Obſeſſa tamen ille ferus lætatur in urbe,
Exſultatque malis. ſummoque e culmine turris
Impia vicini cernit ſpectacula campi.
Vinctas ire nurus, hunc in vada proxima mergi
Seminecem, hunc ſubito percuſſum vulnere labi
Dum fugit, hunc animam portis efflare ſub ipſis,
Nec canos prodeſſe ſeni, puerique cruore
Maternos undare ſinus. immenſa voluptas,
Et riſus plerumque ſubit. dolor afficit unus,
Quod feriat non ipſe manu. videt omnia late
Exceptis incenſa ſuis, & crimine tanto
Luxuriat, carumque ſibi non abnuit hoſtem.
Jactabatque ultro, quod ſoli caſtra paterent,
Sermonumque foret vicibus permiſſa poteſtas,
Egregii quoties exiſſet fœderis auctor.
Stipatur ſociis, circumque armata clientum

Agmina

54 ducitur *MS.* 63 ſpectat certamina *al.* cernit certamina *al.* 64 *pro* nurus, manus *al.* domus *Cujac. ad Baſ.* per vada cærula *al.* vaga cærula *al.* 66 ſpirare *al.* *Forte* portis animam exſpirare. 67 puerumque-fœdare *al.* *etiam Cuj. ad Baſ.* 71 Præceptis *al.* 75 funeris *Baſ. marg.* 76 ſtipatus *Baſ.*

53 *Proditor* unus, Rufinus, dum vel concitat vel non reprimit barbaros, harum ſtragium et ruinarum auctor & cauſa eſt.

54 Verbum *dicitur* videtur cum invidia quadam poſitum: non agnoſcit poëta Conſtantinopolin, novam Romam, æqualem veteri.

71 *Exceptis ſuis* indicat, parcitum ſuburbanis Rufini. *Præceptis* vehementius videtur: inſtigante Rufino ſævit hoſtis. Verum priori lectioni favet illud *non abnuit*. Incertum quidem, ſi ſolum illud eſſet, crimen. Nam Hannibal Liv. 22, 23 *Omnibus circa ſolo æquatis, ab uno Fabii agro — vim omnem hoſtium abſtineri juſſit, ut occulti alicujus pacti ea merces videri poſſet*

Agmina privatis ibant famulantia ſignis.
Ipſe inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, revocat fulvas in pectore pelles,
Frenaque, & immanes pharetras, arcuſque ſonoros
Aſſimulat, mentemque palam teſtatur amictu.
Nec pudet Auſonios currus & jura regentem
Sumere deformes ritus, veſtemque Getarum:
Inſignemque habitum Latii mutare togæque.
Mærent captivæ pellito judice leges.
Quis populi tunc vultus erat? quæ murmura furtim?
Nam miſeris nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet. "*Quonam uſque feremus*
Exitiale jugum? diræ quis terminus umquam
Sortis erit? quis nos funeſto turbine rerum
Aut tantis ſolvet lacrimis? quos Barbarus illinc,

Hinc

79 pectora *MSS. quidam & Heinſ.* pectore *vulg. etiam Baſ.* 84 coactæ *MSS. unus.* togati *ſuſp. Heinſ.* togæque *vulg. etiam Baſ.* 85 polluto *Baſ. marg.* 89 duræ *vulg.* 91 A tantis *MSS. quid ſi* ac? *Heinſ. ſuſp.* heu.

79 *Revocat* h. e. replicat, ut piloſa pars appareat. *In pectore* ſignat locum illius replicationis. Barbari *pelliti.* Talis 8, 466 *pellita juventus:* & 26, 48 *pellita Getarum curia.* Vid. viri docti ad Liv. 23, 29. 3. *In pectore* ex MSS. & primis editt. revocavi. Quod viris doctis placuit *in pectora*, inde eſt, quia totam dictionem ita interpretati ſunt, ut ſignificet, revocat in memoriam, & uſum: quæ ratio mihi nimis hic diluta & frigida videtur. Fraudi fuit viris doctis non obſervata vis verbi, quam unice illuſtrat Juvenalis 1, 27 *Tyrias humero revocante lacernas*, quæ graphica deſcriptio eſt injectæ lacernæ, vel chlamydis, cujus partem fibula in humeri regione ſedens revocat & retinet. Illuſtravit eum locum, & totam hanc metaphoricam verbi *revocare* rationem Gronov. Obſ. 2, 19 p. 378 ſq. ubi declarat illud Senecæ Thy. 685 *Poſt terga juvenum nobiles revocat manus* &c.

81 Sic crimini data Pauſaniæ & poſt ipſi Alexandro M. veſtis Medica: ſic Verrem reprehendit, palliatum & crepidatum Græculo more, Tullius.

82 *Currus Auſonios* recte de curuli ſella interpretatur Barthius. *Jura* pertinent ad Præfecturam Prætorii.

84 *Togæ habitum* recte dici non dubito, ut *flumen Rheni* & ſimilia. Si quid tamen mutandum ſit, blandiſſimum forte fuerit, *togamque. Coactæ* quod ex uno codice protulit Heinſius jungendum eſſet cum *leges*, quod qui conveniat, non exputo.

85 *Judicem* quod vocat ſupremum magiſtratum, ex antiquiſſimo etiam Romanorum uſu repetitum, quem in Theſauro Stephaniano declaravi.

Hinc Rufinus agit: quibus arva fretumque negantur.
Magna quidem per rura lues; ſed major oberrat
Intra tecta timor. tandem ſuccurre ruenti
Heu patriæ, Stilicho. dilecta hic pignora certe,
Hic domus: hic thalamis primum genialibus omen.
Hic tibi felices erexit regia tedas,
Vel ſolus ſperate veni. te prælia viſo
Langueſcent, avidique cadet dementia monſtri.„
Talibus urgetur diſcors Aurora procellis.
At Stilicho, Zephyris cum primum bruma remitti
Et juga diffuſis nudari cœpta pruinis,
Partibus Italiæ tranquilla in pace locatis,
Utraque caſtra movens, Phœbi properabat ad ortus,
Gallica diſcretis Eoaque robora turmis
Complexus. numquam tantæ ditione ſub una
Convenere manus, nec tot diſcrimina vocum.
Illinc Armeniæ vibratis crinibus alæ,
Herbida collectæ facili velamina nodo.

Inde

96 proprium *vulg.* primum *etiam Vic.* & *Baſ. marg.* 103 tranquilla in pace locatis *vulg. etiam Vic.* & *Vien. it. Baſ.* 109 *vulg.* Fervida *ante Claver.*

95 Meminerimus, Serenam, Honorii, qui frater Theodoſii fuit, filiam, fuiſſe in matrimonio Stilichonis: Honorio autem Imperatori nuptam, quæ nata ex illo conjugio erat, Mariam. Hæc pignora fuere, cur cara Stilichoni eſſe deberet Conſtantinopolis. V. 7, 144.

97 In ſimili obteſtatione deinde 7, 155 Theodoſius ad Stilichonem *Per tædas, quas ipſa tuo Regina levavit Conjugio.*

100 Hic narrationis epiphonema e perſona ſua poëta interponit. *Aurora* oriens eſt ſ. Imperium orientis: ut 8, 130 *Nutrix aurora tibi* &c.

105 Fruſtrà ad hiſtoriæ fidem ea revoces, quæ auget ſupra modum poëta exemplo non bono cum etiam in panegyri verum hactenus ſervandum ſit, ne falſis numeris & mendacibus hyperbolis vitietur hiſtoria.

108 *Vibrati crines* proprie ab arte dicuntur criſpati, ut Virg. Aen. 12, 100 vbi optat Turnus Aeneæ *fædare in pulvere crines Vibratos calido ferro.* Sed tamen Plin. 2, 78 *Aethiopas aduſtis ſimiles gigni, barba* & *capillo vibrato.* De tali gente Luca. 10, 133 *Torta caput refugoſque gerens a fronte capillos.*

109 Metonymia Virgiliana, vt Aen. 1, 320 *Nodoque ſinus collecta fluentes. Herbida* coloris nomen eſt.

Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus,
Quoſque rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æſtu.
Mens eadem cunctis, animique recentia ponunt
Vulnera. non odit victus, victorve ſuperbit.
Et quamvis præſens tumor, & civilia nuper
Claſſica, bellatrixque etiam nunc ira caleret,
In ducis eximium conſpiravere favorem.
Haud aliter Xerxen toto ſimul orbe ſecutus
Narratur rapuiſſe vagos exercitus amnes,
Et telis umbraſſe diem, cum claſſibus iret
Per ſcopulos, tectumque pedes contemneret æquor.
Vix

117 petulans animis *Baſ. marg.* 119 eximii *quidam MSS.*

110 Luca. 10, 129 *Pars* Libycorum *tam flavos gerit altera Crines, Ut nullis Cæſar Rheni ſe dicat in arvis Tam rutilas vidiſſe comas.*

111 Paſſim Geographi & poëtæ celeritatem Rhodani, & Araris in eu[illegible]fluentis tarditatem memorant. Vid. noſter 17, 53 & 20,268.

112 Antiquiſſimus mos barbarorum flumini immergere recens natos, quem laudat Ariſtoteles Polit. 7, 17: Rutulis tribuit Virg. 9, 603 vbi copioſe illum illuſtrat Lacerda. Nominatim Rhenum exploratorem pudicitiæ matrum non modo poëtae celebrant, ut vetus Epigramma Anthol. 1, 43, 1: ſed Julianus Imp. qui hæc noſſe poterat, ad eam fabellam aperte alludit Orat. 2 p. 81 D. et epiſt. 16 p. 83 D diſerte, Ὁ Ῥῆνος, inquit, τὰ μὲν νόθα τῶν βρεφῶν ὑποβρύχια ταῖς δίναις πέμπει — ὅσα δ' ἂν ἐπιγνῷ καθαροῦ σπέρματος, ὑπεράνω τοῦ ὕδατος αἰωρεῖ κ. τ. λ.

113 Itinerarium Hieroſolymitanum ſic incipit, *Civitas Burdigala, ubi eſt fluvius Garonna, per quem facit mare Oceanum acceſſa & receſſa per lengas plus minus centum:* ad quem locum attulit omnia cl. Weſſelingius, neque hunc Claudiani verſum omiſit. Sido. carm. 22, 108 *At cum ſubmotus Lunaribus incrementis* (quæ cient fluxum Oceani ad litora) *Ipſe Garumna ſuos in dorſa recolligit æſtus, Præcipiti fluxu raptim redit, atque videtur In fontem non jam refluus, ſed defluus ire.*

117 *Tumor* ac *tumere* de ira etiam optimæ ætatis ſcriptoribus non inſolens. V. Bentl. ad Hor. A. P. 197.

121 *Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo Prandente,* credebant homines apud Juvenalem 10, 177 nominanti fluvios Herodoto 7, 42. 109. 196. De *umbra* a ſagittis Perſarum vox Dienecis Spartani memorabilis, qui hoc commodum fore dicebat pugnantibus Leonida duce ad Thermopylas, ſi ſub umbra illa pugnare liceret, quod eſt Herod. 7, 226.

Vix Alpes tranſgreſſus erat, nec jam amplius errat
Barbarus, adventumque tremens, ſe cogit in unam
Planitiem, tutoque includit paſcua gyro.
2 Et triplices duc. *al.* *pro* pompa, Roma *al.* *quod placeret*, *ſi res Romæ ageretur*, *non in caſtris.*

1 *Romuleos faſces* interpretor non ſimpliciter Romanos tantum, ſed a Romulo quodam, a Rege, ab Imperatore ſuſceptos: quorſum pertinet etiam *bellatrix pompa*, quæ Imperatorem ſignat; & quod *tertia* vocantur *exordia* cum reſpectu ad duos Conſulatus præcedentes Honorii. Hunc tertium Conſulatum geſſit Honorius cum fratre Arcadio quartum Conſule A. U. 1148 A. C. 396 ſecundum Faſtos Relandi.

3 *Gabinos cinctus* non videtur hic (it. 8, 6 & 28, 594) dixiſſe proprie poëta. Ille enim caput lacinia togæ velat, togam ipſam arctius corpori applicat vel adſtringit, id quod ex Liviana deſcriptione 8, 9 coll. 10, 7, & ex numis coloniarum manifeſtum eſt, ubi aratrum agit togatus cinctu Gabino. Vid. Serv. ad Æn. 5, 755 ex Catonis originibus: contra nudo capite ſunt in pompa ſ. proceſſu Conſules. Nec admittit illum habitum ætas Claudiani, quod Diptycha conſularia intuenti manifeſtum eſt. Sed nempe antiquis verbis poëta ſignat rem ſui temporis, *Lorum* illum (τὸν λῶρον) Conſularem & Imperatorium, quo a Conſtantino inde utebantur, & cui *cinctus* appellatio, quod ipſe aſpectus monimentorum declarat, convenit. Hæ ſunt *rigentes togæ* 1, 205.

4 *Hydaſpeus* eſt a fluvio, Indicus. Sed ipſe quoque fluvius *gemmifer* Senecæ in Medea 725 ubi Delrio, *In illius alveo*, inquit, *magna gemmarum copia reperitur, veluti lychnis, adamas, beryllus, achates, & alii innumerabiles.* Neſcio unde iſta Delrio. Strabo quidem, Mela, Plinius, Arrianus nihil habenr.

5 De *trabeis* vid. ad 1, 178. *Lictor* conſularis imperii antiquus miniſter: cujus tum ordinarius in caſtris non videtur uſus fuiſſe. Pompam in ipſis caſtris urbanam pingit: qua oſtenderetur militibus, conſulare imperium collatum eſſe in Imperatorem.

Tuque, o, qui patrium curis æqualibus orbem
Eoo cum fratre regis, procede ſecundis
Alitibus, Phœbique novos ordire meatus,
Spes votumque poli, quem primo a limine vitæ
Nutrix aula fovet: ſtrictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt caſtra triumphos.
Ardua privatos neſcit fortuna penates,
Et regnum cum luce dedit cognata poteſtas.
Excepit Tyrio venerabile pignus in oſtro,
Luſtravitque tuos aquilis victricibus ortus
Miles, & in mediis cunabula præbuit haſtis.
Te naſcente ferox toto Germania Rheno
Intremuit, movitque ſuas formidine ſilvas
Caucaſus, & poſitis numen confeſſa pharetris
Ignavas Meroë traxit de crine ſagittas.

Reptaſti

7 Latium *Baſ. marg.* 10 primæ *malit Heinſ.* 14 regimen *Vic. Vicn. Baſ. Sed hic* regnum *in marg.* 17 venabula *Baſ. marg.* præbita caſtris *conj. Heinſ.* venabula præbuit eſcis *MS.* armis *Cujac.*

8 *Eoo cum fratre* Arcadio, cui in diviſione Oriens ceſſerat.

9 *Novi meatus Phœbi* eſt anni paraphraſis.

10 *Spes votumque poli*, quem cælum ſperat ſibi adſcriptum aliquando & illatum iri, per conſecrationem, quam impatienter exſpectat, & votis tanquam honorificum ſibi civem expetit Honorium. Huic poëta prærogativam contigiſſe præ Arcadio memorat, quod eſſet πορφυρογέννητος· poteratque adeo controverſia naſci inter ipſum & fratrem, qualis fuit inter Artobazanem ſ. Artamenen & Xerxen, de qua Herodotus 7, 2 & 3, & Juſti. 2, 10: In qua minor natu, ſed natus in purpura, prælatus majori, ſed privati adhuc patris filio. De Porphyrogennetis Conſtantinopolitanis vid. Cangius in Gloſſ. Gr. & in Latino V. *Purpuratus*: ſic enim vocabant Latine, natos in purpura.

14 *Cognata* proprie accipio, una nata: Honorius natus eſt heres imperii.

16 Decurſio militaris inſtituta ad honorandum natalem pueri regii.

18 Fingit poëta omen: horrori fuiſſe Germaniæ & barbaris aliis nuncium de naro Honorio &c.

21 Tangit hunc morem Africanorum barbarorum noſter etiam alias, ut 10, 222 *Crinita ſagittis Meroë*: ut 21, 253 *parvis redimitus Nuba ſagittis.* Nempe & Meroë Nili inſula & Nubæ in interioribus Libyæ ſ. Africæ ſunt Advocatus a Barthio ex Prud. Hamartig. 498 *decolor Indus Tempora pennatis redimitus nigra ſagittis.* Vel Indum facit Nili accolam Prudentius, non ſine exemplo: vel morem ſagittas gerendi in capite communicat cum Indis Aſiaticis. Graphice, ut ſolet, rem deſcribit Lucia. de Saltat. c. 18 ſ. T. 2 p. 278.

Cum

Reptaſti per ſcuta puer, regumque recentes
Exuviæ tibi ludus erant, primusque ſolebas
Aſpera complecti torvum poſt prælia patrem,
Signa triumphato quoties flexiſſet ab Iſtro
Arctoa de ſtrage calens, & poſcere partem
De ſpoliis, Scythicosve arcus, aut rapta Gelonis
Cingula, vel jaculum Daci, vel frena Suëvi.
Ille coruſcanti clipeo te ſæpe volentem
Suſtulit arridens, & pectore preſſit anhelo
Intrepidum ferri, galeæ nec triſte timentem
Fulgur, & ad ſummas tendentem brachia criſtas.
Tum ſic lætus ait: "*Rex o ſtellantis Olympi,*
Talis perdomito redeat mihi filius hoſte,
Hyrcanas populatus opes, aut cæde ſuperbus
Aſſyria. ſic enſe rubens, ſic flamine crebro
Turbidus, & grato reſperſus pulvere belli,
Armaque gaviſo referat captiva parenti.„
Mox ubi firmaſti recto veſtigia greſſu,
Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos genitor permiſit inertes:
Sed nova per duros inſtruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires:

Frigora

22 ſigna *editt. vett.* feroces *vulg.* 25 torſiſſet *al.* 26 patrem *editt. vett. ſed jam Baſ. marg.* partem. 31 trementem *al. quod nervoſius judicat Heinſ.* 40 non mar. *MSS.*

Cum dixiſſet, Æthiopes pugnam inire, cum quodam genere ſaltationis, addit, *καὶ οὐκ ἂν ἀφίῃ τὸ βέλος Αἰθίοψ ἀνὴρ, ἀφελὼν τῆς κεφαλῆς (ταύτῃ γὰρ ἀντὶ φαρέτρας χρῶνται, περιδέοντες αὐτῇ ἀκτινηδὸν τὰ βέλη) εἰ μὴ πρότερον ὀρχήσαιτο κ. τ. λ.* Utuntur ergo Æthiopes capite pro pharetra, quod fieri potuit vitta quadam ſ. diademate latiuſculo, & foraminibus quibusdam inſtructo, quibus ſagittæ ut vaginis induntur qua parte habent ſpicula, eminent pinnæ, & formant coronas radiatas &c.

36 *Flamine crebro turbidus* anhelans a vehementi motu & agitatione vel prælii vel itineris.

39 Alludere videtur ad Horatianum illud, *Et pede certo ſignat humum.*

43 *Cruda indole*, cum natura eſſet adhuc rudis, ſibi relicta, nondum in quemcunque formata habitum, ſpeciatim nondum mollita deliciis. Metaphora ſimilis illi,

cum

Frigora ſæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æſtivum tolerare jubar, tranare ſonoras
Torrentum furias, adſcenſu vincere montes,
Planitiem curſu, valles & concava ſaltu.
Nec non in clipeo vigiles producere noctes,
In galea potare nives; nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes Balcari ſpargere funda.
Quoque magis nimium pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui numerabat avi, quem litus aduſtæ
Horreſcit Libyæ, ratibusque impervia Thule.
Ille leves Mauros, nec falſo nomine Pictos

Edo-

46 adſcenſum montis *MSS.* 48 perducere *al.* 49 portare *vulg.* 51 nimio flammaret *malit Heinſ.*

cum ex contrario *generoſo incoctum pectus honeſto* dixit Perſ. 2, 74. Sic *cruda exordia magnæ indolis* Stat. Achill. 1, 276.

48 *In clipeo*, clipeatum, armatum: nam ſi voluiſſet indicare clipeum capiti ſubjectum pro cervicali, non adjeciſſet ad noctes *vigiles*.

49 *In galea potare* proprie, & more optimorum qui *bibere in auro, vitro* maluerunt, quam *ex auro* &c. Quod vero *tendere ſpicula cornu* h. e. arcu ſagittas dixit, duriuſculum videtur, ſed dictum pro intendere, dirigere. *Spargere glandes*, ita celeriter projicere, ut ſe proxime inſequantur, & ſimul plures miſſæ videantur. De Balearibus inſulis & hominibus, ipſum etymon nominis a *βαλεῖν*, jacere, jaculari, monet.

51 *Nimium* ſimpliciter auget, non notat exceſſum: ut mox v. 96 *O nimium dilecte Deo.*

52 *Avus* Honorii, Theodoſii pater, Comes Theodoſius, cujus res geſtæ, ad quas hic & 8, 24 ſqq. reſpicitur, enarrantur ab Ammiano Marcellino libris 27, 28, 29. Honores memorat in Proſopographia Codicis Theod. Gothofredus, qui etiam, ubi reliqua ſit viri memoria, conſueta diligentia ſua indicat. Quod Honorium vocat Theodoſii patrem Victor epit. 48, de eo viderint Hiſtorici.

53 De *Thule* 5, 240.

54 *Nec falſo nomine Pictos* dici cum monet, hoc vult, Pictos vocari ab ipſa re, quod corpus pingant coloribus. Vid. viri docti ad illud Cæſ. B. Gall. 5, 14 omnes vero ſe Britanni vitro inficiunt. *Nec falſum* nomen eſt *verum*, ἔτυμον unde ἐτυμολογία dicitur. Hoc nomen autem parti Britannorum Borealium poſt Taciti demum tempora tributum noſter etiam alias uſurpat, ut 8, 32 ubi Thules habitatores facit, & 26, 417 ubi indicat non ſolo vitro ſ. iſati herba uſos, ſed ſtigmatis etiam ſ. punctis ferri. De aliis populis pictis monet Barthius. Mihi placet hic ſuſpicionem proponere, de qua alias ago copioſius, *Hyperboreos* nonnunquam vocari antiquis Hiſpanos, litoris meridionalis & occidentalis incolas. Certe Theodoſius Comes, ſi dum a Mauris & litore aduſtæ Libyæ Scotum ſecutus eſt, legit litora Atlantici maris, qua Hiſpaniam alluit, poteſt dici *fregiſſe Hyperboreas undas*. Doctus, ſi quis alius poëta Claudianus potuit ex

Pin-

Edomuit, Scotumque vago mucrone ſecutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas,
Et geminis fulgens utroque ſub axe tropæis
Tethyos alternæ refluas calcavit arenas.
Hos tibi virtutum ſtimulos, hæc ſemina laudum,
Hæc exempla dabat. non ocius hauſit Achilles
Semiferi præcepta ſenis, ſeu cuſpidis artes,
Sive lyræ cantus, medicas ſeu diſceret herbas.
Interea turbata fides, civilia rurſus
Bella tonant, dubiumque quatit diſcordia mundum.
Pro crimen Superum, longi pro dedecus ævi,
Barbarus Heſperias exſul poſſederat urbes,
Sceptraque dejecto dederat Romana clienti.
Jam Princeps molitur iter, gentesque remotas
Colligit Auroræ, tumidus quascumque pererrat
Euphrates, quas luſtrat Halys, quas ditat Orontes.
Turiferos Arabes ſaltus, vada Caſpia Medi,
Armenii Phaſin, Parthi liquere Niphaten.
Quæ tibi tunc Martis rabies, quantuſque ſequendi
Ardor

55 vagum *al: etiam Baſ. marg.* 58 refugas *MSS.*

Pindaro vel undecunque accepiſſe, Hyperboreum mare eſſe Atlanticum. Sed hæc alias.

57 In mediterraneo mari æſtum non obſervarunt, ordinarium quidem, homines. Theodoſius vidit utrumque Oceanum ejusque refluas cum aqua arenas, tum illum, qui eſt extra columnas ad Africam, tum Britannicum. *Axis uterque* non illa Geographorum & Aſtronomorum ratione ponitur: ſed pro more poëtarum diverſam cæli plagam, illam calidam Africæ, & frigidam Britanniæ alteram. Vid. ad 15, 458.

59 Pulchre *ſemina laudum*: ex præceptis tanquam ſeminibus, ſi in bonum agrum incidant, oriuntur facta laude digna, & ipſæ adeo laudes.

60 Achilles in Chironis Centauri antro didicit tractare arma, lyram, medicinam. Vid. Stat. Achill. 1, 116.

65 Hic certe Chriſtianus non eſt Claudianus: ſed verus Stoicus, ut Lucanus 8, 597 *Pro ſuperûm pudor!* &. mox 605 *Nunquam ſuperûm caritura pudore fabula!*

66 Arbogaſtes Eugenium ex grammatico & rhetore Imperatorem Romanis imponere conatus eſt. Vid. Zoſimus 4, 54 ſqq. qui utrumque, ut eſt Chriſtianis iniquus, laudat. Add. igitur Oroſ. 7, 35.

73 *Rabies* etiam de ſacro furore dicitur, ut Æn. 6, 49 *rabie fera corda tument* Sibyllæ, & v. 80 *os rabidum* illi *fatigat* Phœbus. Novem annorum puer tum erat Honorius: & vere rabioſum pingit, ingenio ſuo hic abreptus in devia Claudianus.

Ardor erat? quanto flagrabant pectora voto,
Optatas audire tubas, campique cruenta
Tempeſtate frui, truncisque immergere plantas?
  Ut Leo, quem fulvæ matris ſpelunca tegebat
Uberibus ſolitum paſci, cum creſcere ſenſit
Ungue pedes, & terga jubis, & dentibus ora;
Jam negat imbelles epulas, & rupe relicta
Gætulo comes ire patri, ſtabuliſque minari
Aeſtuat, & celſi tabo ſordere juvenci.
  Ille vetat, rerumque tibi commendat habenas,
Et ſacro meritos ornat diademate crines.
Tantaque ſe rudibus pietas oſtendit in annis,
Sic ætas animo ceſſit, quererentur ut omnes
Imperium tibi ſero datum. victoria velox
Auſpiciis effecta tuis. pugnaſtis uterque:
Tu fatis, genitorque manu. te propter & Alpes
Invadi faciles. cauto nec profuit hoſti
Munitis hæſiſſe locis. ſpes irrita valli
Concidit, & ſcopulis patuerunt clauſtra revulſis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela

Vertit

76 injungere *MS.* immingere *MS.* intinguere *conj. Heinſ.* 79 colla jubis *e conj. Barth.* 82 cæſi terga abſorbere *al. ante Heinſ.* 85 oſtentat *al.* 90 Invadit *quidam male.* invadi *etiam Vien.*

76 *Frui* eſt cum voluptate uti re aliqua: itaque ſanguinarium hic ingenium pueri notat, & brutum, non fortitudinem. Horribilius etiam eſt, quod addit, ut eſt in libris omnibus, *truncis immergere plantas. Truncis* hoſtium civiumque, mixta enim ſunt in acie, corporibus *plantas immergere* velle, vera rabies eſt. Deſcriptio ipſa picturam habet pulchram, quia horribilem: ſed ἦθος laborat.

85 *Pietas*, qua *Pii* dicuntur in numis & lapidibus Auguſti: ſocietatem cum DIS ob virtutem & ſanctitatem, in primis vero amorem in patriam ac cives ſuos, notat. Sic *pius Æneas. Ætas cedit animo*, levitas puerilis virtuti.

87 *Imperium*, Auguſti nomen & honores: vnde ſunt etiam *Auſpicia* communia cum patre: ſenſu eodem *fata* hic ponuntur, quo Hor. Od. 4, 14. 34 ad Auguſtum ſcribit de Tiberio, *Te copias, te conſilium, tuosque Præbente divos:* & Ovid. Triſt. 2, 174 ad eundem de eodem, *Auſpicium cui das grande Deosque tuos.*

Vertit in auctores, & turbine repulit haſtas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes; cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.
Alpinæ rubuere nives, & Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum
Staret, ni rapidus juviſſet flumina ſanguis.
At ferus inventor ſcelerum trajecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Enſis, & ultrices in ſe converterat iras
Tandem juſta manus. Jam libertate reducta,
Quamvis emeritum peteret natura reverti
Numen, & auratas aſtrorum panderet arces,
Nutaretque oneri venturo conſcius Atlas,

Diſtulit

102 paviſſet *MSS. apud Heinſ. Elegans: ſed* juviſſet *ad ſententiam poëtæ optime; itaque in poſteriore Heinſiana revocatum.*

96 *Nimium* hic ſimpliciter auget, ut paullo ante v. 51. Ceterum Auguſtinus de C. D. 5, 26 & Oroſ. 7, 35 precibus Chriſtianis Theodoſii hoc miraculum, quod graphice deſcribunt, datum putant. Iidem omittunt verba, *cui fundit ab antris Æolus armatas hiemes*, non depravaturi, arbitror, ſententiam poëtæ, quem *gentilem pervicaciſſimum* Oroſius, *à Chriſti nomine alienum* dicat Auguſtinus; ſed quod iis nihil opus eſſe putarent.

97 *Armatas hiemes* intelligimus è verbis Auguſtini l. c. *Cum e Theodoſii partibus in adverſarios vehemens ventus iret, & non ſolum quæ in eos jaciebantur, concitatiſſime raperet, verum etiam ipſorum tela in eorum corpora retorqueret. Conjurati venti* reſpiciunt ad Romanum ſacramentum illud militare, quo *conjurabant* milites &c.

99 *Frigidus amnis* nomine proprio, quem ex h. l. illuſtrare non intermiſit Cellarius.

101 *Staret* pro *ſtetiſſet*, etiam optimis, etiam in ſoluta oratione uſurpata Enallage.

102 *Inventor ſcelerum*, Arbogaſtes.

105 *Tandem juſta manus*, alias injuſta, nunc autem pœnas ſumens de domino ſuo pœnam promerito.

106 Divinitus; e cœlo, veniunt boni reges, & eo redeunt: *emeritum numen*; anima Imperatoris, quæ annos militiæ hujus terrenæ ac munia nunc implevit. *Natura* hic idem fere quod fatum eſt, ordo divinitus conſtitutus.

108 *Nutaret* vehemens & φορτικὴ nimium phantaſia, ſed quæ jam placuerat Lucano, qui ſic adulatur Neroni 1, 56 *Ætheris immenſi partem ſi preſſeris unam; Sentiet axis onus, librati pondera cœli Orbe tene medio.* Totum illum locum hic præ oculis habuiſſe videtur Claudianus.

Diſtulit Auguſtus cupido ſe credere cælo,
Dum tibi pacatum præſenti traderet orbem.
Nec mora; Biſtoniis alacer conſurgis ab oris,
Inter Barbaricas auſus tranſire cohortes
Impavido vultu. linquis Rhodopeia ſaxa
Orpheis animata modis: juga deſeris Oetes
Herculeo damnata rogo: poſt Pelion intras
Nereis illuſtre toris. te pulcer Enipeus
Celſaque Dodone ſtupuit, rurſuſque locutæ
In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.
Illyrici legitur plaga litoris: arva teruntur
Dalmatiæ: Phrygii numerantur ſtagna Timavi.
Gaudent Italiæ ſublimibus oppida muris
Adventu ſacrata tuo. ſubmiſſus adorat
Eridanus, blandoſque jubet miteſcere fluctus,
Et Phaëthonteas ſolitæ deflere ruinas
Roſcida frondoſæ revocant electra ſorores.
Quanti tum juvenes, quantæ ſprevere pudorem
Spectandi ſtudio matres, pueriſque ſeveri
Certavere ſenes, cum tu genitoris amico

Exce-

109 reddere *al.* & *Barth.* credere *Heinſ. e MSS.* 116 toris *Heinſ. ex MSS. al.* choris. *Scriptum fuerat* thoris.

116 In Pelio antro celebratæ nuptiæ Thetidis & Pelei.

118 *Chaoniæ quercus*, ſ. Dodonææ, quæ olim ediderunt oracula, fabula inter antiquiſſimas & celebratiſſimas. E Dodonæa quercu, ſive fagus fuit, carina loquax, fatidica, Argus navis. Vide Val. Flac. 1, 303 *Dodonida quercum Chaonii famulam Jovis*, quam ibi illuſtrant viri docti. Etiam hic immoderate fingit Poëta ac mentitur: non conſulturus erat Dodonæum Oraculum, ſi etiam adhuc floruiſſet, Honorius. Illud *rurſus* indicat, diu tacuiſſe. Vid. Theodoretus curat. Græc. affect. 10 p. 142, 31. Locus porro hic geographicus eſt, & deſignat iter e Conſtantinopoli in Italiam.

120 *Phrygii* Timauus nomen habet ab Antenore, qui cum Trojanis exſulibus ibi conſediſſe memoratur: *numerantur* a curioſis, ſeptemne ſint, an *novem Ora Timavi* ut eſt Virg. Æn. 1, 248 ubi monet Servius, alios *ſeptem* eſſe dicere, quod eſt etiam apud Strabonem &c. *Novem* placuerunt noſtro 28, 98.

125 *Roſcida electra*, adhuc mollia, ut ſtillant de oculis Heliadum Phaëthontis ſororum: itaque etiam *revocari* poſſunt adhuc & reſorberi, quod datur gaudio ex præſentia Honorii.

Exceptus gremio mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus.
Quis non Luciferum roſeo cum Sole videri
Credidit, aut junctum Bromio radiare Tonantem?
Floret criſtatis exercitus undique turmis,
Quiſque ſua te voce canens. præſtringit aëna
Lux oculos, nudique ſeges Mavortia ferri
Ingeminat ſplendore diem. pars nobilis arcu,
Pars longe jaculis, pars cominus horrida contis.
Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant, multuſque tumet per nubila ſerpens
Iratus ſtimulante Noto, vivitque receptis
Flatibus, & vario mentitur ſibila tractu.
Ut ventum ad ſedes; cunctos diſcedere tectis
Dux jubet, & generum compellat talibus ultro:
Bellipotens Stilicho, cujus mihi robur in armis,
Pace probata fides, quid enim per prœlia geſſi
Te ſine? quem merui te non ſudante triumphum?
Odryſium pariter Getico fœdavimus Hebrum
Sanguine, Sarmaticas pariter proſtravimus alas,
Ripæaque ſimul feſſos porreximus artus
In glacie, ſtantemque rota ſulcavimus Iſtrum.

 Ergo

130 crines *MS.* 133 Fervet *vulg.* Hæret *al.* Fleret *al.* Floret *MSS. & Baſ. marg. Scal. &c.* 142 *pro* cunctos, cunctis *it.* tutas, tutos, tute *MSS.* 146 ſuadente *al.* trophæum *Baſ. marg.* 148 Dalmaticas *plures: ſed* Sarmaticas *firmat hiſtoria.*

129 *Exceptus gremio:* ſi vere hæc dicit, & debet certe hic poëta rem pinxiſſe, ut acta eſt, inter ſedentis Theodoſii crura ſtetit puer Honorius. Sed jam monuit Barthius, non ſatis temporum obſervantem hic videri Claudianum.

130 *Pios currus* vocat, in quibus ſpectanda videretur pietas patris in filium. *Laurea velat* etiam *currus*, affixa, circumpoſita &c.

132 *Bromius* ſ. Bacchus eminentia quadam *Liber* eſt Jovis, i. e. filius, non ſemine modo illius conceptus in Semele, ſed geſtatus etiam aliquamdiu intra femur.

138 De *draconibus* vid. 5, 177.

143 *Generum* Stilichonem vocat Theodoſius, quod fratris ſui Honorii Serenam filiam in matrimonio haberet, e quo nata Maria nupſit Imperatori Honorio. Zoſim. 4, 57. 3 & 5, 4. 1.

148 De *Sarmaticis* non *Dalmaticis* rebus Theodoſii vid. Ammia. Marc. 29, 6.

Ergo age, me quoniam cæleſtis regia poſcit,
Tu curis ſuccede meis, tu pignora ſolus
Noſtra fove, geminos dextra tu protege fratres.
Per conſanguineos thalamos, noctemque beatam,
Per tædas, quas ipſa tuo Regina levavit
Conjugio, ſociaque nurum produxit ab aula,
Indue mente patrem, creſcentes dilige fetus
Ut ducis, ut ſoceri. jam jam ſecurus ad aſtra
Te cuſtode ferar. rupta ſi mole Typhoeus
Vinclis proſiliat, Tityos ſi membra reſolvat,
Si furor Enceladi projecta mugiat Aetna,
Oppoſito Stilichone cadant. Nec plura locutus,
Sicut erat, liquido ſignavit tramite nubes,
Ingrediturque globum Lunæ, limenque relinquit

Arca-

156 nurum *aſſeruit Heinſ. & habet Vic. it. Cujac.* virum *al.* 157 dirige *Vien. in marg. it. Baſ. marg.* 160 Undis *al.* vinclis *aſſeruit Heinſ. habet etiam Baſ. marg.* 164 lumenque *al.* *de* limine *Heinſ. ad Aen. 6, 255.*

151 *Solus* curare juſſus utrumque Theodoſii filium Stilicho, de quo deinde contentio orta inter ipſum & Rufinum. Zoſimus 5, 4.

155 Conf. 5, 97.

158 *Ut ducis*, vel quatenus imperatoris filii ſunt, officio publico; *ut ſoceri*, propter vincula privata.

159 Splendida Typhœi in mare & ſub Siciliam a Neptuno ſubmerſi imago eſt Val. Fl. 2, 24 ſqq. unde apparet, nec alteram lectionem *undis* abſurdam eſſe.

163 Conf. 1, 102. Sic dum Cæſaris ſui animam Venus apud Ovid. Met. 15, 845 aſtris intulit, eam *lumen capere atque igneſcere ſenſit.* —— *Luna volat altius illa: Flammiferumque trahens ſpatioſo limite crinem Stella micat.* Conf. Burm. Non diu eſt cum auditæ ſunt adhuc, & forte audiuntur hodie, voces plebeculæ, in illo meteori genere, quod ſtellas cadentes, vel emungentes appellant, neſcio quos animarum commeatus ſomniantis.

164 *Globus* Lunæ non eſt corpus lunare, ſed tota illa ſphæra cava, quæ cum Luna circumagitur: includit illa ſphæram telluris, includitur a Mercurii (hic enim *Arcas* eſt a patria) ſphæra, quam Veneris, Phœbi h. e. Solis, Martis, Jovis, Saturni, orbes deinceps includunt, ut ſcatularum, ciſtellarum que numerus, minorum gradatim majoribus incluſarum, vendi ſolet. Solidi illi orbes, quorum attritu illa muſica cæleſtis Pythagoreorum conſtabat, quorum ſummus a Deo Ariſtotelis circumactus, movebat reliquos: illi igitur orbes ſolidi funditus demum a Tychone Braheo cometarum ope deſtructi, debent tamen habuiſſe foramina quædam, aut fores valvasque transmittendis animabus non minus, quam hic *Machina laxatur cœli* ad accipiendum novum cælitem Theodoſium.

Arcados, & Veneris clementes advolat auras.
Hinc Phœbi permenſus iter, flammamque nocentem
Gradivi, placidumque Iovem, ſtetit arce ſuprema,
Algenti qua zona riget Saturnia tractu.
Machina laxatur cæli, rutilæque pateſcunt
Sponte fores. Arctoa parat convexa Bootes.
Auſtrales reſerat portas ſuccinctus Orion,
Invitantque novum ſidus, pendentque viciſſim,
Quas partes velit ille ſequi, quibus eſſe ſodalis
Dignetur ſtellis, aut qua regione morari.
O decus ætherium, terrarum gloria quondam,
Te tuus Oceanus natali gurgite laſſum
Excipit, & notis Hiſpania proluit undis.
Fortunate parens, primos cum detegis ortus,
Adſpicis Arcadium: cum te proclivior urges,
Occiduum viſus remoratur Honorius ignem.
Et quocumque vagos flectas ſub cardine curſus
Natorum per regna venis, qui mente ſerena,
Maturoque regunt victas moderamine gentes;

165 pervolat *vulg.* 167 Gradivum *MSS. per appoſitionem.* 174 moveri *vulg.* teneri *MS.* 176 lapſum *MSS. Baſ. marg.* 179 proclinior *malit Heinſ. hic & Ovid. Faſt.* 3, 793. 181 flectis & currus *al.* 183 junctas *al.* victas *ex MSS. Heinſ.*

170 Sumta videtur tota hæc imago ſiderum locum offerentium Theodoſio ex Georg. 1, 32 ſq. Bootæ, qui & Arctophylax, ſidus ad Tropicum Cancri ſ. arctoum eſt, & ſignum Virginis: Orion ad Capricorni Tropicum, auſtralem eundem, in vicinia Tauri.

175 Theodoſius jam cæleſte ſidus, amat adhuc patriam ſuam Hiſpaniam, & vicinum illi Oceanum, quo mergitur occidens: quem progenitorem Theodoſio aſſignat 8, 22. Cf. 12, 33. Poterat illi propter Hiſpaniæ amorem peculiariter aſſignare Capricorni viciniam, ſub quo *Hiſpanas gentes* ponit Manil. 4, 793.

178 Quemcunque locum Zodiaci ſumat ſibi Theodoſius, dum oritur (hoc eſt *ortus primos detegere* ſ. oſtendere) videbit filium ſuum Arcadium, cui Orientalis pars imperii ceſſit; dum occidit, Honorium, cui aſſignatus eſt occidens.

180 *Remoratur* habet ἦθος ſuave: jam jam ad occidentem feſtinans pater, non poteſt ſibi temperare, quo minus reſiſtat paulum, videndi Honorii ſui cauſa.

183 *Maturum* feſtinationem & violenta conſilia excludit, ut Cic. ad Dolabellam 9, 14 *Ita pedetentim & gradatim tum acceſſus a te ad cauſam facti tum receſſus, ut res ipſa maturitatem tibi animadvertendi omnium conceſſu daret.*

Sæcula qui rurſus forment meliore metallo.
Luget avarities Stygiis innexa catenis,
Cumque ſuo demens expellitur ambitus auro.
Non dominantur opes: non corrumpentia ſenſus
Dona valent. emitur ſola virtute poteſtas.
Vnanimi fratres, quorum mare terraque fatis
Debentur, quodcumque manus evaſit avitas,
Quod ſupereſt patri. vobis jam Mulciber arma
Præparat, & Sicula Cyclops incude laborat.
Brontes innumeris exaſperat ægida ſignis:
Altum fulminea criſpare in caſſide conum
Feſtinat Steropes: nectit thoraca Pyracmon;
Igniſluiſque gemit Lipare fumoſa cavernis.

Vobis

185 immerſa *quid. MSS. apud Heinſ. qui conj.* immerſa cavernis.

184 Alluſum ad illud ſæculum aureum &c. Sed quomodo hoc dici ſine injuria in Theodoſii ſæculum potuerit, non dixerim, niſi ſi *rurſus* hic non reformationem notat, ſed continuationem.

189 *Fata* hic ſunt, quæcunque divinitus adſignata ſunt & a providentia Deorum attributa. *Avitæ manus* ad Imperatores præcedentes refertur ſimpliciter, qui propter illam adoptionem ad ſocietatem & ſucceſſionem imperii (de qua vid. Ez. Spanh. ad Julia. Or. 1 p. 46 ſq.) ut una familia conſiderantur. Ita 8, 20 *Ibera domus* eſt Trajani & ſucceſſorum. Quin reſpectus etiam ſanguinis hic locum habet, quod Theodoſius Imp. *originem a Trajano principe trahere* quibusdam creditus eſt, ut Aurelio Victori epit. 48. Et aperte alludit noſter 8, 19: & *laudes avitas* eadem ratione ponit v. 41. conf. 12, 33.

192 Ut Æneæ Veneris rogatu apud Virg. Æn. 8, unde v. 417 & Lipara & Cyclopum accepta nomina. Luxuriarunt in clipeis ingenia poëtarum poſt Homerum Heſiodumque, ut mirer, ita breviter ab hac velut Sirene expedire ſe potuiſſe noſtrum.

194 *Criſpare* audacter poſitum, conum ex ære parare jubis aut pennis criſpis recipiendis aptum: niſi malimus e filamentis metallicis paratam criſtam; ne nova ſint capillamenta ferrea, quæ formari nuper geſtarique cœperunt.

197 Debet nobiles equarias ea tempeſtate habuiſſe Jonia, campeſtris regio & graminoſa. Neptuni opus equum, eumque inde *ἵππιον* vocari ſ. equeſtrem, & præſidem eſſe olim ludorum curulium, qui meminerit, ille hunc locum facilius intelliget. A poëtica autem phantaſia eſt, quod *virides* facit, quod *alga* nutrit: hyperbole illa leviſſimæ celeritatis etiam aliis placuit. Fontem modo indicabimus Iliad. Υ, 227 de equabus e Borea conceptis Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων. & 229 Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον. Et primum rivum Æn. 7, 801 Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas: Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

Vobis Ionia virides Neptunus in alga
Nutrit equos, qui ſumma freti per cærula poſſint
Ferre viam, ſegetemque levi percurrere motu,
Neſciat ut ſpumas, nec proterat ungula culmos.
Jam video Babylona rapi, Parthumque coactum
Non ficta trepidare fuga: jam Bactra teneri
Legibus, & famulis Gangen palleſcere ripis,
Gemmatoſque humilem diſpergere Perſida cultus.
Ite per extremum Tanain, pigroſque Triones.
Ite per ardentem Libyam: ſuperate vapores
Solis, & arcanos Nili deprendite fontes.
Herculeum finem, Bacchi tranſcurrite metas.
Veſtri juris erit quidquid complectitur axis.
Vobis rubra dabunt pretioſas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

206 arentem *malit Heinſ. Sed* ardentem *vehementius, h. e. magis Claudianeum.*

202 *Non ficta*, ut alias, quam metuere ſolebant Romani. Multa de illa Bentl. ad Hor. Car. 2, 13. 17.

204 *Diſpergunt gemmatos cultus Parthi*, abjiciunt, ut ſupplicantium habitum ſumant, ſordidati potius, quam gemmati, aurative.

208 *Herculeum finem* ad Occidentem, columnas Herculis, *Bacchi metas* ſ. Liberi patris in Oriente, quas attigiſſe gloriabatur Alexander.

209 Abutuntur *axis* nomine poëtæ. Oportet non lineam cogitare in talibus, ſed fornicem. V. ad 15, 458.

210 *Rubrum* mare eſt etiam ſinus Perſicus margaritis nobilis, & totus meridionalis Oceanus. *Ramos* turiferos quia ſola habet Arabia, ideo Panchaiam poëtarum illi adſcribunt Geographi. *Serum vellera* nondum ſatis noverat illa ætas, quæ ſericum goſſypii inſtar, pecti de arboribus putaret. Juſtiniani demum regno allati in Græciam bombyces veri, hodie etiam Germanorum puellis notiſſimi. *Vellera* dicta a poëtis ob qualemcunque lanæ ſimilitudinem. Quæ ſunt apud antiquiores V. G. Pauſaniam Eliac. 2 extr. de natura ſerici, ab hodierna experientia abhorrentia, ea mercatoriæ vanitati videntur adſcribenda, quorum intereſſet, veram rationem non vulgari.

VIII

CL. CLAUDIANI

DE QUARTO CONSULATU *)

HONORII AUGUSTI

PANEGYRIS

Auſpiciis iterum ſeſe regalibus annus
Induit, & nota fruitur iactantior aula,
Limina nec paſſi circum privata morari
Exſultant reduces Auguſto Conſule faſces.
Cernis ut armorum proceres, legumque potentes,
Patricios ſumunt habitus, & more Gabino
Diſcolor incedit legio, poſitiſque parumper
Bellorum ſignis, ſequitur vexilla Quirini?
Lictori cedunt aquilæ, ridetque togatus
Miles, & in mediis effulget Curia caſtris?
Ipſa Palatino circumvallata Senatu
Jam trabeam Bellona gerit, parmamque removit

Et

3 paſſim *Baſ. marg. Forte fuit* paſſim -- morati.

*) Hunc quartum ConſulatumRelandus ex idoneis monimentis ponit A. V. 1150. A. C. 398 collega Fl. Eutychiano. Hoc porro Carmen principem locum mereri ait Barthius, doctrina, inſtructione, eloquentia incomparabile: & impendit ei Commentarios hiſtoriarum & eruditionis plenos: ſed ita longos, ut poëtam pene obruant.

2 *Induit ſe annus auſpiciis regalibus*, tanquam paludamento & inſigni veſte, *nota aula fruitur*, quia hic jam eſt quartus conſulatus Honorii.

6 De *more Gabino* dictum ad 7, 3. *Diſcolor* quod partim togis albis induti per hanc occaſionem milites, partim cum rubris ſagulis apparent.

8 *Quirinus*, ut *Quirites*, pacis & urbis nomen: *vexilla* etiam in comitiis Romae.

9 Summa alioqui aquilarum & ſignorum veneratio: hodie cedunt lictoribus pacatis.

12 *Trabeam* gerunt, dum Romæ transuehuntur, equites. Hic *Bellona* poni videtur univerſim & confuſim pro militibus, vel equitibus potius. Succollari & geri a militibus imperatores, non novum Romæ, & factum in Claudio ap. Sueto. c. 10, in Othone c. 6, in Vitellio c. 8. Sed hæc per tumultum. Noſter portatur in pompa conſulari, de qua etiam infra v. 567. Huc pulchre aduocatus a Barthio Mamertinus Paneg. 10, 30 ubi de

Et galeam, ſacras humeris vectura curules.
Nec te laurigeras pudeat, Gradive, ſecures
Pacata geſtare manu, Latiaque micantem
Loricam mutare toga, dum ferreus hæret
Currus, & Eridani ludunt per prata jugales.
Haud indigna coli, nec nuper cognita Marti
Vlpia progenies, & quæ diademata mundo
Sparſit, Ibera domus: nec tantæ vilior unda
Promeruit gentis ſeriem. cunabula fovit
Oceanus. terræ dominos, pelagique futuros
Immenſo decuit rerum de principe naſci.
Hinc proceſſit avus: cui, poſt Arctoa frementi

20 tantæ *aſſeruit Heinſ.* tantam *it.* tandem *al. pro* unda *Baſ. marg.* aula.

de Imp. Juliano ita praedicat: *Pene intra ipſas domus Palatinae valvas lecticas conſulares iuſſit inferri: et quum honori eius venerationique cedentes, ſedile illud dignitatis ampliſſimae* (intelligo curulem ſellam lecticæ h. e. feretro lecticæ ſimili compoſitam) *recuſaremus, ſuis nos prope manibus impoſitos — præire coepit pedes &c.* Cf. inſra v. 584 & 17, 278.

14 Vt *Bellonae* nomine modo ſignauit equites; ita *Gradiui* appellationem tribuere videtur militaribus hominibus, forte tribunis, qui in hac pompa Auguſto conſuli ſecures præferrent & operam adeo lictorum darent.

16 Haeret currus Martis ferreus, non puto in incili vel quocunque impedimento, ſed ſtat honoris Honorio habendi cauſa.

17 *Eridani* tanto facilius mentionem facere poëta potuit, quod Mediolani ſuscepiſſe conſulatum videtur Honorius: certe Decembre exeunte, & Kalendis Januarii illum Mediolani fuiſſe, legum ſubſcriptio docet.

19 *Ulpia progenies* Trajani, de qua ad 7, 190 monuimus. Hic ita inſtituit ſe Poëta, ut videatur ipſum Oceanum patrem facere Vlpiæ gentis, quem non modo *cunabula* illius *fouiſſe* dicat, ſed etiam *terræ dominos pelagique futuros*, h. e. Imperatores Romanos, *immenſo rerum de principe* natos dicat, quæ non profecto Traiani deſcriptio eſt, verum ipſius Oceani patris, e quo nata eſſe omnia, non modo Thaletis philoſophia eſt, ſed Orphica etiam. Hymnus quidem illius p. 178 Eſchenb. ita incipit:

Ὠκεανὸν καλέω, πατέρ' ἄφθιτον, αἰὲν ἐόντα,
Ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Homerus poëtarum ipſe Oceanus Ιλ. Ξ, 201

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθὺν

celebrat: *Oceanumque patrem rerum* Virg. Go. 4, 82.

24 *Auus* Honorii comes Theodoſius de quo 7, 52. unde totus hic locus hiſtoricam enarrationem poteſt accipere.

Claſſica, Maſſylas annexuit Africa lauros.
Ille, Caledoniis poſuit qui caſtra pruinis,
Qui medios Libyæ ſub caſſide pertulit æſtus,
Terribilis Mauro, debellatorque Britanni
Litoris, ac pariter Boreæ vaſtator & Auſtri.
Quid rigor æternus cæli, quid ſidera proſunt,
Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuſo
Orcades. incaluit Pictorum ſanguine Thule.
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.
Quid calor obſiſtit forti? per vaſta cucurrit
Aethiopum, cinxitque novis Atlanta maniplis.
Virgineum Tritona bibit, ſparſoſque venenis
Gorgoneis vidit thalamos, & vile virentes
Heſperidum riſit, quos ditat fabula, ramos.
Arx incenſa Jubæ, rabies Mauruſia ferro
Ceſſit, & antiqui penetralia diruta Bocchi.
Sed laudes genitor longe transgreſſus avitas
Subdidit Oceanum ſceptris, & margine cæli

Clauſit

27 medio *Scal. ap. Heinſ.* frigora *Cuj. & al.* litora *al. leg. vid. Heinſ. recte.* 30 ſidera *tuetur Heinſ. poſt. Gron. obſ. 3, 12.* 34 quis *Baſ. & al.* obſiſtat *vel* obſtiterit 37 Gorgoneos *al.*

30 *Sidus & ſidera* eſſe totam cæli temperiem, quam vulgo hodie *climatis* nomine deſignant, ſatis notum eſt. Sic noſter 28, 445.

31 *Saxone fuſo ſi Orcades maduerunt*, oportet ibi fuiſſe iam tum Saxones, ſive colonos malimus, ſive auxiliares Britannorum. De *Pictis* vid. 7, 54 it. 18, 391. *Thule* hic aperte Scotia ſeptentrionalis: *Jernes* nomen jam in Orphicis Argonauticis v. 1179 habetur, nec dubium eſt, inde ductum *Hiberniæ* nomen, & *Irland*. Ceterum Scotorum gentem incolere Hiberniam etiam aliorum traditione conſtat.

36 *Virgineus* Tritonis lacus, quod Minervæ ſacer, quæ *Tritonidis* inde nomen habet: & huius eſt in Argonauticis, ubi Libyæ litora legunt, memoria. Vid. Pind. Pyth. Δ, 35 ſqq. Apollo. 4, 1539 ſq.

37 *Gorgonei thalami* ſunt extra columnas, in flexu occidentali Africæ, & ipſi in Perſei & Argonautarum fabulis nobilitati. *Vile virentes* Heſperides, quia non verum aurum habent, ſed aurei coloris ſunt illa poma, quæ a colore *Aurantia* vocantur. *Vile* reſpicit ad copiam.

39 *Juba & Bocchus* Africanorum Regum nomina, quorum hic ob Jugurtham Romanis traditum, ille ob fidem in Pompeium et Pompeianos nobilis eſt.

41 *Genitor* Honorii Theodoſius Imperator *transgreſſus* eſt laudes aui Imperatoris Honorii ſui patris, Theodoſii Comitis, de quibus adhuc dictum eſt.

42 *Marginem cæli* imaginatur poëta tanquam ſphæræ dimidiatæ

vel

Clauſit opes: quantum diſtant a Tigride Gades,
Inter ſe Tanais quantum Niluſque relinquunt.
Hæc tamen innumeris per ſe quæſita tropæis:
Non generis dono, non ambitione potitus.
Digna legi virtus. ultro ſe purpura ſupplex
Obtulit, & ſolus meruit regnare rogatus.
Nam cum barbaries penitus commota gementem
Irrueret Rhodopen, & miſto turbine gentis
Jam deſerta ſuas in nos transfunderet Arctos,
Danubii totæ vomerent cum prælia ripæ,
Cum Geticis ingens premeretur Myſia plauſtris,
Flavaque Biſtonios operirent agmina campos:
Omnibus afflictis, & vel labentibus ictu,
Vel prope caſuris, unus tot funera contra
Reſtitit, extinxitque faces, agroſque colonis
Reddidit, & leti rapuit de faucibus urbes.
Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni pater ille tuus jam jam ruitura ſubiſſet
Pondera, turbatamque ratem, certaque levaſſet
Naufragium commune manu. Velut ordine rupto

Cum

46 potitur *al.* 50 gentis *Heinſ. ex MSS.* gentes *al.* 53 lugens *pro* ingens *coniic. Heinſ.* 54 reperirent *Baſ. & al. ſed* operirent *jam Vic. Vien.* 55 afflatis *MS. quaſi fulmine.* 57 agrisque colonos *MS.*

vel clibani terram, planum orbem tegentis et undique claudentis.

45 *Per ſe* eſt ſua virtute, ſuis laboribus. Latius perſequitur illam electionem a Gratiano factam Pacatus c. 11. Similia, et maiora adeo de Traiano ſuo Plinius Pan. 6, 6, de quo diceret noſter, *ſolus meruit regnare coactus.*

50 *Gentis* ex Heinſianis codicibus retinui merito, pro vulgato *gentes.* Sed quod eſt in Heinſiana annotatione, *Gentis* poſtulare ſenſum, non intelligo. Eſt enim certe Accuſativus pluralis: *Arctos* (ſeptentrio) *jam deſerta*, ob magnam vim virorum emiſſam, *ſuas gentes* ſ. populos in nos transfudit.

53 *Plauſtris*, de quibus pugnarent, in quibus vitam agerent bonam partem, Hamaxobii.

54 *Flava agmina* a capillorum colore, quos ſeptentrionales gentes flavos, rutilos, fulvos, rufos haberent. *Biſtonium* eſſe Thraciæ epitheton, conſtat.

60 Tres ſimilitudines continuat poëta. Theodoſius ſubiit pondera ſ. onus, navis naufragium impedit, velut Phœbus poſt Phaëthontis caſum ordinem rerum reſtituit.

Cum procul inſanæ traherent Phaëthonta quadrigæ,
Sæviretque dies, terramque & ſtagna propinqui
Haurirent radii, ſolito cum murmure torvis
Sol occurrit equis: qui poſtquam rurſus heriles
Agnovere ſonos; rediit meliore magiſtro
Machina concentuſque poli, curruſque recepit
Imperium, flammæque modum. ſic traditus illi,
Servatuſque Oriens. at non pars altera rerum
Tradita, bis poſſeſſa manu, bis parta periclis
Per varium gemini ſcelus erupere tyranni
Tractibus occiduis. hunc ſæva Britannia fudit;
Hunc ſibi Germanus famulum delegerat exſul:
Auſus uterque nefas, domini reſperſus uterque
Inſontis jugulo. novitas audere priori
Suadebat, cautumque dabant exempla ſequentem.
Hic nova moliri præceps: hic quærere tuta
Providus. hic fuſis, collectis viribus ille.
Hic vagus excurrens: hic intra clauſtra reductus.
Diſſimiles; ſed morte pares. evadere neutri
Dedecus, aut miſtis licuit procumbere telis.

Amiſſa

65 corvus *al.* 68 rurſusque *al.* currusque *firmat Heinſ.* 77 tantumque-ſequenti *vulg.* 80 inter *al.*

64 *Dies* hic eſt ignis ille, qui diem luce ſua efficit. Acumen quæſitum e contrario. Dies habet adiunctam notionem rei iucundæ: nunc ſævit.

65 *Solitum murmur* aurigarum agnoſcunt equi: vt in hac urbe ſolent cum fremitu quodam efflare ſonum, *brr* eoque ſiſtere equos inquietos et abitum minantes.

68 *Concentus poli*, cœleſtis illa harmonia muſica, Pythagoreorum ludicrum, dimenſis intervallis et proportionibus planetarum conſtans. Vid. Macrob. ad Somn. Scip. 2, 2 ſq. *Currus* ipſi equi ut in fine Georg. 1 *Neque audit currus habenas.*

69 *Sic traditus illi ſeruatusque Oriens*, ſplendida breuitas, ſervatus quia traditus, ſervari non potuiſſet niſi eſſet traditus.

71 *Poſſeſſa* de occupatione ſermo eſt, ſ. de poſſeſſione parta et acquiſita: ſynonymon eſt *parta*.

73 Maximus tyrannus, Hiſpanus gente, e Britannia erupit cum exercitu contra Theodoſium: Arbogaſtes Francus Eugenium Rhetora ſubornarat. Maximus Andragathii manu Gratianum; Valentinianum per Arbogaſten Eugenius interfecere.

76 *Novitas* h. e. inaudita pene felicitas et ſucceſſus Maximo ſuaſit audaciam: alterum, Eugenium, cautum reddidit exemplum cladis Maximi. Illius audaciam fregit, hujus aſtutiam ſuperavit Theodoſius.

82 *Miſtis telis*, ultro citroque miſſis, reciprocis, verbo, in acie

cadere

Amiſſa ſpecie, raptis inſignibus, ambo
In vultus rediere ſuos, manibuſque revinctis
Oblati gladiis ſubmittunt colla paratis.
Et vitam veniamque rogant. proh damna pudoris!
Qui modo tam denſas nutu movere cohortes,
In quos jam dubius ſeſe libraverat orbis,
Non hoſtes victore cadunt; ſed judice ſontes.
Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos.
Amborum periere duces. hic ſponte carina
Decidit in fluctus: illum ſuus abſtulit enſis.
Hunc Alpes, hunc pontus, habet. ſolatia cæſis
Fratribus hæc ultor tribuit. necis auctor uterque
Labitur. Auguſtas par victima mitigat umbras.
Has dedit inferias tumulis, juvenumque duorum
Purpureos merito placavit ſanguine Manes.
Illi juſtitiam confirmavere triumphi;

Præ-

90 qui *al. male.* 91 ambo rei *conj. Scal. ſed vid. no.* 98 triumphi *etiam Vienn.* juſtitiæ confirmatore triumpho *ſuſp. Barth.* juſtitia confirmatrice triumphi *conj. Heinſii. ſed nihil mut.*

cadere, quod optabant, quod honorificentius, certe minus turpe erat, neutri contigit: ſic habitura erant pretioſa ἐντάφια, in purpura morientes. Nunc coguntur ante mortem *in vultus ſuos*, in habitum humilem alter vernæ, lixae &c. alter Grammatici, redire.

88 *Libraverat*, mira emphaſi. Cogita molem a funiculo ſuſpenſam & huc illuc fluctuantem, ut in libra, cum nondum conſtitere lances: cogita animal, jam erectum, jam paratum, ſi urgeatur, ad deſiliendum.

90 *Damnat* tanquam *judex* ſummus, Theodoſius, *voce* & decreto ſuo, ut *reos*, quos paullo ante ut *tyrannos* bello perſecutus eſt.

91 *Amborum duces*, qui ſub illorum auſpiciis regebant exercitus, Arbogaſtes Eugenii, Maximi Andragathius, quod e Zoſimo conſtat. De illo 4, 58 ἑαυτὸν ὑπέσχε τῷ ξίφει, τὸν ἑκούσιον θάνατον τῆς ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν συλλήψεως προτιμήσας. De hoc 4, 47. αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν τιμωρίαν ἐπέθηκεν, καθεὶς εἰς τὴν θάλασσαν τὸ σῶμα κ. τ. λ.

94 *Fratribus* conſanguineis, Valentiniano, quem Arbogaſtes interfecerat, Zoſim. 4, 54; & Gratiano, quem occiderat Maximus, Zoſim 4, 35.

95 Antiqua opinio a ſenſu, quem quisque habet, vindictæ cupiditatis orta, ſatisfieri manibus eorum, qui injuſte cæſi ſunt, morte auctorum cædis. Plena hiſtoria a Moſe inde, Homero, & Herodoto. Quod *juvenes* vocat Imperatores interfectos, etiam hoc cum hiſtoria convenit: *purpurei* manes regum purpuratorum, vel cruenta morte peremtorum: poſterius ingenio poëtae videtur convenientius.

98 *Illi triumphi* Theodoſii *confirmavere juſtitiam* Dei, eo modo ut ille Phlegyas Aen. 6, 620 per umbras teſtatur *Diſcite juſtitiam &c.*

Præſentes docuere Deos. hinc ſæcula diſcant
Indomitum nihil eſſe pio, tutumve nocenti.
Nuntius ipſe ſui longas incognitus egit
Prævento rumore vias. inopinus utrumque
Perculit, & clauſos montes, ut plana, reliquit.
 Exſtruite immanes ſcopulos, attollite turres,
Cingite vos fluviis, vaſtas opponite ſilvas,
Garganum Alpinis, Apenninumque nivalem
Permiſtis ſociate jugis, & rupibus Æmum
Addite Caucaſiis, involvite Pelion Oſſæ.
Non dabitis murum ſceleri. qui vindicet, ibit.
Omnia ſubſident meliori pervia cauſſæ.
 Nec tamen oblitus civem cedentibus atrox
Partibus infremuit. non inſultare jacenti
Malebat. mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat. paci non intulit iram
Poſt acies. odiis idem, qui terminus armis.
Profuit hoc vincente capi, multoſque ſubactos
Proſpera laturæ commendavere catenæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum;
Pronus & in melius gaudens convertere fata.

Hinc

101 ſuis *Baſ.* ſibi *id. marg.* 107 permitto, permittes, permites, permixtos, pernices, pernicem, pernici *MSS.* Pirenes ſoc. *conj Barth. & Heinſ.* Apenninoque Niphaten *al. conj. Barth.* 109 vindicat *al.* 117 proſpera *etiam Vic.* aſpera *al.* catervæ *Baſ. marg.*

100 *Indomitum*, inſuperabile malum: nihil eſt quod vir pius domare et in ſuam commoditatem vertere non poſſit.

101 Celeritatem Theodoſii deſcribit, qua oppreſſit vtrumque: illud *reliquit* v. 103 per Synecdochen dictum, vt in certamine curſus, et quovis alio adeo, relinquitur, qui ſuperatus eſt.

105 Splendidus locus. Provocat veluti gigantes ad Theomachian ita tyrannos impios, ut munimenta obiiciant Juſtitiæ ultrici: continuare jubet illos Garganum montem Apuliæ & Alpes, intercedente & velut copulante Apennino, jugis ita ſibi permiſtis, ut fines jam non indicari diſcerniue poſſint, nedum vt tranſitus pateat: hæc & his ſimilia molimini, tyranni, tamen tuti non eritis: *ibit* enim per illa clauſtra excitatus & adiutus a Deo, *qui vindicet* veſtra ſcelera.

117 *Catenæ* quosdam commendarunt principi, ipſiusque mouerunt miſericordiam, hoc eſt *ferre proſpera*, i. afferre.

Hinc amor, hinc validum devoto milite robur.
Hinc natis manſura fides. hoc nobilis ortu
Naſceris, æquæva cum majeſtate creatus,
Nullaque privatæ paſſus contagia ſortis.
Omnibus acceptis ultro te regia ſolum
Protulit, & patrio felix adoleſcis in oſtro,
Membraque veſtitu numquam temerata profano
In ſacros cecidere ſinus. Hiſpania patrem
Auriferis eduxit aquis. te gaudet alumno
Boſporus. Heſperio de limite ſurgit origo:
Sed nutrix Aurora tibi. pro pignore tanto
Certatur. geminus te civem vindicat axis.
Herculis, & Bromii ſuſtentat gloria Thebas.
Hæſit Apollineo Delos Latonia partu;
Cretaque ſe jactat tenero reptata Tonanti.
Sed melior Delo, Dictæis clarior oris,
Quæ dedit hoc Numen regio. non litora noſtro

Suffice-

123 commercia *MS. Palm.* 126 violata *Baſ. marg.*
129 limite *Heinſ. ex MS. pro* limine *aliorum.*

121 Ab hac clementia Theodoſii provocata eſt *fides* militum & civium *manſura* etiam *filiis* ipſius: tibi præſertim, Honori, qui patre jam Auguſto *creatus*, æqualem ævo tuo, æque longam atque eſt ætas tua, majeſtatem habes.

123 *Contagia* nihil, puto, hic ſordidum aut foedum, atque peſtilens adeo ſignificat; ſed negat poëta ſimpliciter, priuati ſanguinis quidquam hunc porphyrogennetum habere: præfert illum Arcadio, ſed ſine verbi injuria, qualis mox eſt in *veſtitu profano* quo negantur *temerata membra.*

124 Solum te, Honori, regia protulit, ſolus in regia natus es, *omnibus* auguſtæ dignitatis majeſtatisque inſignibus, *ultro* tribuente Deo, jam *acceptis* a patre tuo. Sic certe explicari poſſe videntur verba *omnibus acceptis ultro*: fateor tamen, me optare, aliquid excogitari vel inveniri melius.

127 *Sacri ſinus* ſunt gremia auguſtorum parentum, & ſinus purpurei per quos puer repſit. *Sacra* a Conſtantini ævo & *ſacrata* & *divina* fiunt omnia, quæ principes contingunt, ut quæ Midas, aurea.

127 *Hiſpania* vid. ad v. 19. *Auriferas* Tagi *aquas* nemo ignorat.

130 *Auroram* vocat Orientale imperium etiam 5, 100.

132 *Bromii* h. e. Bacchi mater Semele Cadmi filia, conditoris Thebarum.

133 *Hæſit*, firmata & ſtabilita ſuis radicibus, vaga ante & fluctuans inſula Deli, in gratiam partus Latonæ. Hoc argumentum Hymni Callimachei in Delum.

136 *Litora anguſta* quibus incluſa Delos eſt, Cynthus, Deli mons, hac ipſa aſperitate nobilis, nomen dedit Apollini ac Dianae.

Sufficerent anguſta Deo. nec inhoſpita Cynthi
Saxa tuos artus duro læſere cubili.
Acclinis genitrix auro, circumflua gemmis,
In Tyrios enixa toros. ululata verendis
Aula puerperiis. quæ tunc documenta futuri?
Quæ voces avium? quanti per inane volatus?
Quis vatum diſcurſus erat? tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere ſilentia Delphi.
Te Perſæ cecinere Magi. te ſenſit Etruſcus
Augur, & inſpectis Babylonius horruit aſtris.
Chaldæi ſtupuere ſenes, Cumanaque rurſus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.
Nec te progenitum Cybeleius ære ſonoro

Luſtra-

138 læſura *MSS. ap. Heinſ. belle.*

139 Comparat partum Honorii cum miſeria Latonæ, quæ humeris adnixa palmæ geminos ſuos edidit, Call. H. in Del. 208 *ἀπὸ δ' ἐκλίθη ἔμπαλιν ὤμοις Φοίνικος ποτὶ πρέμνον.* *Circumflua* pulchre illuſtravit Claverius ex numo Eudociæ Arcadii: & ſunt tales publicati poſtea plures a Cangio in famil. Byzant. præſertim Gallæ Placidiæ p. 65 & Liciniæ Eudoxiæ p. 67.

140 *Ululata* ad gemitus & clamores puerperæ referam. Nam quod de miniſtrantium muliercularum affectatis cerimoniæ cauſa clamoribus dicit Barthius, non ille quidem probauit: neque, ſi ſatis attendi, obſeruatum quidquam Bartholino. Quod apud Tertull. de anima c. 39 *in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur*, ipſum quoque de puerpera poteſt ſola intelligi. Sed nec illud omittendum, medium verbum eſſe vlulare, quod monuit jam Serv. ad Aen. 4, 168, contulitque Luca. 6, 261 *Laetis ululare triumphis.* Poteſt itaque etiam gratulantium ſtrepitus intelligi. Quæ ſequuntur de auguriis, præſertim de oraculis, ea licentioſius, quam probabilius a poëta ficta puto, cujus vel vitium vel ingenium eſt, non poſſe deſinere. *Ammon* obſoletus tum erat, *Delphi* jam Plutarchi ætate conticuerant.

146 *Babylonius horruit*, cum videret ab aſtris portendi regem qui totum orbem ſibi ſubiiceret, quod ſine concuſſione patriæ ſuæ fieri non poſſe exiſtimaret.

148 *Cumana rupes*, ut Aen. 6, 42 *Exciſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum.*

149 Comparat Honorii partum cum Jovis incunabulis, cujus vagitus pueriles in antro Dictaeo Cretæ, occultarunt, ne Saturnus devorator liberorum ſuorum exaudiret, ſua tumultuoſa in armis ſaltatione Curetes ſ. Corybantes. Ponamus verba Callimachi H. in Jovem 52, *Οὖλα δὲ Κούρητές γε περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο, Τεύχεα πεπλήγοντες, ἵνα Κρόνος οὔασιν ἠχὴν Ἀσπίδος εἰσαΐοι, καὶ μή σεο κουρίζοντος.* Dedit, ut ſolet, de Corybantibus omnia ad h. l. vir ſummus Spanhemius. *Cybeleios* dictos meminerimus, ob id ipſum, quod Cybelen, Rheam, matrem Jovis & Deorum aliorum comitarentur. Honorio pro furioſis Corybantibus adeſt naſcenti armatus exercitus.

Luſtravit Corybas. exercitus undique fulgens
Adſtitit. ambitus ſignis auguſtior infans
Sentit adorantes galeas, redditque ferocem
Vagitum lituis. vitam tibi contulit idem
Imperiumque dies. inter cunabula Conſul
Proveheris. ſignas poſito modo nomine faſtus;
Donaturque tibi, qui te produxerat, annus.
Ipſa Quirinali parvum te cinxit amictu
Mater, & ad primas docuit reptare curules.
Vberibus ſanctis, immortalique Dearum
Creſcis adoratus gremio. tibi ſæpe Diana
Mænalios arcus venatriceſque pharetras

Suſ-

151 ambitur-ſenſit *al.* 155 ſignans *al.* faſtos *al.* faſtus *probavit Heinſ.* 159 Deorum *al.*

152 In *feroci vagitu* illud ingenium ludibundum Alexandrini poëtae agnoſcas.

154 *Inter cunabula.* Qui hunc locum totum præſertim v. 156 attente legerit, non poteſt aliter putare quam intra primum ætatis annum Conſulem pronunciatum ſcriptumque in faſtis Honorium. Ex eo quidem nihil colligas, quod Poeta teſte *ſignabat faſtos & annum* hic puer *poſito* h. e. impoſito vix ſibi *nomine*. Neſcio an exſtet memoria, quando nomen acceperit, quando baptizatus ſit, utrum in baptiſmo demum, an antiquo die luſtrico, nono, nomine Honorii auctus ſit? Magnam quidem dubitandi cauſam præbet illud, quod Socrates H. E. 5, 6 auctor eſt, ipſum patrem Theodoſium, a majoribus inde (ἄνωθεν ἐκ προγόνων) Chriſtianum, jam Imperatorem quadragenario majorem (quod colligas ex 5, 26.) in periculo mortis conſtitutum, Theſſalonicæ ab Aſcholio epiſcopo baptizatum eſſe. *Poſitum modo nomen* ergo nihil definit, & poſſemus facile intelligere Poëtam de tertio anno pueri Auguſti, Chriſti 386, quo illum cum Evodio Conſulem faciunt faſti & inſcriptiones omnes apud Relandum, & in Gothofredi Chron. Cod. Theod. ut eſt a Rittero auctum. Sed quid faciemus de hoc verſu, *Donaturque tibi, qui te produxerat annus?* Hic profecto non poteſt intelligi alius, quam quo natus eſt: jam vero natus eſt Honorius non ſe Coſ. & Evodio, ſed V. Idus Sept. Richomere & Clearcho Coſſ. Chriſti 384, quod diſerte docent Socrates H. E. 5, 12, Idacius & Marcellinus in Chronicis, ceteri. Hinc falſi ſunt, an hic poëtae licentia abuſus eſt Claudianus? Hoc videtur probabilius, h. e. ad credendum minus difficile in poëta, qui miracula captat & ἀπροσδόκητα, qualia ſunt etiam, quæ ſtatim de nutricatu Dearum fingit.

159 Quod *ſanctis uberibus* creviſſe dicit Honorium, lactatum etiam ab Junone vel Cerere indicat.

Suſpendit, puerile decus. tu ſæpe Minervæ
Luſiſti clipeo, fulvamque impune pererrans
Aegida, tractaſti blandos interritus angues.
Sæpe tuas etiam jam tum gaudente marito
Velavit Regina comas, feſtinaque voti
Præſumtum diadema dedit. tum lævibus ulnis
Suſtulit, & magno porrexit ad oſcula patri.
Nec dilatus honos. mutatus principe Cæſar
Protinus æquaris fratri: nec certius umquam
Hortati Superi. nullis præſentior æther
Affuit ominibus. tenebris involverat atra
Lumen hiems, denſoſque Notus collegerat imbres.
Sed mox, cum ſolita miles te voce levaſſet,
Nubila diſſolvit Phœbus, pariterque dabantur
Sceptra tibi mundoque dies. caligine liber

Boſ-

165 jam 'nunc *MS.* 167 lenibus *al.* 170 æquari & *mox* Hortari *MSS. ap. Heinſ. quod illi concinnum videtur.* 172 atris *al.* atra *Heinſ. ex MSS.* aſtra, aſtri, aſtris, auſtri *al.*

162 *Suſpendit*, luſus cauſa, ab humeris pueri.

163 *Impune*, ſine noxa, obrigeſcunt alias, qui caput Meduſæ, quod in Aegide gerit Minerva, intuentur.

167 *Præſumtum diadema*, ſumtum ante legitimam & conſuetam ætatem.

169 His quaſi gradibus aſcendit Honorius, *Nobilis Puer*, *Princeps Juventutis*, *Nobiliſſimus Cæſar*: denique *Auguſtus*. *Nobilis Puer*, N. P. in faſtis, alia in numis frequentia.

170 *Aequaris fratri*, Arcadio omnibus his titulis: *nec certius ſunt hortati*, clarioribus ſignis, auguriis, ominibus voluntatem ſuam & fata oſtenderunt, *ſuperi*. Servat poëta formulas loquendi (vix enim aliud ſunt) paganorum apud Chriſtianos Imperatores, ut noſtri librorum noſtrorum apud Imperatores gentiles.

174 *Levaſſet* poteſt hic intelligi de ſublatis militum clamoribus, quia additur *ſolita voce*. Sed vix dubium eſt, quin formula certe orta ſit ex levatione proprie dicta in tribunal, quod Romanum eſt, vel in clipeum adeo, quem Gallicæ gentis morem ſervarunt milites, qui Julianum in Gallia fecere Auguſtum. Zoſim. 3, 9 *ἐπί τινος ἀσπίδος μετέωρον ἄραντες, ἀνεῖπον σεβαστὸν αὐτοκράτορα.* plane ut Ammianus 20, 4 *Impoſitus ſcuto pedeſtri & ſublatius eminens nullo ſilente Auguſtus renunciatus.* Plura hic Lindebr. & Valeſius. Eſt etiam C. G. Schwarzii de antiquo ritu elevandi principes inaugurandos diſſertatio, Altorfii 1730 habita, qui putat p. 15, quod de ſimili ritu in Valentiniani I. inauguratione adhibito memorat Nicephorus, illud ornandi modo cauſa ab illo affictum eſſe.

Boſporus adverſam patitur Chalcedona cerni.
Nec tantum vicina nitent: ſed tota repulſis
Nubibus exuitur Thrace. Pangæa renident,
Inſuetoſque palus radios Mæotia vibrat.
Non Boreas nimbos, non Sol ardentior egit.
Imperii lux illa fuit. præſagus obibat
Cuncta nitor: riſitque tuo Natura ſereno.
Viſa etiam medio populis mirantibus audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuſo
Languida, ſed quantus numeratur nocte Bootes.
Emicuitque plagis alieni temporis hoſpes
Ignis, & agnoſci potuit, cum Luna lateret.
Sive parens Auguſta fuit, ſeu forte reluxit
Divi ſidus avi, ſeu te properantibus aſtris
Cernere Sol patiens cœlum commune remiſit.
Apparet quid ſigna ferant. ventura poteſtas
Claruit Aſcanio, ſubita cum luce comarum

180 Mæotia *probat hic & alias Heinſ. pro* Mæotica. *Cf. Burm. ad Virg. Ge.* 3, 349. 188 luceret *Baſ. marg.* 190 *Sic reſtituit ex MSS. Heinſ. Varie fluctuabat lectio:* Divus auus ſeu te claris, &c. *pro* claris *eſt* clarus, rata, natum, jamjam, cœlo, nitidis, puero, cunctis.

177 Conſtantinopolis & Chalcedon Boſporo interjecto ſeparantur. Cælo ſereno & vaporibus e mari ſurgentibus non turbato, poſſunt utriusque urbis incolae alteram videre.

179 *Pangaei* montis mentio ſolemnis eſt poëtis in deſcribenda Thracia.

185 *Audax* erat ſtella, quae die, tempore non ſuo ſe auderet oſtendere: eadem *dubitanda nihil* erat, ut in illo, *qui videt aut vidiſſe putat per nubila Lunam.* Vtrum hoc ſimpliciter fictum ſit, & eſt ſane valde audax poëta Claudianus; an meteoron quoddam ſimile ſtellæ viderit aliquis, aut viſum aliis crediderit, parum refert.

189 *Parens Auguſta,* Aelia Flaccilla, mortua cum vix anniculus eſſe Honorius. De avi apotheoſi nihil conſtat; itaque etiam hoc merum poëtæ commentum eſt. Conſ. 7, 163.

190 Ludicra & Alexandrina fictio. Aſtra cupiunt mox videre Honorium: itaque ſol indulgens illis, certe uni illorum, permittit proſpicere, & *commune remittit* h. e. permittit commune ſecum ſtellæ eſſe, quod ex lege naturae interdiu ipſi eſt proprium.

193 *Aſcanio claruit* h. e. clare ſe prævidendam oſtendit. Fabula eſt Aen. 2, 682 *Ecce Jovis ſummo de vertice viſus Juli Fundere lumen apex, tractuque innoxia molli Lambere flamma comas &c.* Reſpexit, Servio judice, Virgilius ad fabulam de Servio Tullio, quæ eſt Liv. 2, 39. *Apex & Vertex* videntur hic *συνωνύμως* poni pro Phrygia illa tiara ſ. pileo.

Innocuus flagraret apex, Phrygioque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.
At tua cœleſtes illuſtrant omina flammæ.
  Talis ab Idæis primævus Jupiter antris
Poſſeſſi ſtetit arce poli, famuloſque recepit
Natura tradente Deos. lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Moturæ convexa comæ. tum ſcindere nubes
Diſcebat, fulmenque rudi torquere lacerto.
Lætior augurio genitor, natiſque ſuperbus
Jam paribus, duplici fultus conſorte redibat,
Splendebatque pio complexus pignora curru.
Haud aliter ſummo gemini cum patre Lacones
Progenies Ledæa ſedent: in utroque relucent
Frater, utroque ſoror. ſimili chlamys effluit auro.

Stel-

194 fluidoque *MSS.* 201 jubæ *MSS. ap. Heinſ. ut* Martial. 1, 88. Gr. χαίτῃ. *ſ.* cum *pro* tum *melius*, *ut præcedat comma.* 203 auguriis *MS.* augurii *conj. Heinſ.* 207 relucet *al.* 208 ſimilis *vulg.* ſimili aura *conj. Barth.*

196 *Omina tua*, fata, & fortunæ tibi divinitus oſtenſæ.

197 *Primævus Jupiter*, in primo ævo, *creſcens* ut in numis vocatur.

199 *Natura tradente* idem ſignificat poëta noſter, quod Callimachus, cum negat Jovi ſorte eveniſſe cælum, ſed ob præſtantiam naturæ ſuæ & factorum. Οὔ σε, inquit v. 66, θεῶν ἑσσῆνα πάλοι θέσαν, ἔργα δὲ χειρῶν Σή τε βίη, τό, τε Κάρτος κ. τ. λ.

201 *Moturæ convexa.* Exprimit illum Homericum Jovem, e quo ſuum expreſſit Phidias, Ιλ. Α, 529 Αμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον. Sic Ovidianus Met. 1, 179 *Terrificam capitis concuſſit terque quaterque Cæſariem, cum qua terram, mare, ſidera, movit.*

204 *Redibat*, credo a publica cerimonia, & imagine quadam comitiorum populi.

205 *Pio curru* quo pietatem in filios communicando cum illis honore aperiebat Theodoſius.

206 Deſidero locum vel occaſionem, ubi Dioſcuri cum Jove patre eodem curru vecti, vel eidem aſſediſſe menſæ, narrentur. Forte de illis Samothraciis Dioſcuris, Caſtore & Polluce antiquioribus, tale quid legerat, viderat Claudianus. Vid. de illis Hemſterh. ad Lucia. Dial. Deor. 26 vbi etiam de indiſcreta Caſtoris & Pollucis ſimilitudine, in qua falli ſe dicit Apollo, doceturque a Mercurio notam qua diſcernere illos poſſit.

208 Sunt inter ſe ſimiles Caſtor & Pollux, ſunt ſimiles Helenæ ſorori ſuæ, veſtitu etiam indiſcreto utuntur. *Effluit* reſpicit ad formam chlamydis apertam patulamque una tantum junctam fibula ut fluere poſſit libere.

Stellati pariter crines. juvat ipſe Tonantem
Error, & ambiguæ placet ignorantia matri.
Eurotas proprios diſcernere neſcit alumnos.
Vt domus excepit reduces, ibi talia tecum
Pro rerum ſtabili fertur ditione locutus.
„Si tibi Parthorum ſolium fortuna dediſſet,
Care puer, terriſque procul venerandus Eois
Barbarus Arſacio conſurgeret ore tiaras:
Sufficeret ſublime genus, luxuque fluentem
Deſide nobilitas poſſet te ſola tueri.
Altera Romanæ longe rectoribus aulæ
Conditio. virtute decet, non ſanguine niti:
Major & utilior fato conjuncta potenti,
Vile latens virtus. quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit obſcuro? veluti ſine remige puppis.
Vel lyra, quæ reticet; vel, qui non tenditur, arcus.
Hanc tamen haud quiſquam, qui non agnoverit ante
Semet, & incertos animi pacaverit æſtus,
Inveniet. longis illuc ambagibus itur.

214 natura *MSS. etiam Cuj.* h. e. *naſcendi conditio.* tuliſſet *Baſ. marg.* 216 Aſſyrio *MSS.* 221 ulterior *al.* facto *al.* 223 obſcuris *Cuj.* 226 placaverit *al. & habent fere paria jura* pacare & placare *etiam alias.* inceſtos *Vien. marg. Baſ. marg. & al.*

209 *Stellati crines*, ſtella ad frontem, vel apici pilei appoſita comparet in picturis antiquis.

210 *Ambigua* eſt mater Dioſcurorum Leda h. e. ambigit, incerta eſt, uter Pollux ſit, uter Caſtor. *Eurotas* fluvius, ad cujus ripas cum alia Laconum adoleſcentia ſolebant exerceri.

213 *Pro rerum ſtabili ditione*, ut firmum, ſtabile, verumque adeo imperium, puero pareret: & eſt ſane hoc vere *δῶρον βασιλικὸν* ſ. *εἰκὼν βασιλικὴ*, quam hic Theodoſio tribuit Poëta. *Teſtamentum politicum* ſæculi more dicas.

216 *Conſurgeret* ad *ὀρθὴν τιάραν* reſpicit ſ. erectam, regum propriam: *κεκλιμένην*, inclinatam, gerebant etiam duces ſ. ſatrapae. Omnia dat Briſſo. de regio Perſar. principatu 1, 46.

221 *Virtutem fato* eximunt Stoici, & ipſum ſolum ſapientem eius faciunt auctorem: *fati* autem pars eſt, *fatumque* adeo eſt fortuna, regia, humilis. Ut vero gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus, ita *virtus fato potenti*, fortunæ regiæ *conjuncta major* eſt ob id ipſum, quia *utilior*: contra *vile* quiddam & contemtibile *virtus latens*: *paullum ſepultæ diſtat inertiæ celata virtus* Hor. Car. 4, 9. 29. *Fatum* ita ponit etiam mox v. 273.

Diſce orbi, quod quiſque ſibi. Cum conderet artus
Noſtros, ætheriis miſcens terrena Prometheus,
Sinceram patrio mentem furatus Olympo
Continuit clauſtris, indignantemque revinxit.
Et, cum non aliter poſſent mortalia fingi,
Adjunxit geminas. illæ cum corpore lapſæ
Intereunt: hæc ſola manet, buſtoque ſuperſtes
Evolat. hanc alta capitis fundavit in arce
Mandatricem operum, proſpecturamque labori.
Illas inferius collo, præceptaque ſummæ
Paſſuras dominæ digna ſtatione locavit.
Quippe opifex veritus confundere ſacra profanis,
Diſtribuit partes animæ, ſedeſque removit.
Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi,

Præ-

228 orbis *male vulg. unde conjecturæ variæ*, Diſcordis, Diſce orbes q. quinque. orbi *ex MSS. Gron. Heinſ.* 230 patri *al.* 232 flecti *pro* fingi *Baſ. marg.* 236 proſpectricemque *al.* ſpectatricemque laborum *al.* 239 committere *MS.* 242 imbuſtam *MS. unde* ambuſtam *conj. Heinſ.*

228 *Quod quiſque* privatus *ſibi* ſolet diſcere, hoc tu, puer, *diſce orbi* univerſo profuturum olim.

231 Reſpicitur ad Platonicum commentum de animis in corpus tanquam in carcerem detruſis.

233 *Geminas* non quidem proprie *mentes*, quod ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, de communi nomine, repetendum erat, ſed cognata appellatione *animas* adjunxit figmento ſuo, homini, figulus noſter Prometheus. Tres igitur animas habemus: τὸ ἡγεμονικὸν ducatum quaſi mentis in capite, in præcordiis τὸ θυμικὸν impetus vehementiores, quales ſunt iræ: cupiditates ceteras, τὸ ἐπιθυμητικὸν in ventre inferiore. Sed ponemus etiam verba Ciceronis Tuſ. 1. 10 *Plato triplicem finxit animam, cujus principatum id eſt rationem in capite, ſicut in arce poſuit: & duas partes ei parere voluit, iram & cupiditatem, quas locis diſcluſit; iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locavit.* Fons eſt Plato de rep. 9 p. 506. in primis vero in Timæo p. 542, G. Nos brevitatis cauſa hic modo utemur Alcinoi Iſagoge.

234 *Hæc ſola manet.* Alcinous c. 23 ψυχὴν παραλαμβάνοντες ἀνθρωπίνην ἀθάνατον οὖσαν παρὰ τοῦ πρώτου θεοῦ, οἱ τὰ θνητὰ δημιουργοῦντες θεοί, δύο αὐτῇ προσέθεσαν μέρη θνητὰ κ. τ. λ. Dii illi ſecundarii, quibus mortalia creanda commiſit primus & ſummus Deus, partes illas duas poſteriores mortales, primae immortali adiecerunt. Plura & hic habet & c. 17.

242 *Imbutam flammis* metaphora commoda dicit *iram*. Concipitur hic ignis ut fluidum ſubtiliſſimum quod ut humor ſpongiam, ita ipſum illam partem animæ iraſcentem permeet, impleatque. Cf. ad v. 389.

Præcipitemque ſui. rabie ſuccenſa tumeſcit,
Contrahitur ſtupefacta metu. Cumque omnia ſecum
Duceret, & requiem membris veſana negaret;
Invenit pulmonis opem, madidumque furenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At ſibi cuncta petens, nil collatura cupido
In jecur, & tractus imos compulſa receſſit.
Quæ velut immanes reſerat dum bellua rictus,
Expleri paſcique nequit: nunc verbere curas
Torquet avaritiæ, ſtimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mæſta dolet, ſatiataque rurſus
Exoritur, cæſaque redit pollentius Hydra.
Hos igitur ſi quis potuit ſedare tumultus,
Inconcuſſa dabit puræ ſacraria menti.
Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris iræ
Servitii patiere jugum: tolerabis iniquas
Interius leges. tunc omnia jure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui. proclivior uſus

244 ſtupefacta *primæ editt. Baſ. marg.* & *MSS.* tumefacta, labef. tremef. *al.* 245 verteret *MS.* 246 fluenti *vulg.* 250 *Heinſ. conj. ex MS.* Ac velut immanis reſeratum bellua rictum Expl. p. velit. 255 poterit *al.* 259 parua *al.* V. N. 260 ſi vitii *MS.* 261 imperii *MS.*

246 Alcinous: Τὸν πνεύμονα ἐμηχανήσαντο τῆς καρδίας χάριν μαλακόν τε καὶ ἄναιμον, σηραγγώδη τε καὶ σπόγγῳ παραπλήσιον ὅπως ἔχῃ μάλαγμα πηδῶσα ἡ καρδία κατὰ τὴν ζέσιν τοῦ θυμοῦ.

250 *Immanes rictus* hujus belluæ, quam τοῦ ἐπιθυμητικοῦ nomine comprehendit, graphice deſcribit Plato l. c. ſ. de Rep. 9 ad finem: Verbo hæc tertia pars eſt ex pluribus diverſis, avidiſſimis omnibus, animalibus compoſita, quæ & ſe mutuo lacerant, & reliquas animæ partes, niſi caveat mens immortalis, τὸ ἡγεμονικόν, conſumunt.

258 *Mollis Arabs* ſolemni pene epitheto. Vid. Brouck. ad Tib. 2, 2. 4.

259 *Prava cupere* ſine dubio ſervile eſt, & minime regium. Sed ideo non auſim cum Heinſio alteram lectionem primarum editionum & quæ has excepere, quæque placuit ipſi Scaligero, *parva*, inſulſam appellare. Illud jam ſeverius & ϛωϊκότερον philoſophanti humile & indignum eſt *parva* cupere: *parva* autem ſunt præter virtutem omnia; præter hanc nihil admiratur, nihil magnum, nihil vehementer expetendum, judicat ſapiens.

In pejora datur, ſuadetque licentia luxum,
Illecebriſque effrena favet. tum vivere caſte
Aſperius, cum promta Venus. tum durius iræ
Conſulitur, cum pœna patet. ſed comprime motus:
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.
Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Vt te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam; nec poſſe dari regalibus uſquam
Secretum vitiis. nam lux altiſſima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus.
Sis pius inprimis. nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubie ſuſpectus agas: neu falſus amicis,
Rumorumve avidus. qui talia curat, inanes
Horrebit ſtrepitus nulla non anxius hora.
Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila,

Quam

266 conſulimus *al.* 270 ore *ex MSS. et exemplis aliorum Heinſ. Revocavi tamen vulg.* orbe. 275 obſtruſos & implorat *al.* obtruſos *cum Vic. & Vien. Baſ. & hic marg.* abſtr.

267 Ne quem turbet diverſa conſtructio, *liceat*, *decebit*. Optimos quosque ita locutos, docet Voſſ. de conſtruct. c. 62.

268 *Mentem* poſuit hic ut Græcum μῆνις vel μένος adeo, ut potius impetum vehementem notet, quam rationem: ut *cæcam*, *furiatam*, *inſanam*, paſſim poetæ.

269 *Crebro ſermone*, quem tibi crebro, frequenterque velim recurrere & in mentem venire.

270 In *ore* hominum verſari, h. e. in conſpectu, & in ſermone, probum eſt, & hoc oſtendit Heinſius: ſed in *medio ore telluris* quid ſit, non intelligebam. Itaque malui *in orbe*.

273 *Lux fati*, h. e. fortunæ & conditionis tuæ ſplendor, ut v. 221.

276 *Sis pius*, ut *pius Aeneas*, ut in titulis Imperatorum P. F. A. ante *Felix* & *Auguſtus* ponitur Pius, h. e. amans ſuorum civium, quos inter ſe & cum principibus jungit pietas. In titulis Imperatorum *Noſtra Pietas*, ut *Serenitas*, *Tranquillitas*, *Manſuetudo*. *Clementiæ* maximam vim in ignoſcendo eſſe, docent libri Senecæ.

278 *Suſpectus* active, qui ſuſpicit, h. e. ſuſpicatur male de omnibus, vt *cautus*, *conſideratus*, *circumſpectus* &c. Sic ipſe Horatius Car. 1, 17. 25 *Nec metuas protervum Suſpecta Cyrum.*

Quam tutatur amor. non extorquebis amari.
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.
Nonne vides, operum quî ſe pulcerrimus ipſe
Mundus amore liget, nec vi connexa per ævum
Conſpirent elementa ſibi? quî limite Phœbus
Contentus medio, contentus litore pontus?
Et qui perpetuo terras ambitque vehitque,
Nec premat incumbens, oneri nec ceſſerit aër?
Qui terret, plus ipſe timet. ſors iſta tyrannis
Convenit. invideant claris, forteſque trucident,
Muniti gladiis vivant ſeptique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.
Tu civem, patremque geras. tu conſule cunctis,

284 qui -- ipſe *editt. primae.* quo -- ille *Heinſ. qui* & 286 quod *pro* qui *priorum poſuit. In Baſ. bis expreſſum* qui: *marg.* quod. 293 artes *Vic.* & *Vien.* arces *al.* & *Heinſ.* arcus *conj. Barth.*

284 Mundum eſſe omnium *pulcherrimum*, antiquum philoſophema. Ipſe primus Thales apud Diog. Laert. 1, 35 *Κάλλιςον ὁ κόσμος· ποίημα γὰρ Θεῦ.* Ratio pulchra: ſed & illa vera apud Plut. Conviv. VII Sapp. p. 153, C *πᾶν γὰρ τὸ κατὰ τάξιν τῦτυ μέρος ἐςίν.* Porro antiquiſſima etiam illa de Amore ſententia. Ponam modo duo verſiculos Orphicos, alterum ex Hymno Veneris p. 150 *Πάντα γὰρ ἐκ σέθεν ἐςὶν, ἐπεζεύξαο δὲ κόσμον* *Omnia nam ex te, tu invexiſti ſedera mundi*: alterum ex Hymno Amoris p. 154 ubi poſt commemoratas partes mundi omnes, *Μῦνος γὰρ τύτων πάντων οἴηκα κρατύνεις* *Nam cunctorum horum ſolus moderari guberna.* Sic Scaliger reddidit, pro gubernacula.

* Ceterum, qui vix unquam ab Heinſiana lectione diſcedere ſoleam, ſive quod ſimpliciter meliorem putem, ſive quod in dubio illum ſequi, videatur tutius: hic putavi reſtituendam præcedentium lectionem a primis derivatam editionibus, qui non videtur ſatis attendiſſe ad vim *τῆς qui* vel *quei*, neque cogitaſſe, argumentationi poëtæ aptius eſſe *ipſe*.

286 *Limitem medium* intelligere pronum eſt viam mediam, quam fruſtra Phaëthonti ſuo commendat Phœbus apud Ovid. Met. 2, 137. Poſſis etiam Philolai dogma hic ſuſpicari, de quo ad 1, 1 & 3, 11: & favet ratio reliquorum elementorum.

288 Et *qui* hoc eſt, quomodo is, *qui terras ambit aër, nec premat* illas ultra modum, nec *ceſſerit* illis. Nempe vox *qui* duplicem velut perſonam ſuſtinet, ſemel repetit illud interrogativum quei, quomodo? deinde relativum eſt aëris. Eſt illud multo, quam quis ſuſpicetur, frequentius, ut una vox duplicem velut functionem ſuſtineat. Hoc ſane loco, ne quidem valde neceſſaria eſt illa obſervatio, cum poſſit illud *qui* vel quomodo ex v. 286 huc repeti. Conf. 18, 411.

293 *Ancipites artes*, quæ facile in ipſos converti poſſunt, vt arma, venena, proditiones, quidquid excogitari poteſt ad nocendum aliis, illud converti in auctorem poteſt.

Non tibi. nec tua te moveant, ſed publica vota.
In commune jubes ſi quid, cenſeſve tenendum,
Primus juſſa ſubi. tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. componitur orbis
Regis ad exemplum. nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, vt vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.
His tamen effectis, neu faſtidire minores,
Neu pete præſcriptos homini tranſcendere fines.
Inquinat egregios adjuncta ſuperbia mores.
Non tibi tradidimus dociles ſervire Sabæos;
Armeniæ dominum non te præfecimus oræ:
Non damus Aſſyriam, tenuit quam femina, gentem.
Romani, qui cuncta diu rexere, regendi:
Qui nec Tarquinii faſtus, nec jura tulere
Cæſaris. Annales veterum delicta loquentur.
Hærebunt maculæ. quis non per ſæcula damnet
Cæſareæ portenta domus? quem dira Neronis
Funera, quem rupes Caprearum tetra latebit
Inceſto poſſeſſa ſeni? victura feretur
Gloria Trajani; non tam quod Tigride victo,

Noſtra

296 tuendum *al.* 298 vetat *al.* 304 transcurrere *MS.*

poteſt. Quod *ancipites arces* putat eſſe præcipites Heinſius hic, & Ovid. Met. 12, 337 *anceps acumen montis* præceps, in eo falſum eſſe magnum virum arbitror. Apud Ovidium *ancipitis montis acumen* eſt bicipitis. Hic *artes* ſunt in primis editionibus: & pulchre conveniunt, quæ ſequuntur: *trepidi minantur* reges, quod ſciunt ſuas nocendi *artes* eſſe *ancipites*.

303 *His*, quæ adhuc præcepi obſervatis, & *effectis*, cave ne ſuperbia tibi velut meritis quæſita ſubeat.

310 *Jura Cæſaris* forte reſpiciunt ad principium Lucani, *jusque datum ſceleri*, quod pulchre illuſtrat Burmannus. Verbo *jus* eſt etiam impunitas ex oppreſſis & conculcatis legibus.

314 *Caprearum rupes* ſ. inſula, quæ ut eſt Sueto. c. 40 *uno parvoque litore adibatur, ſepta undique præruptis immenſæ altitudinis rupibus.* Quam ea deteſtabilium libidinum Tiberii ſedes fuerit, vix legere apud Sueto. c. 43 ſq. ſuſtinent oculi. *Inceſtus ſenex* hic vocatur non, puto, propria JCtis ſignificatione, ſed turpiſſimæ & beluinæ libidinis atque obſcenitatis cauſa.

Noſtra triumphati fuerint provincia Parthi,
Alta quod invectus fractis Capitolia Dacis;
Quam patriæ quod mitis erat. ne deſine tales,
Nate, ſequi. ſi bella tonant, prius agmina duris
Exerce ſtudiis; & ſævo præſtrue Marti.
Non brumæ requies, non hibernacula ſegnes
Enervent torpore manus. ponenda ſalubri
Caſtra loco: præbenda vigil cuſtodia vallo.
Diſce ubi denſari cuneos, ubi cornua tendi
Æquius; aut iterum flecti: quæ montibus aptæ,
Quæ campis acies; quæ fraudi accommoda vallis;
Quæ via difficilis. fidit ſi mœnibus hoſtis,
Tum tibi muralis librato machina pulſu
Saxa rotet: præceps aries protectaque portas

Teſtudo

317 fuerat *Vien. etiam Baſ.* fuerint *jam Vic. forte* fuerunt *eſt à poëta, quod mutarunt, qui neſciebant, penultimam poſſe corripi.* 318 fractis *etiam Vic. & Vien. it. Cuj.* ſtratis *al.* 320 tonant *etiam Vic. & Vien.* canant *Cuj.* canunt, juvant, ſonant *al.* tument, vocant *conj. Heinſ.* 325 denſari cuneus *primæ editt.* 327 commoda *al.* fraudi quæ acc. *Vic. & Vien.* 328 qua via *MS. quod placet.* 329 murali libretur machina pulſu, Saxa rotet *vulg.* rota *Heinſ.* 330 prætentaque *MS.* prætectaque *Baſ.* projectaque *Baſ. marg. Vien. marg.*

321 *Præſtrue*, præpara. Exercitatio illa militaris, illa campeſtris meditatio, velut fundamentum eſt in milite, cui inædificari aliquid poteſt.

325 *Cuneus* quale agmen ſit, ipſa appellatio ſatis indicat: ut fortior ſit, & felicius irrumpat, dividatque & findat hoſtium agmina, *denſeri* debet ſ. *denſari*, quod idem eſt, arctis ordinibus. Tacticæ diſciplinæ hic quædam elementa, de qua ſunt libri Aeneæ, Arriani, Aeliani, Mauricii, Leonis Imp. apud Græcos: multus etiam in his eſt Vegetius.

329 *Muralis machina*, quo nomine etiam utitur Plinius 7, 56, omne genus & tormentorum & aliorum inſtrumentorum quibus oppugnantur muri comprehendit. Pingit rem, de qua agit, poëta, ſi ſcripſit, ut poſui, *Machina muralis librato pulſu rotat ſaxa.* Si quis inſpiciat imagines Poliorceticis Lipſianis adjunctas, melius, qui ſint *librati pulſus*, quomodo *rotentur* a baliſtis *ſaxa*, quam longa deſcriptione intelliget. Auſus & hic ſum, quod non temere facio, uti Heinſianam lectionem, & quidem ex parte de conjectura tantum mutaverim. Cui factum diſplicet, ille de margine revocare illam facile poteſt, ſed ejuſdem fuerit docere, an recte *muralis pulſus* dicatur, quo pulſantur muri, & an *aries rotet ſaxa?*

330 *Præceps aries* pulchre, qui capite irruit: *protecta teſtudo*, ſub qua tuti latent milites, dum ad muros accedunt, & portas perrumpunt, ut Aen. 2, 492 *Labat ariete crebro Janua.*

Digitized by Google

Teſtudo feriat. ruat emerſura juventus
Effoſſi per operta ſoli. ſi longa moretur
Obſidio; tum vota cave ſecura remittas,
Incluſumve putes. multis damnoſa fuere
Gaudia. diſperſi pereunt, ſomnove ſoluti.
Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.
Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis, neve imbelles ad ſigna miniſtros
Luxuries armata trahat. neu flantibus Auſtris,
Neu pluviis cedas: neu defenſura calorem
Aurea ſummoveant rapidos umbracula Soles.
Inventis utere cibis: ſolabere partes
Æquali ſudore tuas. ſi collis iniquus,
Primus ini. ſilvam ſi cædere provocat uſus,
Sumta ne pudeat quercum ſtraviſſe bipenni.
Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet ſonipes. fluvios tu protere curſu
Hærentes glacie; liquidos tu ſcinde natatu.

Nunc

338 maniplos *ex MS. Heinſ.* 347 curſu *ex MSS. Heinſ.* curru *primæ editt.* 348 horrentes *al.* hær. *etiam Baſ.*

331 Deſcriptio cuniculi, non quales ſunt hodierni, quibus evertuntur & diſiiciuntur munimenta: ſed qualis fuit, quo Veii capti ſunt ap. Liv. 5, 19 & 21: & quo Ambracia oppugnata apud eundem 38, 7.

333 *Vota ſecura*, quorum quis ſecurus eſt, cum illorum ſe jam arbitretur compotem: quo facto ſi non plane ea intermittat, *remittere* tamen ſolet, & minus intenta facere. *Incluſum* qui putat hoſtem, non ſatis cavet ab illius eruptione.

338 *Imbelles miniſtri*, quorum nulla in bello opera eſt, coqui, ciniflones, ſpadones, ſymphoniaci. *Maniplos* ſi dedit poëta, multitudinem talium nugarum ſignificavit. *Luxuries armata* potenti metonymia oſtendit principem, cujus armari etiam luxuries ipſum cogit greges inutilium bello hominum *trahere*, in quo ipſo verbo ignaviæ & tarditatis emphaſis eſt.

342 *Inventi cibi*, οἱ τυχόντες, non quæſiti, ſed qui quoque loco præſto ſunt, promiſcui. *Partes tuas*, quicunque in partibus tuis ſunt, duces, milites, ſocios.

347 Nemo, niſi fallor, hoc ita accipiet, ut plane princeps hoc genus pericula tentet ac provocet dux exercitus vel imperator: iſta velitis & gregarii militis audacia eſt; in Care periculum. Sed loquitur, ut verum loquatur, de illis occaſionibus, ubi exemplo magno firmandus eſt exercitus, & implendus pudore vel audacia. *Protere* ante omnes tere, ut & orbitam facias, *curru*. Nempe ſi *currus* patiens eſt glacies, non metuet pedes ſequi.

348 *Hærentes glacie*, cohærentes, ſtantes. Sic auctor carminis de Hercule, quod hic eſt 101, 67 *cum ſolidis hærerent flumina lymphis.*

Nunc eques in medias equitum te conſere turmas:
Nunc pedes aſſiſtas pediti. tum promtius ibunt
Te ſocio: tum conſpicuus, gratuſque feretur
Sub te teſte labor„. Dicturum plura parentem
Voce ſubis: „*Equidem, faveant modo Numina cœptis,*
Hæc effecta dabo: nec me fratrique, tibique
Diſſimilem populi commiſſaque regna videbunt.
Sed cur non potius, verbis quæ diſſeris, uſu
Experior? gelidas certe nunc tendis in Alpes.
Duc tecum comitem. figant ſine noſtra tyrannum
Spicula. palleſcat noſtro ſine barbarus arcu.
Italiamne feram furiis prædonis acerbi
Subjectam; patiar Romam ſervire clienti?
Vſque adeone puer? nec me polluta poteſtas,
Nec pia cognati tanget vindicta cruoris?
Per ſtrages equitare libet. da protinus arma.
Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar?
Aequalis mihi Pyrrhus erat, cum Pergama ſolus
Verteret, & patri non degeneraret Achilli.

Denique

351 geretur *al.* 353 ſubit *al.*

352 Interpellatio Honorii per hoc ipſum exprimitur, quod in medio verſu abrumpit ſermonem patris. *Subis* eſt poëtæ ad Honorium convertentis orationem.

360 *Prædo acerbus* Arbogaſtes, *cliens* Eugenius, *cognatus cruor* interfecti Valentiniani jun. qui fuit frater Gallæ Placidiæ novercæ Honorii.

362 *Uſque adeone puer*, pater, tibi videor non ætate & corpore tantum, ſed etiam animo.

365 *Obicis* more optimorum, qui *obicis*, *ſubicis*, *adicis* &c. Unde etiam in alios non poëtarum locos videtur veniſſe eo facilius, quod ſemel ponere literam geminandam ſolent librarii.

366 *Pyrrhus* nondum natus erat, cum pater ipſius Achilles e Scyro abduceretur contra Trojam; ipſe autem ſtatim a morte patris h. e. decimo anno obſeſſæ Trojæ in caſtra Græcorum venit, Neoptolemus inde, quaſi juvenem bellatorem dicas, appellatus. Tot annos v. 372 poëta tribuit Honorio. Ceterum fuit Pyrrhus in equo Trojano, interfecit manu ſua Priamum &c. Quod autem *ſolus* vertiſſe Pergama hic dicitur, eo reſpicit, quod fatale erat, Trojam ſine illo non capi. Itaque Calchas apud Q. Calabrum 6, 64 mitti jubet Vlyſſem & Diomedem in Scyron ad eum adducendum, quod illi peragunt libro 7. Vim illius & impetus depingit Aeneas Virgilianus 2, 469 ſqq.

Denique ſi princeps caſtris hærere nequibo,
Vel miles veniam,,. Delibat dulcia nati
Oſcula, miratuſque refert; ,, *Laudanda petiſti:*
Sed feſtinus amor. veniet robuſtior ætas.
Ne propera. necdum decimas emenſus ariſtas
Aggrederis metuenda viris. veſtigia magnæ
Indolis agnoſco. fertur Pellæus, Eoum
Qui domuit Porum, cum proſpera ſæpe Philippi
Audiret, lætos inter fleviſſe ſodales,
Nil ſibi vincendum patris virtute relinqui.
Hos video motus. fas ſit promittere patri.
Tantus eris: noſtro nec debes regna favori,
Quæ tibi jam natura dedit. ſic mollibus olim
Stridula ducturum pratis examina regem
Naſcentem venerantur apes, & publica mellis
Jura petunt, traduntque favos. ſic paſcua parvus
Vindicat, & nec dum firmatis cornibus audax
Jam regit armentum vitulus. ſed prælia differ
In juvenem, patienſque meum cum fratre tuere
Me bellante locum. vos impacatus Araxes,
Vos celer Euphrates timeat. ſit Nilus ubique

Veſter

377 patria *malit Heinſ.* 383 traditq. *MS.* tradique *conj. Heinſ.* 385 differt in Venerem *primæ editt. quaſi ſermo adhuc eſſet de vitulo.* juvenem *etiam Baſ.*

375 *Porum* memorat, non quod hæc maxima expeditio Alexandri eſſet aut difficillima, ſed quod remotiſſima, ad quam non niſi peragrato victoriis Oriente veniſſet. Cf. 17, 29. Hæc ratio etiam, quod *Pellæum* natalis urbis nomine eum appellat, vt 39, 6. Dicti hujus pueri Alexandri bis mentionem facit Plutarchus in vita & in apophthegmatis: neutro loco auctorem laudat.

378 *Fas ſit!* invidiam deprecatur, & rogat Deum, vt hic ſibi indulgeat divinationis boni certe ominis facultatem.

380 *Natura*, indoles, qua natus ad regnandum videri potes.

383 *Tradunt favos* regi ſuo apes, tanquam regna ſua: ſed *mellis jura* ab illo *petunt*, non niſi cum illius venia de quæſitis in medium aliquid abſumturae.

386 *Patiens* placide regite, tuumque reprimi ardorem ſinens.

Veſter, & emiſſo quidquid Sol imbuit ortu.
Si pateant Alpes, habeat ſi cauſſa ſecundos
Juſtior eventus, aderis, parteſque receptas
Suſcipies, animoſa tuas ut Gallia leges
Audiat, & noſtros æquus modereris Iberos.
Tunc ego ſecurus fati, lætuſque laborum
Diſcedam, vobis utrumque regentibus axem.
Interea Muſis, animus dum mollior, inſta,
Et, quæ mox imitere, legas: nec deſinat umquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolue duces. aſſueſce futuræ
Militiæ. Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæſita placet? mirabere Brutum.
Perfidiam damnas? Meti ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimius? Torquati deſpue mores.
Mors impenſa bonum? Decios venerare ruentes.

Vel

389 emerſo *malit*, & ambit ab ortu *vel obluctantibus libris legit Heinſ.*
396 inſtet *al.*; *eod. ſenſu.* inſta, inſtat *al.*

389 *Emiſſus*, plane ut Stat. Sil. 1, 2. 229 *Vix dum emiſſa dies*, ut equi *emittuntur* carceribus. Sic *immiſſus* eſt impetu ruens: *emiſſus ortus* ut curſus *effuſus*. Nec *imbuit* non poſitum ex more poëtæ noſtri, qui ignem & flammas liquori comparat philoſophia favente, etiam ſupra v. 241. Doctiſſimus poëta forte imitatus eſt Pindaricum illud Ol.6, 92 ἴων ξανθαῖσι καὶ παμπορφύροις ἀκτῖσι βεβρεγμένος.

391 *Partes* imperii Occidentalis ab Eugenio occupatas, turbatas certe, victoria autem noſtra *receptas*.

393 Meminerimus ex Hiſpania ortum fuiſſe Theodoſium: hinc *noſtros* Iberos dicit.

400 *Latium ævum* eſt illa ætas rei Romanæ, cum imperium illorum adhuc intra Latium contineretur, nedum ut Italiam excederet.

401 *Brutum* illum primum Conſulem, Regum expulſorem, libertatis cum ſupplicio liberorum ſuorum vindicem: cujus imago excitavit interfectores Cæſaris.

402 *Mettus* Fuffetius (al. Metius Suffetius) Albanus dux perfidiæ & proditionis cauſa quadrigis juſſu Tulli Hoſtilii diſtractus. Legat, qui non recondatur, Liv. 1, 27 ſq.

403 *Torquati* Manlii, qui *Imperioſi* cognomen invenit, quod filium injuſſu extra ordinem pugnantem ſecuri percuſſit, a qua ſeveritate deinde *Manliana imperia* dicta ſunt. Liv. 8, 6 ſq.

404 *Decios* tres, patrem in bello contra Latinos, Liv. 8, 9 ſq. filium contra Hetruſcos, Liv. 10, 28 ſq. nepotem cum Pyrrho, Cic. Tuſc. 1 c. 37 & de Fin. 2 c. 19. Horatius Cocles, Furius Camillus Dictator, Q. Fabius Cunctator, nota nimis nomina.

Vel ſolus quid fortis agat, te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Muci te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, oſtendat Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hinc nullos meritis obſiſtere caſus:
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam,
Regule. ſucceſſus ſuperant adverſa Catonis.
Diſcitur hinc quantum paupertas ſobria poſſit:
Pauper erat Curius, cum Reges vinceret armis.
Pauper Fabricius, Pyrrhi cum ſperneret aurum.
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.
Luſtratæ lictore caſæ, faſceſque ſalignis
Poſtibus affixi. collectæ Conſule meſſes,
Et ſulcata diu trabeato rura colono„.
Hæc genitor præcepta dabat, velut ille carinæ
Longævus rector, variis quem ſæpe procellis
Exploravit hiems, ponto jam feſſus & annis
Aequoreas alni nato commendat habenas,

Et

407 proficiat *al.* perfringat *ex primis editt. Heinſ.* 417 f. collectæ a Conſule. confectæ *Vien.* ortum ex conlectæ.

410 *Feritas Punica* neſcio magis an Romana in Regulo animadverſa ſit. Quid Romæ de illo jactatum ſit, ſatis notum ex Cic. Off. 3, 27. Horat. Car. 3, 5. Gell. 6, 4. Sed totum illud confictum eſſe, ad pingendam colore aliquo viduæ Reguli, fato ſuo Carthagine mortui, in Pœnas, ſuæ cuſtodiæ creditos, crudelitatem, e Diodori Siculi fragmento docuit Palmerius exerc. p. 52. cui credit Weſſeling. ad fragm. 1, 24 p. 566.

411 *Succeſſus* aliorum optatos *ſuperant*, iisque feliciora viro ſapienti videntur *adverſa* illa Catonis Uticenſis fata, quæ conſcita ſibi morte finiit.

413 Adſcribamus verba Cic. de Sen. c. 16 *Curio ad focum ſedenti* (rapas torruiſſe refert Plin. 18, 6 ſ. 26) *magnum auri pondus Samnites cum attuliſſent, repudiati ab eo ſunt: non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit, ſed iis, qui haberent aurum, imperare.* Add. Val. Max. 4. 3, 5.

414 Pulchre Cic. Parad. 6, 2 *Utrum tandem pluris æſtimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat* (quantum in ſe erat, i. e. offerebat) *an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat?* Add. Val. Max. 4, 3. 6. De hoc vocem Pyrrhi refert Aur. Victor Vir. Ill. 35 *Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol a ſuo curſu averti poſſet.*

415 Plin. 18, 3 ſ. 4 *Serentem invenerunt dati honores Serranum. unde cognomen.* V. Val. Max. 4, 4. 5.

Et caſus arteſque docet, quo dextra regatur
Sidere, quo fluctus poſſint moderamine falli:
Quæ nota nimborum: quæ fraus infida ſereni:
Quid Sol occiduus prodat: quo ſaucia vento
Decolor iratos attollat Cynthia vultus.
Adſpice nunc quacunque micas, ſeu circulus Auſtri,
Magne parens, gelidi ſeu te meruere Triones:
Adſpice, completur votum. jam natus adæquat
Te meritis, &, quod magis eſt optabile, vincit,
Subnixus Stilichone tuo: quem fratribus ipſe
Diſcedens clipeum defenſoremque dediſti.
Pro nobis nihil ille pati, nullumque recuſat
Diſcrimen tentare ſui: non dura viarum,
Non incerta maris. Libyæ ſqualentis arenas
Audebit ſuperare pedes, madidaque cadente
Pliade Gætulas intrabit Syrtibus undas.

Hunc

425 quam fraus *malit Heinſ.* 433 decedens *rectius putat Heinſ.* 438 intrabit Syrtibus undas *ante Heinſ. editi omnes.* intrabit navita Syrtes *Baſ. marg. Plantin. marg. ac tuetur contra Barth. Heinſ. ex MSS.*

423 *Dextra* gubernatoris *regitur ſidere* Helices, quod reſpiciens torquet ut opus eſt gubernacula.

424 *Fluctus falli* videntur cum ars gubernatoris nec adverſum tenet illis, nec navem illorum flumine patitur abripi, ſed eam ita dirigit, ut obliqui allapſus fluctuum eo navim quo opus eſt protrudant.

425 *Nota nimborum*, ſignum tempeſtatis: *fraus infida* ſignum fallax.

426 Conf. 15, 494. *Si circa ſolem occidentem rubeſcunt nubes, ſerenitatem futuræ diei ſpondent* Plin. 18, 35 ſ. 78. Sic inter Judæos etiam divinaſſe homines, conſtat ex Matthæi 16, 3. De vento Virg. Ge. 1, 429 Luna *ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem, Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe. Cynthia* Diana a Deli monte, in quo venari ſoler.

428 Reſpicit ad apotheoſin, de qua 7, 163 ſq. Conf. 10, 300.

432 Semper inculcat hoc noſter, Stilichonem utrique fratri, non Arcadio minus quam Honorio, tutorem a patre datum.

437 *Madidam Pliada* vocat exemplo Lucani, qui *imbriferam* dixit 8, 852. Eſt nempe hoc ſidus Πλειάδων ſ. Vergiliarum, ſub cujus occaſum, XXXII diebus poſt aequinoctium auctumni, pluvias optant & exſpectant agricolæ, nautæ autem domum redeunt, & gubernacula ſuſpendunt in fumo. Vid. Varro R R. 1, 28. 2. Colum. 2, 8. 2. Heſiod. Oper. 619 Εὖτ' ἂν Πληϊάδες -- πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον -- τότε μηκέτι νῆας ἔχειν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ κ.τ.λ. Itaque periculi

Hunc tamen in primis populos levitate feroces,
Et Rhenum pacare jubes. volat ille citatis
Vectus equis, nullaque latus ſtipante caterva,
Aſpera nubiferas qua Rhetia porrigit Alpes,
Pergit, & hoſtiles, tanta eſt fiducia, ripas
Incomitatus adit. totum properare per amnem
Attonitos humili Reges cervice videres.
Ante ducem noſtrum flavam ſparſere Sycambri
Cæſariem, pavidoque orantes murmure Franci

Pro-

439 pop. lenire *al.* 446 fudere *Cuj. quod placet.*

riculi & horroris plena imago eſt, quam proponit poëta: navigare vult Honorius puer tempore, quo clauſum jam eſſe ſoler mare: vult *intrare vndas Gætulas Syrtibus, h. e.* non tantum per Syrtes, poſt quas ſuperſunt profunda maris, ante quam accedas ad ſolida litora; ſed etiam quo tempore maxime ſunt *Syrtes*, maxime inſtabiles, maxime a tempeſtatibus, ventis, fluctibus, commotæ, ut nullo modo vitari brevia & cumuli arenarum & ſaxa provoluta poſſint. *Syrtibus*, ut *gladiatoribus*, *ludis*, cum eduntur gladiatores, aguntur ludi. Ponamus ut hæc magis appareant deſcriptionem Syrtium Salluſtianam Jug. 78 *Duo ſunt ſinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxima terræ præalta ſunt;* (hæ ſunt Gætulæ undæ) *cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempeſtate vadoſa. Nam* in tempeſtate, *vbi mare magnum eſſe, & ſævire ventus cœpit, limum arenamque & ſaxa ingentia fluctus trahunt:* (σύρειν, unde *Syrtes* dictæ) *ita facies locorum cum ventis ſimul mutatur.* Nemo cogitaſſet de mutanda conſtantiſſima lectione, niſi obverſata eſſet ſola animis ſignificatio *Syrtidum* vel *Syrtium* Geographica: cum hic notet, ipſum motum maris, ipſumque tempus, quo σύρεται, trahitur, mutatur fundus maris. Sic Aen. 10, 678 *vadis immittite Syrtes*, ſignificat excitate motus illos, quibus mutantur brevia, pericula creantur nauigantibus. Haec paullo copioſius, quia contra auctoritatem magni viri, & quia nondum obſeruata vel noſtris in Theſauris vel ad Virgilium. Porro hanc lectionem non eſſe ab ingenio librarii, inde colligas, quod eſt difficilior jlla altera & abſtruſior.

439 *Hunc*, Honorium, Occidentidas imperatorem, o Theodoſi pater, ubi feroces ob levitatem Galli, & Rheni accolæ.

444 *Totum per amnem* i. per omnem tractum Rheni, quam longus eſt Rhenus.

446 *Flavam* vel rutilam Germani generis populis comam vulgo tribuunt veteres. *Sparſere*, dum humi ſe abiiciunt, ut matronæ Romanæ *templa & aras paſſis crinibus verrentes* apud Liv. 3, 7 & 26, 9. De poëtis multa Barth. ad Statii Theb. 4, 203 & 9, 638. Lectio *fudere* magis etiam rem pingere videtur. *Sygambri*, ut ſcribendum ex MSS. docet Heinſius, ad Lupiam ponuntur.

447 *Franci* ea tempeſtate ad Oceanum Germanicum inter Rhenum & Albim habirabant, ſub Probo imperatore & aliquamdiu poſt audaciſſimis navigationibus nobilitati, Carauſii ſocii &c. Cf. 18, 394.

Alaman-

Procubuere ſolo. juratur Honorius abſens,
Imploratque tuum ſupplex Alamannia nomen.
Baſtarnæ venere truces. venit accola ſilvæ
Bructerus Hercyniæ. latiſque paludibus exit
Cimber & ingentes Albin liquere Cheruſci.
Accipit ille preces varias, tardeque rogatus
Annuit, & magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Druſos;
Marte ſed ancipiti, ſed multis cladibus, emta,
Quis victum meminit ſola formidine Rhenum?
Quod longis alii bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stilichonis iter. poſt otia Galli
Limitis, hortaris Graias fulcire ruinas.
Jonium tegitur velis, ventique laborant
Tot curvare ſinus, ſervaturaſque Corinthum
Proſequitur facili Neptunus gurgite claſſes.
Et puer Iſthmiaci jam pridem litoris exſul

460 militis *Baſ. marg.* ſarcire *MSS.*

Alamanni, (quam ſcriptionem in ſecunda ſyllaba aſſerit ad h. l. Heinſius) originibus Rheni viciniores: *Baſtarnæ* (etiam his primam vocalem in ſecunda ſyllaba vindicat Heinſius) Germaniæ magnæ pars inter Viſtulam & Pontum Euxinum extenſæ.

451 *Bructeri* inter Rhenum & Amiſum locantur: ne quem *Hercyniæ* ſilvæ & *Bructeri* hodierna nomina turbent, quo Romani non pervenere. De *Cimbris* ſatis monet nos Cimbrica Cherſonneſus; *Cheruſcos* ſignat Albis.

455 *Druſos*, per quos *Germanici* cognomen in familiam Cæſarum venit.

458 *Mereri* hic eſſe conſequi, ſignificatione a Plinii inde junioris ætate conſueta, facile apparet.

459 *Stilichonis iter* celeritatem notat. Satis fuit peragrare illas nationes: ad quamcunque accederent Romani exercitus, illa ſtatim ſe ſubiiciebat.

460 *Hortaris*, Honori, Stilichonem, ſocerum tuum, ut jam velit Græciæ damna reparare Non valde honorifice de Stilichonis ad Alarichum Græcia expellendum expeditione loquitur Zoſimus 5, 7. Quod ſaepe obſervo, etiam hic factum videtur in varietate lectionis, ut ſit velut certamen ingenii. *Fulcire ruinas* eſt ſubjectis ſtaruminibus excipere onus, ne labatur: *ſarcire*, lacunam ex ruina partis muri ortam explere.

461 *Jonium* mare inter Italiam & Græciam: *venti laborant*, vix poſſunt, certe fatigantur, dum ſtudent *curvare* & velut gibboſos implendo *tot* velorum *ſinus*.

464 Patrius & proprius velut Iſthmo Deus Palaemon Leucothoes (ſ. Melicerta Inûs, ſ. Portunus Matutæ,) filius cujus honori &

Secura repetit portus cum matre Palæmon.
Plauſtra cruore natant: metitur pellita juventus.
Pars morbo, pars enſe perit. non luſtra Lycæi,
Non Erymantheæ jam copia ſufficit umbræ
Innumeris exuſta rogis, nudataque ferro
Sic flagraſſe ſuas lætantur Mænala ſilvas.
Excutiat cineres Ephyre; Spartanus & Arcas
Tutior exſangues pedibus proculcet acervos;
Feſſaque penſatis reſpiret Græcia pœnis.
  Gens, qua non Scythicos diffuſior ulla Triones
Incoluit, cui parvus Athos, anguſtaque Thrace,
Cum tranſiret, erat; per te, vireſque tuorum

Fracta

466 caſtra *al.* moritur *al.* 467 cadit *malit Barth.* 469 exutaq. *MS. Barth. Vic. Vien. Baſ. marg. Et placet: vid. no.* 476 transnaret *MS.*

memoriæ Iſthmiaca certamina inſtituta ſunt, exulauerat propter Barbarorum irruptiones. Iſthmus eo tempore transverſa munitione totam Peloponneſum tuebatur, qua ita confidebant Peloponneſii, ut nullam urbem munitam haberent. Vid. Zoſ. 5, 6. Ceterum hoc dicere videri poteſt Claudianus, intermiſſos tum fuiſſe Iſthmios ludos propter barbarorum incurſionem, quod ne vaſtata quidem per Mummium Corintho factum, narrat Pauſa. Cor. ſ, 2, 2. Sed habet res dubitationis aliquid. Iſthmia quidem celebrata adhuc eſſe Imperatore Juliano, conſtat ex illius pro Argivis epiſtola p. 408, C. Sub Valentiniano floruiſſe adhuc ſacra illa Graecorum certamina, colligas ex Athletica inſcriptione apud Reineſ. 5, 45. At Olympia & ſine dubio reliqua etiam ſacra illa certamina abrogata a Theodoſio M. ultimo vitæ ſuæ anno (A. C. 305) ſatis conſtat. Vid. Ed. Corſini Diſſ. agoniſt. 1, 11. Ergo ſi obtemperatum eſt Theodoſio, hic poëtica potius phantaſia eſt, quam hiſtoria.

466 *Metitur*, cæditur confertim, ut in meſſe, *pellita juventus*: barbarorum is habitus. V. ad 5, 79.

467 *Luſtra Lycæi* montis, & *umbra Erymanthea* ſunt deſcriptiones ſiluarum Arcadiæ.

470 *Sic* cum vigore quodam & accentu proferendum: triſtantur alias montes regionesque ſiluoſæ, ſuis ſe nudari & tanquam veſtibus exui (Vid. V. L.) ſed *ſic* flagraſſe, in rogos hoſtium barbarorum impenſas eſſe arbores ſuas, *Mænala* Arcadiæ montana *lætantur*. Etiam hic metuo ne imago poëtica potius ſit quam veritas, exuſta eſſe, non ſepulta, hoſtium barbarorum tot cadavera, idque ſub Chriſtianorum auſpiciis.

471 *Ephyre* ſ. Corinthus *excutiat cineres* incendiorum ſuorum: *acervos exſangues* cadaverum hoſtilium dicit, ut 7, 76 *truncis immergere plantas*.

474 Deſcriptio hæc Getarum ſ. Gothorum late ad Iſtrum colentium.

Fracta ducum, lugetque ſibi jam rara ſuperſtes,
Et, quorum turbæ ſpatium vix præbuit orbis,
Vno colle latent. ſitiens, incluſaque vallo
Ereptas quæſivit aquas, quas hoſtibus ante
Contiguas alio Stilicho deflexerat actu,
Mirantemque novas ignota per avia valles
Juſſerat averſo fluvium migrare meatu.
Obvia quid mirum vinci, cum Barbarus ultro
Jam cupiat ſervire tibi? tua Sarmata diſcors
Sacramenta petit. projecta fraude Gelonus
Militat: in Latios ritus tranſiſtis Alani.
Vt fortes in Marte viros, animiſque paratos,

 Sic

478 ſufficit, contulit, invenit, intulit *al.* 481 irriguas *e MS. Heinſ.* arcu *vulg.* actu *ex MSS. Heinſ.* aſtu *al.* 486 pelle *Heinſ.* 488 probatos *MS.*

479 An hæc eſt hiſtoria, de qua Oroſ. 7, 37 *Conterritum divinitus Rhadagaiſum in Fæſulanos montes cogit* Deus, *ejusque ducenta millia hominum, inopum conſilii & cibi, in arido & aſpero montis jugo, urgente undique timore concludit: agminaque, quibus dudum anguſta videbatur Italia, latendi ſpe in unum ac parvum verticem trudit.*

481 *Contiguas hoſtibus* aquas, proprie, quas contingere ob propinquitatem poſſent, avertit Stilicho, *actu* alio, curſu, fluxu, eadem ratione, qua *agmen aquarum* dicitur; aliorſus *egit*, duxit aquas. Macrob. Sat. 6, 4 Agmen *pro* actu *&* ductu *quodam ponere, non inelegans eſt, ut,* leni fluit agmine Tibris. Illud *Mirantem* pulcherrima metaphora eſt, ſimilis illi Virg. Georg. 2, 82 de arbore inſita *Miraturque novas frondes, et non ſua poma.*

484 *Obvia*, cum armis occurrentia & invadentia: huic contrarium *ultro ſervire*, ſine pugna.

485 *Sarmata diſcors.* Late patebat hoc nomen & gentes etiam inimicas inter ſe, & latrocinia mutuo exercentes, complectebatur. Sæpe queritur Ovidius in illorum vicinia exul. vid. v. g. Triſt. 5, 10.

486 *Sacramento* adiguntur milites Romani, dum conjurant ſe non deſerturos ordines &c. Igitur hoc dicit, militare Romanis Sarmatas. Hoc faciunt etiam *Geloni*, Septentrionis illius ipſi quoque incolæ. Utrum vero hi, ut militarent in Romano exercitu, *pelles* ſuas depoſuerint & braccas, non auſim dicere. Occurrunt in notitia dignitatum, quæ ad hæc ipſa tempora pertinet, tum alia nomina barbararum ad ſeptentrionem gentium, *milites Scythici* ſ. 28, ala VII *Sarmatarum* ſ. 18 &c. tum *Brachati juniores* ſ. 40 & *Equites Brachati ſeniores* ſ. 38 & 39, quos a braccis dictos eſſe, non dubito. Itaque retinui antiquam omnium exemplarium lectionem, ut *fraudem* potius & nocendi voluntatem abjecerint, quam *pellem Geloni.*

487 *Alani Comites* ſunt in laudata modo notitia ſ. 39 & 40.

Sic juſtos in pace legis, l ngumque tueris
Electos, crebris nec ſuccedentibus urges:
Judicibus notis regimur. fruimurque quietis
Militiæque bonis; ceu bellatore Quirino,
Ceu placido moderante Numa. non imminet enſis:
Nullæ nobilium cædes: non crimina vulgo
Texuntur: patria mæſtus non truditur exſul:
Impia continui ceſſant augmenta tributi:
Non infelices tabulæ: non haſta refixas
Vendit opes: avida ſector non voce citatur:
Nec tua privatis creſcunt æraria damnis.
Munificus largi, ſed non & prodigus, auri.
Perdurat non emta fides, nec pectora merces
Alligat. ipſa ſuo pro pignore caſtra laborant.
Te miles nutritor amat. quæ denique Romæ
Cura tibi? quam fixa manet reverentia patrum?
Firmatur ſenium juris, priſcamque reſumunt

Canitiem

498 avidis: emtor *vett. editt.* 500 laudis *pro* largi *editt. vett.* & *Barth.* largis *Baſ. marg.* ſ *adhæſit ex proximo.*

490 *Urges*, verbum aptum huic loco: urgent enim qui ſequuntur antecedentes. Inter munera refert, quibus Honorius afficiat remp., quod non ſæpe mutet præſides provinciarum. Etiam qui duros & injuſtos habent, tamen ſentiunt cum ſene ulceroſo, qui ſibi muſcas ſaturas abigi nolebat, metuens recentes & eſurientes.

8 *Cunctatur credere*, ut apud Hor. Ser. 2, 5. 100 *Et certum vigilans, Quartæ eſto partis Ulyſſes Audieris. heres.* Sic Apulejus Met. 3 p. 57, 20 Pric. *Exſternatus atque attonitus -- defrictis diu pupulis an vigilaret? ſcire quærebat.* Sed omnium maxime huc pertinet ſanctus poëta noſter

Nec dum Cinyphias exercitus attigit oras,
Jam domitus Gildon. nullis victoria nodis
Hæſit, non terræ ſpatio, non objice ponti.
Congreſſum, profugum, captum vox nunciat una,
Rumoremque ſui prævenit laurea belli.
Quo, precor, hæc effecta Deo? robuſta vetuſque
Tempore tam parvo potuit dementia vinci?
Qem veniens indixit hiems, ver perculit, hoſtem.
Exitii jam Roma timens, & feſſa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
Non ſolito vilu, nec qualis jura Britannis
Dividit, aut trepidos ſubmittit faſcibus Indos:
Vox tenuis, tardique gradus, oculique jacentes
Interius. fugere genæ, jejuna lacertos
Exedit macies. Humeris vix ſuſtinet ægris
Squalentem clipeum: laxata caſſide prodit

 Cani-

16 induxit *al.* *Sed* indixit *ex MSS.* & *alio uſu poëtæ Heinſ.* proterit *MS.* perdidit *al.* 17 exitium *al.* 19 vultu *al.* rura *Baſ. marg.* 21 latentes Interius. ſedere *Vic.* & *MSS. pulchre.* 24 cuſpide *Cuj. ad Baſ.*

ſter Pſal. 126, 1 ſecundum Ebræos, *fuimus inſtar ſomniantium.* Nam quid ſibi velint Alexandrini & Vulgatus, cum חולמי reddunt *παρακεκλημένοι* & *conſolati*, non facile apparet: niſi, quod legiſſe videntur מנחמי.

9 *Cinyphias* Africanas, ſpeciatim Syrticas oras ſignat, ubi *Cinyphus* fluvius. Nobilitarunt regionem *hirci Cinyphii* Virg. Ge. 3, 312 quorum pilis utebantur in uſum ciliciorum.

12 *Congreſſum, profugum, captum* gradatio non minus elegans quam Cæſaris illa gloriatio, *Veni, vidi, vici.* Ad quam nos aliquando alluſimus in ignavum militem, *Namque venit, videt, atque fugit pro viribus hoſtem.*

17 *Feſſa negatis frugibus* Roma, quas interciperet Gildo, ne ex horreo illo Italiæ Africa exportarentur. Scribit ea de re Sidonius 4, 4 ad Stilichonem: *In metu ſumus, ne obſit commeatibus annonariis medii temporis mora, & perturbatio plebis oriatur.* quo nomine ſeditionem intelligi non dubito.

18 *Rapidum* vocat *Olympum* ob converſionis celeritatem.

19 *Britannos* & *Indos* nominat, ut maxime feros, & tarde ad reverentiam Romani nominis perductos.

21 *Jacentes oculi*, non modo languidi & demiſſi, ſed profundius merſi, quod efficit fames, conſumtis illis velut puluillis pinguibus, quibus ſuſtinentur & aliquantum exprimuntur oculi. Sed jam indicavi mihi placere magis *latentes* oculos: certe illud *Interius* ad *oculos* non ad *genas* refero.

24 *Squalet* clipeus a neglectu et incultu: huc pertinet etiam *plena rubiginis haſta.*

Canitiem, plenamque trahit rubiginis haſtam.
Attigit ut tandem cœlum, genibuſque Tonantis
Procubuit, tales orditur mœſta querelas:
„Si mea manſuris meruerunt mœnia naſci,
Jupiter, auguriis; ſi ſtant immota Sibyllæ
Carmina; Tarpejas ſi necdum reſpuis arces:
Advenio ſupplex, non ut proculcet Araxem
Conſul ovans, noſtræve premant pharetrata ſecures
Suſa, nec ut rubris aquilas figamus arenis.
Hæc nobis, hæc ante dabas. nunc pabula tantum
Roma precor. miſerere tuæ, pater optime, gentis.
Extremam defende famem. ſatiavimus iram,
Si qua fuit. lugenda Getis, & flenda Suëvis
Hauſimus. ipſa meos exhorret Parthia caſus.
Quid referam morbive luem cumuloſve repletos
Stragibus, & crebras corrupto ſidere mortes?

Aut

25 canities *al.* 30 deſpicis *al.* 31 Oaxen *al. ſed ille Cretæ eſt.*
38 horreret, horrebat, horreſcit, horret jam *al.* 39 tumulos *al. ſed* cumulos *probat Heinſ. Cf.* 1, 110.

25 *Canitiem* ponit ut *ſenium, ſeneſcere. conſeneſcere*, quod de triſtitiæ effectibus ſolet ab optimis quibusque poni. Ab hoc ſenio eſt etiam quod *trahit* haſtam, non *vibrat*, aut *criſpat*, ne *fert* quidem aut *gerit*. Ad eundem languorem ſignandum pertinet illud *Attigit ut tandem*, poſt longiuſculam repetendi moram, *cœlum*.

28 *Meruerunt* hic non poſſe ſignificare, fecerunt aliquid, cujus merces, præmium certe, eſſet æternitas, res ipſa oſtendit. *Meruerunt*, fato quodam propitio conſecuti ſunt.

29 *Sibyllæ carmina*, libri Sibyllini, quibus fata rei publicæ contineri, perſuadebant populo, quos cuſtodiebant, adibantque, ſi opus eſſet, aucto cum reip. incrementis numero, Duumviri, Decemviri, Quindecimviri ſacrorum.

30 *Tarpejæ arces*, rupes, in quibus Capitolium, & templum Jovis.

31 *Araxen*, ubi ſunt Scythæ, Bactriani: *pharetrata Suſa* Parthorum urbs capitalis, qui arcubus ex equis utuntur: *rubræ arenæ* maris Erythræi, ſ. Oceani, Parthorum & Indorum litora alluentis.

37 *Getæ*, *Suevi*, *Parthi* nationes inimicæ plerumque, certe parum pacatæ, propter communem tamen humanitatem miſerias noſtras lugere videntur. Sic noſtri in deſcribendo magno dolore dicunt, ſe neque hoſtibus optare tantum moleſtiæ. Cf. 8, 653. 18, 394.

40 *Sidus* pro cœli ſ. aëris, *τοῦ περιέχοντος* temperie vel intemperie poni, non a poëtis modo, ſed aliis quoque, hic meminerimus.

Aut fluvium, per tecta vagum, ſummiſque minantem
Collibus? ingentes vexi ſubmerſa carinas,
Remorumque ſonos, & Pyrrhæ ſæcula ſenſi.
Hei mihi, quo Latiæ vires, Vrbiſque poteſtas
Recidit? in qualem paullatim fluximus umbram?
Armato quondam populo patriiſque vigebam
Conſiliis. domui terras, urbeſque revinxi
Legibus. ad ſolem victrix utrumque cucurri.
Poſtquam jura ferox in ſe communia Cæſar
Tranſtulit, & lapſi mores, deſuetaque priſcis
Artibus in gremium pacis ſervile receſſi,
Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,

 Ut

41 an *MS.* 45 decidit *al.* & *æquum fere jus habet utrumque verbum.* 46 armatis quondam populis patrumque *al. etiam Vic.* 47 hominesque,. omnesque *al.* 50 elapſi *al.*

41 *Per tecta* intelligo non quæ anguſte ita dicuntur & proprie, ubi ſunt cantherii & tegulæ: ſed participiali, nec in ſolita & ipſa ratione, ea quæ *tecta* ſunt ab cœli injuriis. Satis eſt moleſtiæ, ſi imas partes perfluat, impleatque Tiberis. Si omnino tecta, ubi ſunt tegulæ, poëta intellexit, debuit, ſi modeſtus eſſe voluit, intelligere tecta in locis humilibus inter colles conſtituta.

43 *Pyrrhæ ſæcula* uxoris Deucalionis. Reſpexit tota hac deſcriptione Hor. Car. 1, 2, quod hæc præſertim appellatio oſtendit. Sed multo moderatius ille, *Terruit gentes grave ne rediret ſæculum Pyrrhæ.* Aliud eſt metuere *ſæculum Pyrrhæ*, aliud *ſentire.*

45 Phantaſia pulcherrima in verbo *fluximus*, juncto cum *paullatim*, & cum *umbra.*

46 *Populus* Romanus quondam *armatus* erat totus, vigorem ſuum debebat *conſiliis patriis* h. e. Patrum ſ. ſenatus. Negat Bentlejus ad Hor. Car. 3, 6. 20 hoc poſſe ſignificari his verbis, & leviſſima mutatione, cui favent libri plures, ita legit, *Armatis quondam populi patrumque vigebam Conciliis.* Ego *patria conſilia* poſſe bono exemplo dici ſenatoria, non auſim confirmare nec refellere; ſed nec damnarim antiquam lectionem, *patrumque vigebam conſiliis. Armata concilia* pulchre reſpondent centuriatis comitiis.

49 Neſcio quam ſapienter, animoſe quidem poëta liberam remp. laudat, accuſat Cæſarem tyrannidis, et ab Imperio unius cladem morum derivat.

51 *Servile* jungo cum *gremio.* Eſt quidem *gremium*, molle ut matris; eſt *pacis gremium*; attamen *ſervile.* Non eſt opus vel *ſervile* adverbialiter ſumere cum Heinſio (ut *ſervile gemens* infra 365) vel *ſervire* cum Barthio ſubſtituere.

52 Pro meritis his Romæ, quod ea conceſſit in *ſervile gremium* (cf. 20, 96) Auguſti, qui *nomine Principis cuncta diſcordiis feſſa ſub imperium recepit* (Tac. An. 1, 1) & illius ſucceſſorum, hi *dederunt* illi *Libyam & Nilum*, h. e. claſſes illas frumentarias in mari infero conſtituerunt, quæ frumenta Africæ

&

Ut dominam plebem, bellatoremque ſenatum
Claſſibus æſtivis alerent, geminoque viciſſim
Litore diverſi complerent horrea venti.
Stabat certa ſalus. Memphis ſi forte negaſſet,
Penſabam Pharium Gætulis meſſibus annum.
Frugiferas certare rates, lateque videbam
Punica Niliacis concurrere carbaſa velis:
Cum ſubiit par Roma mihi, diviſaque ſumſit
Aequales Aurora togas: Aegyptia rura
In partem ceſſere novam. ſpes unica nobis
Reſtabat Libye, quæ vix ægreque fovebat
Solo ducta Noto, numquam ſecura futuri,
Semper inops ventique fidem poſcebat, & anni.
Hanc quoque nunc Gildon rapuit ſub fine cadentis
Autumni. pavido metimur cærula voto,
Puppis ſi qua venit, ſi quid fortaſſe potenti
Vel pudor extorſit domino, vel prædo reliquit.
Paſcimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,

Sed

57 parilem *al.* 60 ſubito *editt. ante Scal.* diverſaque *al.* 69 præda *al.*

& Aegypti in Italiam, portum præcipue Puteolanum, adveherent. Has claſſes *diverſi venti* dum verſus meridiem in Aegyptum & Africam impellunt, vel inde referunt in Italiam, *complent* horrea, quibus Roma alitur. Lamprid, Commodo c. 17 *Claſſem Africanam inſtituit, quæ ſubſidio eſſet, ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent.* Sed de tota frumentatione & re annonaria Romana vid. Lipſ. Elect. 1, 8.

57 *Pharius annus*, annona ex Aegypto advecta, *Gætulæ meſſes* ex Africa.

60 *Subiit*, ſuccrevit altera nova & *par* antiquæ Roma, Conſtantinopolis: *Aurora* h. e. Oriens, Orientalis Imperii caput *ſumſit* veſtem Romanam, *togas*, claſſis frumentaria ex Aegypto juſſa ire Conſtantinopolin, Romanis relicta Africana, quæ *ſpes* ab hac claſſe pendens unice, *ſolo noto* vento ducta (cum Aegyptiam claſſem etiam juvaret Eurus) nunquam ſatis ſecura &c. Opus eſt convenire *fidem anni* h. e. fertilitatem (Hor. Car. 3, 16. 30 *ſegetis certa fides meae*) & *fidem venti*.

66 *Metimur* oculis, & computatione ſpatii ac temporis, æſtimationeque venti, conjecturam facimus, quando venire poſſint naves frumentariæ.

68 Idem Gildo, quatenus *potens* eſt *dominus* Africæ, generoſo pudore aliquantulum annonæ ſibi velut *extorquet*, indulget Romanis; quatenus *prædo* eſt, non comprehendere poteſt omnia, quædam relinquit.

Sed ſua concedi jactat, gaudetque diurnos,
Ut famulæ, præbere cibos, vitamque famemque
Librat barbarico faſtu, vulgique ſuperbit
Fletibus, & tantæ ſuſpendit fata ruinæ.
Romuleas vendit ſegetes, & poſſidet arva
Vulneribus quæſita meis. ideone tot annos
Flebile cum tumida bellum Carthagine geſſi?
Idcirco voluit contemta luce reverti
Regulus? hoc damnis, genitor, Cannenſibus emi?
Incaſſum toties lituis navalibus arſit
Hiſpanum Siculumque fretum? vaſtataque tellus,
Totque duces cæſi, ruptaque emiſſus ab Alpe
Pœnus, & attonitæ jam proximus Hannibal urbi?
Scilicet, ut domitis frueretur Barbarus Afris,
Muro ſuſtinui Martem, noctesque cruentas
Collina pro turre tuli? Gildonis ad uſum
Carthago ter victa ruit? hoc mille gementis
Italiæ clades, impenſaque ſæcula bello,
Hoc Fabius fortiſque mihi Marcellus agebant,

L 5 *Ut*

79 egi *al. conf.* 24, 188. 82 immiſſus *al. Cf.* 26, 641. 85 Mauro *MSS. ſed* muro *bene tuetur Heinſ.* 87 hæc *al.* 88 bellis *al.* 89 ſimul *al. ſed* mihi *elegans, probatumque Heinſ.*

74 *Librat*, ſuſpendit fatalem ruinam et cladem Romæ ut in libra, cujus ipſe deinde examen impellit quo placet.

75 *Romuleæ ſegetes* ſunt in ipſis Africæ agris, quos devictos ſibi tributarios & vectigales fecerant nepotes Romuli.

78 *Contemta luce*, Poterat tum ſcire Claudianus e Diodoro Siculo, (vid. p. 566 Weſſel.) de Regulo, quae tradiderant Romani ſi non ficta, incertiſſima certe eſſe: ſed ſeruit ſcenæ ut Horat. 2, 5. 49 *Atqui ſciebat, quæ ſibi barbarus Tortor pararet.*

80 *Arſit fretum* audax certe metaphora: ſed in qua non flamma ſpectatur, ſed ille motus inteſtinus & turbidus, qui exiſtit in concurſu claſſium poſt ſigna lituis data concurrentium & miſcentium omnia. Quid quod *candens aqua* placuit Columellæ 6, 5. 2 & 12, 53. 4. quidni *fretum* poëtæ *ardeat*? Hoc ergo Roma dicit, fruſtra ſunt, bella, clades, victoriæ, ſi mihi fame pereundum eſt, ſi Gildo poteſt mihi intercipere alimenta.

86 *Collina turris*, de porta Collina, ut Juven. 6, 291.

88 *Ter victa Carthago* reſpicit ad tria bella Punica,

Ut Gildo cumularet opes? haurire venena
Compulimus dirum Syphacem, fractumque Metello
Traximus immanem Marii ſub vincla Jugurtham,
Et Numidæ Gildonis erunt? proh funera tanta,
Proh labor! in Bocchi regnum ſudavit uterque
Scipio. Romano viciſtis ſanguine Mauri.
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi,
Qui trabeas, & ſceptra dabat, quem ſemper in armis
Horribilem gentes, placidum ſenſere ſubactæ.
Nunc inhonorus, egens, perfert miſerabile pacis
Supplicium, nulloque palam circumdatus hoſte,
Obſeſſi diſcrimen habet. Per ſingula letum
Impendet momenta mihi, dubitandaque pauci
Præſcribunt alimenta dies. heu proſpera fata,
Quid mihi ſeptenos montes, turbamque dediſti

Quæ

93 ut – eant *conj. Heinſ.* 94 pro dolor *al. ſed* labor *ex MSS. & ratione Heinſ.* 101 adit *conj. Heinſ.* 103 fati *conj. Heinſ. & laudat exempla.* 104 dediſti, *Jupiter:* dediſtis, *fata*, *al.*

91 *Syphacem* & Pedia lex reſpuit, & fides hiſtoriæ. Doctior fuit Claudianus, quam ut ignoraret *victi monimenta Syphacis* Propert. 3, 9. 61. Non ignoravit, quid de morte Syphacis Polybius tradiderit, & diſſentiens ab illo Liv. 30 extr. Neque rara ſunt in poëta noſtro mutando, interpolando audaciæ veterum deſcriptorum ſpecimina. Itaque placet Barthii conjectura, probata etiam Brouckhuſio ad Prop. l. c. *dirum Annibalem*, quo & verſui conſulitur & hiſtoriæ. Qui *Syphacem* hic inculcavit, ille forte ſomniabat aliquid de Sophoniſba Syphacis uxore, cui, cum ſervare eam non poſſet, veneni poculum miſit novus maritus Maſiniſſa ap. Liv. 30, 15.

92 Pulchra brevitate totum Salluſtii Jugurtham comprehendit. Numidæ, ad quos domandos Metello & Mario opus fuit, a Gildone, barbaro homine, nobis eripientur?

94 Devictis, utriusque Scipionis opera, Pœnis, caput erexit Bocchus; Romano ſanguine in bellis cum Jugurtha fuſo, Mauri vicerunt. Hoc ferendum erat: fideles enim amicos ſibi hie paravit reſp. Sed quæ nunc fiunt, indigna ſunt.

98 Secundum illud Virgilianum Aen. 6, 854 *Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos:* & mox in mente fuiſſe Poëtæ debet Juven. 6, 292 *Nunc longæ patimur pacis mala.* Nam *miſerabile pacis ſupplicium* videtur ſignificare, intermiſſas per pacis tempus exercitationes bellicas.

102 *Dubitanda alimenta* tanquam terminum quendam præfiniunt et *præſcribunt pauci dies*, dubium eſt, utrum poſt paucos dies alimenta neceſſaria ſuperfutura ſint.

Quæ parvo non poſſet ali? felicior eſſem
Anguſtis opibus. mallem tolerare Sabinos,
Et Veios. brevior duxi ſecurius ævum.
Ipſa nocet moles. utinam remeare liceret
Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci.
Sufficerent Etruſca mihi, Campanaque culta,
Et Quinčti, Curiique ſeges, patriæque petenti
Ruſticus inferret proprias Dictator ariſtas.
Nunc quid agam? Libyam Gildo tenet, altera Nilum.
Aſt ego, quæ terras humeris, Pontumque ſubegi,
De-

114 numeris, armis, juvenis *conjectura Criticor.*

106 *Sabinos* & *Veios* tanquam vicin s, liberos, interdum hoſtes: *brevior*, minor, frequenti hoc ævo figura.

109 Comparat Barthius Hor. Cat. 4, 7. 15 ubi *Ancum divitem* dici ait. Non repugnaret illud Claudiano, cum Ancus illis temporibus *dives*, comparatione autem Imperatorum poſt Cæſarem pauper vocari potuerit. Sed in melioribus libris Horatii eſt *dives Tullus & Ancus.*

111 *Quinctius* ille & *Curius* dictatores ab aratro. Illud *petenti patriæ* non ſatis expeditum eſt. Pauper uterque non potuit frumentis ſuis ſublevare patriam: non videtur igitur hoc ſibi velle poëta, Romam malle famem ſuam levari de latifundiis veterum dictatorum ſuorum, quæ illi nulla haberent: ſed *petenti* intelligam *ipſos*; patriæ ipſos imploranti, & dictaturam illis offerenti, inferebant ipſi ſegetes ſuas: quo tempore patria ipſos petebat, eo illi occupati erant in meſſibus colligendis & invehendis in urbem frugibus. Hanc imaginem mavult poëta, quam illam de aratro, quia hic de annonæ caritate ejusque remediis præſentibus, ſermo eſt. Hoc igitur ſæculum redire optat Roma. Plin. 18, 3 *Manii* Curii *poſt triumphum, immenſumque terrarum adjectum imperio nota concio eſt, pernicioſum intelligi civem, cui ſeptem jugera non eſſent ſatis.* —— *Aranti quatuor ſua jugera* —— Quinctio *Cincinnato viator attulit dictaturam* etc.

113 *Altera* Roma, Conſtantinopolis, *Nilum*, Aegyptum tenet, & frumenta inde accipit.

114 *Humeris* Roma quomodo ſubigere terras potuerit, cum non ſtatim appareat, proximum huic erat *numeris*, quomodo novimus vocari interdum milites, quatenus in numeros relati ſunt; *juvenis* maxime facit ad ſenſum, & opponitur *ſenectæ:* ſed quomodo in *humeris* mutatum ſit, non reperias. Nihil eſt ergo melius quam ſervare lectionem omnium librorum, & ad eam illuſtrandam adhibere cum Barthio inſcriptionem ſtatuarum Seſoſtris apud Herodotum 2, 106 ἐγὼ τήνδε τὴν χώρην ὤμοισι τοῖσι ἐμοῖσι ἐκτησάμην. Latos humeros fortitudinis notationem habere, humerorum in armatura frequentem eſſe apud patrem poëtarum mentionem, conſtat. Quin juncturam lacerti cum humero eſſe cardinem omnium pene motuum in pugna, quis non videt. Hinc *fortes humeros* vocat Virg. Aen. 9, 364.

Deſeror. emeritæ jam præmia nulla ſenectæ.
DI, quibus iratis crevi, ſuccurrite tandem,
Exorate patrem: tuque ô, ſi ſponte per altum
Vecta Palatinis mutaſti collibus Idam,
Prælatoque lavas Phrygios Almone leones,
Maternis natum precibus jam flecte Cybelle.
Sin prohibent Parcæ, falſiſque eluſa vetuſtas
Auſpiciis, alio ſaltem proſternite caſu,
Et pœnæ mutate genus. Porſenna reducat
Tarquinios. renovet ferales Allia pugnas.
Me potius ſævi manibus permittite Pyrrhi.
Me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis.
Cuncta fame leviora mihi.„ Sic fata, refuſis
Obticuit lacrimis. mater Cytherea, parenſque

Flet

117 quæ vecta p. a. *e MSS. Heinſ.* 124 cædes *al.* feralis Acilia pugnas *marg. Baſ.* 125 proſternite *al. quod jam eſt* v. 123. committite *al.* permittite *etiam Baſ. marg.*

116 Quod *DIs iratis* fit, vel caret ſucceſſu, vel ſucceſſum habet noxium ſuo domino. Male ſibi eveniſſe queritur incrementa ſua.

118 Mater Deorum *Idæa* ſ. *Phrygia* quæ eadem *Cybele*, *Cybelle*, *Cybebe*, Romam evocata e libris Sibyllinis. Vid. Liv. 29, 11 & 14. Prætulit illa Dea Almonem fluviolum, quem Tiberis prope Romam recipit, aquis Phrygiæ, Maeandro, Marſyæ, Lyco. Suum enim Almonem etiam Phrygiæ fuiſſe, fruſtra, credo, putavit Delrius. Ceterum ſolemne Romanum ex illa prima lavatione matris quam cum tota fabula deſcribit Ovid. Faſt. 4, 337, ortum, quod Kalendarium vetus ponit in VI Kal. April. nomine LAVATIO. An inde ortum in eccleſia Ro. feſtum Purificationis τῆς Θεοτόκου? De hoc ſolemni vid. Valeſ. ad Ammia. Marcell. 23, 3 p. 386 & Spanh. ad Callim, Lau. Palladis 1 p. 526.

120 Meminerimus, Romam agere cum Matre Iovis, vt filium hunc ſuum flectat quo ipſam exitio liberet. Sin hoc, ſi liberationem ſimpliciter negent fata, quæ ſunt ſupra Jovem; exitii certe genus vt mutari petat. Fortiter mori vult filios ſuos Roma non fame langueſcere & perire: vt noſtri heroës optant in acie in lecto, quod ajunt, gloriæ mori.

123 Qui hic ſentit, ſe in his nominibus laborare: ille illico depoſito poëta Florum aut Eutropium in manus ſumat, neque redeat ad Claudianum ante, quam prima ſecula Romana percurrerit.

127 *Refuſas lacrimas* intelligere poſſumus quaſi retro fuſas, reſorptas, repreſſas certe interim: ſed potuit poëta etiam voluiſſe denuo fuſas, cum inter agendum ſtetiſſent, jam vero nova quaſi unda erumperet.

128 Pœniteret me lacrimarum Martis, niſi pater eſſet, niſi inter Veneris ſuæ & aliarum Dearum lacrimas verſaretur.

Flet Mavors, ſanctæque memor Tritonia Veſtæ.
Nec ſicco Cybele nec ſtabat lumine Juno.
Mærent Indigetes, & ſi quos Roma recepit
Aut dedit ipſa Deos. Genitor jam corda remitti
Cœperat, & ſacrum dextra ſedare tumultum:
Cum procul inſanis quatiens ululatibus axem,
Et contuſa genas, mediis apparet in aſtris
Africa. reſciſſæ veſtes, & ſpicea paſſim
Serta jacent. lacero crinales vertice dentes,
Effractum pendebat ebur. talique ſupernas
Irrupit clamore fores. „*Quid magne moraris*
Jupiter, avulſo nexu, pelagique ſolutis
Legibus, iratum populis immittere fratrem?
Mergi prima peto. veniant prærupta Pachyno

Æquo-

132 corde *al. Sed merito Græciſmum* corda *prætulit Heinſ.* 135 confuſa, concuſſa, conſciſſa, diſciſſa *al.* contuſa *ex MSS. & aliorum uſu probat Heinſ.* 138 et fractum *al.* ſuperbas *al.* 139 irrumpit *al.* 142 prorupta *conj. Heinſ.*

129 *Tritonia* Pallas eſt, cujus parvulum ſignum Palladium (παλλάδιον forma deminuta) in Veſtæ templo ſervabatur. *Indigetes* v. g. *Fauni* Aeneas, Romulus: *recepit* Roma Aeſculapium & poſtea Iſidem; *dedit* Julium Cæſarem & ceteros, qui conſecrati ſunt Imperatores.

135 *Sacrum tumultum* appellat perturbationem, fletus, querelas deorum dearumque: hunc *dextra ſedat* Jupiter, κατασείει, manu ſilentium poſcit.

136 *Spicea ſerta* ſymbolum fertilitatis Africanæ uſitatum. *Crinales dentes* h. e. *ebur effractum* in exuviis capitis elephantini, quas pro caſſide in capite gerit Dea Africa, pendent negligenter quaſi defluentes, non erecti ſunt velut ad pugnam, quo ſitu illi exhibentur in nummis antiquis Alexandri M. tum gentium Cæciliæ, Ceſtiæ, Eppiæ; in primis in nummo Auguſti ap. Morell. Tab. 50, 5. Adeo nummi antiqui fidem ſcriptorum firmant, & contra nummis auctoritatem faciunt boni poëtæ. Quod *crinales* vocat *dentes*, potuit imaginari illos, tanquam cincinnos quosdam, aut tanquam acus crinales: ut Meduſa habet pro crinibus angues, ita hic in loco crinium ſunt dentes eborei.

141 *Avulſo nexu* ſolutis vinculis, quibus devinctum ordinatumque continetur hoc univerſum, rupto fœdere inter fratres Jovem, Neptunum, Plutonem inito, ne alter alterius fines turbet: adeo ut modo Neptunus ditionem Jovis, qua Africa eſt, invadat.

142 *Veniant à Pachyno*, quod proximum Afris Siciliæ promuntorium eſt *æquora* vel *prærupta*, ut *præruptus aquæ mons* Aen. 1, 109; vel *prorupta* prorumpentia eodem ſenſu: ſed prius videtur melius quia terribilius.

Æquora. laxatis ſubſidant Syrtibus urbes.
Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
Me rape Gildoni. felicior illa peruſtæ
Pars Libyæ, nimio quæ ſe munita calore
Defendit, tantique vacat ſecura tyranni.
Creſcat zona rubens. medius flagrantis Olympi
Me quoque limes agat. melius deſerta jacebo
Vomeris impatiens. pulſis dominentur ariſtis
Dipſades, & ſitiens attollat gleba ceraſtas.
Quid me temperies juvit? quid mitior æther?
Gildoni fecunda fui. jam Solis habenæ
Bis ſenas torquent hiemes, cervicibus ex quo
Hæret triſte jugum: noſtris jam luctibus ille
Conſenuit, regnumque ſibi tot vindicat annos:
Atque utinam regnum! privato jure tenetur,
Exigui ſpecie fundi, quod Nilus & Atlas

Diſſi-

145 præuſtæ *MS.* 146 medio *MS.* 150 aratris *al.* ariſtis *etiam Cuj.* 156 conſuevit *al.* annis *al.* 157 tenemur *al.* 158 exilis *al.*

143 *Syrtes* aggerem præſtant terris, quas præcingunt: his *laxatis* ſolutisque irruunt undæ, urbes ſubmergunt.

145 *Me rape Gildoni*, Perde me, ne Gildo habeat ac perdat. Eripitur hoſti, qui ante moritur quam in poteſtatem hoſtis perveniat.

147 *Vacat* vacua eſt cultoribus, frugibus, bonis aliarum regionum; ſed ob id ipſum etiam *ſecura tyranni* hujus & cujuscunque alterius.

148 *Medius limes flagrantis Olympi*, Zona torrida exuſta caloribus (ut tum adhuc putabatur) *me quoque agat*, auferat, involvat, ut pars illius ſim. Ut ante ſubmergi fluctibus maritimis, ita hic ardoribus exuri mavult, quam ſervire Gildoni.

151 *Dipſades* a ſiti intolerabili, quam ictis inferunt dictæ, & *ceraſtæ*, corniculatæ ſerpentes nobilitatæ præſertim Lucani verſibus V. G 9, 610-716. Utrumque genus junxit 9, 851 *Pro Cæſare pugnant Dipſades, & peragunt civilia bella ceraſtæ. Gleba ſitiens* ſimpliciter terram aridam indicat: hæc *attollit ceraſtas* h. e. generat, nutrit, incitat ut attollant ſe ad nocendum.

156 *Conſeneſcere* alias ad decrementum virium & velut ſenilem marcorem pertinet: ſed hic inveteratam potentiam notat ætate ipſa confirmatam.

158 *Specie fundi*, ut inſtar fundi. Non poteſt *regnum* vocari poteſtas quam Gildo arripuit exercetque; poſſidet ille inſtar patrimonii totam Africam, quam terminis quibusdam & finibus deſcribit Poëta, inter *Nilum & Atlantem*,

Diſſidet. occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quodque Parætonio ſecedit litore Ganges,
Hoc ſibi tranſcripſit proprium. pars tertia mundi
Vnius prædonis ager. diſtantibus idem
Inter ſe vitiis cinctus; quodcunque profunda
Traxit avaritia, luxu peiore refundit.
Inſtat terribilis vivis, morientibus heres,
Virginibus raptor, thalamis obſcœnus adulter.
Nulla quies. oritur præda ceſſante libido,
Divitibuſque dies, & nox metuenda maritis.
Quisquis vel locuples vel pulcra conjuge notus,
Crimine pulſatur falſo. ſi crimina deſint,
Accitus conviva perit. mors nulla refugit
Artificem. varios ſuccos ſpumasque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota novercis
Gramina. Si quisquam vultu præſentia damnet,
Liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipſis

Emi-

161 trānſcribit *al.* 171 aſcitus *al.* accitos *Boſ. marg.* 175 dap. crud. herilem *al. quod placebat Heinſio.*

tem, inter *Gades* & *Barcen*, quæ eſt in Cyrenaica: ſed quod addit inter *Parætonium* Marmaricæ urbem, & *Gangen* neſcio quid ſibi velit. Gangen quidem certe Indiæ flumen intelligere nemo poteſt, qui Gildonis res ex Zoſimo 5, 11 & Oroſio 7, 36 cognoverit, vel ex ipſo adeo noſtro poëta. Verbo, aut *Ganges* alius etiam loci nomen eſt circa Occidentem Africæ, aut corruptum eſt, exnomine vicino. Si *Tanger* hodiernum *Tangis* tum dicta eſſet, non *Tingis*, eo nos conjectura duceret.

170 *Pulſari crimine*, ut peti, ut *actione* aliquem *pulſare* dicunt ICti. Quin Ter. Phor. 1, 1. 13 *Tum Geta ferietur alio munere*, i. multabitur.

171 *Conviva perit* veneno: mortis a veneno nullum genus fugit hunc artificem. Accuſat artis veneficæ Gildonem, quam nobilis venenaria, Locuſta illa Agrippinæ ſcelerum ac Neronis miniſtra tenuit, (vid. Tac. A. 12, 66) qua ſuperiori ætate Vicina illa (*Voiſin*) apud Gallos infamata eſt.

172 *Spumæ* a ſpuendo dictæ, ut *ſputa*. Videtur non ignoraſſe poëta, venenum illud quod morſis ab animali venenato vel rabioſo nocet, ineſſe in ſaliva quadam inter gingivas & dentes hærente & ipſo morſu infuſa in ſanguinem. E ſpuma Cerberi natum aconitum Ovid. Met. 7, 415. *Virides* intelligo, ut cum felle comparetur illud venenum.

173 *Novercarum vetus infamia.* Ovid. Met. 1, 147 in deſcriptione ferreæ ætatis: *Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.*

Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumſpicit enſes.
Splendet Tartareo furialis menſa paratu,
Cæde madens, atrox gladio, ſuſpecta veneno.
Ut vino calefacta Venus, tum ſævior ardet
Luxuries: miſtis redolent unguenta coronis.
Crinitos inter famulos pubemque canoram
Orbatas jubet ire nurus, nuperque peremtis
Arridere viris. Phalarin, tormentaque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre juvenci,
Quam tales audire choros. Nec damna pudoris
Turpia ſufficiunt. Mauris clariſſima quæque
Faſtidita datur. media Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ ſubeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Naſamona maritum

Inge-

179 lateri *al.* 182 urget *al.* 184 plebemque *MSS.* decoram *MSS.* 187 tiranni *Cuj.*

176 *Emicat* ſimul celeritatem adſilientis miniſtri, & ferri ſplendorem notat.

177 *Fixus toro* unusquisque, propter metum commovere ſe non audens, non capit aut ſumit hilariter & cum appetentia quadam epulas, ſed *libat*, delibat, parce ſummisque labris modo attingit, partim mala venena (hæ ſunt *carnifices epulæ*, *incertaque* i. periculoſa *pocula*) metuens, partim ſuſpiciens clanculum, quaſi impendentes ſuo, ut quondam in Dionyſii convivio Damoclis, capiti gladios metuens.

182 *Criniti famuli*, pueri delicati, comati, cirrati, iidem ſymphoniaci.

186 *Arridere viris nuper peremtis*, emphaſin habet, quaſi præſentibus illorum cadaveribus & in conſpectu poſitis *arridere* juſſæ & coactæ eſſent mulieres.

187 *Siculus juvencus*, æneum illud bovis ſimulacrum a Perillo ita factum, ut igne ſubjecto cruciatus qui incluſus erat, pro ejulatu humano, mugitus de naribus tauri prorumperet.

189 Non ſatis eſt Gildoni imminuiſſe pudorem mulierum: quas ipſe, poſtquam abuſus eſt, faſtidit, etſi ſint *clariſſimæ*, conſulari loco, proſternit Mauris barbaris. Obſervemus, *Sidonias matres*, matronas Carthaginienſes hoc ſæculo non, ut olim barbaras habitas, ſed cives, ut erant, & cultu omni Romanis nihil inferiores.

Ingerit. exterret cunabula degener infans.
His fretus ſociis, ipſo jam principe major
Incedit. peditum præcurrunt agmina longe.
Circumdant equitum turmæ, Regesque clientes,
Quos noſtris ditat ſpoliis. proturbat avita
Quemque domo, veteres detrudit rure colonos.
Exſiliis diſperſa feror. numquamne reverti
Fas erit, errantesque ſolo jam reddere cives?„
Iret adhuc in verba dolor, niſi Jupiter alto
Cœpiſſet ſolio. voces adamante notabat
Atropos, & Lacheſis jungebat ſtamina dictis.
„*Nec te, Roma, diu, nec te patiemur inultam,*
Africa. communem proſternet Honorius hoſtem.
Pergite ſecuræ. veſtrum vis nulla tenorem
Separat: & ſoli famulabitur Africa Romæ.

Dixit,

193 diſcolor *al.* degener *etiam Baſ. marg.* 197 perturbat *al.* 200 fas erit? *imperfecto verſu, ac deinde:* Errantesque ſolo natali r. c. *MS.* Fas erit, atque ſolo nat. r. c. *al.* F. e. errantes n. r. c. *Pro* jam, me *vel* mi *al.* 204 inultas *al.*

193 Ipſa *cunabula* lintea, culcitellæ, fulmenta, quibus foventur infantes, *exterreri* videntur, ac perhorreſcere infantem hybridam inſoliti coloris, figuræ pene monſtroſæ, ex diſpari ſemine ortum, ſemi-Maurum & ſemi-Pœnum.

201 *Iret adhuc in verba dolor,* diutius queſtura videbatur Africa, niſi interpellaſſet Jupiter.

202 *Atropos* quæ immutabilitatem fati, *verti neſcii*, notat, excipit *dicta* Jovis, haec enim ſunt fata, in tabulis *ex adamante* i. ferro, ut 20, 165. Apud Ovid. Met. 15, 810 in templo Parcarum ſunt *Ex ære & ſolido rerum tabularia ferro. Illic incluſa adamante perenni Fata legit* Cæſaris Jupiter, quæ ne in Veneris quidem gratiam mutare poteſt. Multo noſter decentius Atropo dat negotium notandi adamante voces Jovis, & Lacheſi ut *ſtamina* ſua illius *dictis jungat*, talia ducat, qualia jubet Jupiter.

206 An *Pergite* eſt διατελεῖτε, perpetuo ſecuræ eſte in poſterum? Non ſatis placet: nam cum ea dicerentur, non erant ſecuræ. Potius *Pergite* eſt πορεύεσθε, ut in Gloſſ. ſicut Cic. ad Her. 4, 51. Liv. 22, 53 dimittit ſupplicantes.

206 *Tenorem* dicit de mutuo nexu Romæ & Africæ, mutuisque ſubſidiis. Eſt enim *tenor* velut continuitas, συνάφεια, cum ſine interſtitio res ſibi ſuccedunt. Colum. 1, 6. 20 *Vina celerius vetuſteſcunt, quæ fumi quodam tenore præcocem maturitatem trahunt.* Plin. 14, 2 ſ. 4, 3 *Viſula* (vitis genus) *impatiens variantis cæli; ſed contra tenorem unum algoris æſtuſve conſtans.*

Dixit, & afflavit Romam meliore juventa.
Continuo redit ille vigor, ſeniique colorem
Mutavere comæ. ſolidatam criſta reſurgens
Erexit galeam, clipeique recanduit orbis,
Et levis excuſſa micuit rubigine cornus.
Humentes jam Noctis equos, Lethæaque Somnus
Frena regens, tacito volvebat ſidera curru.
Jam duo Divorum proceres, majorque minorque
Theudoſii pacem laturi gentibus ibant:
Qui Jovis arcanos monitus, mandataque ferrent
Fratribus, & geminis ſancirent fœdera regnis.
Sic cum præcipites artem vicere procellæ,
Aſſiduoque gemens undarum verbere nutat

De-

212 levis & *conj. Heinſ.* conus *Baſ. & al.* 214 gerens *marg. Baſ.* curſu *al.* lapſu *MS.* 216 Theodoſii *Baſ.* 220 motat, mutat *al.*

208 *Afflatum* dicunt de præſenti poteſtate Dei in utramque partem, ubi vel bonum quiddam vel malum ſubito & leviſſimo motu, ſine machinatione, conſertur, vel inſertur. Illius exemplum Aen. 1, 591 *Namque ipſa decoram Cæſariem Genetrix* (Venus ſuo Aeneæ) *lumenque juventæ Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.* Poteſt videri reſpexiſſe h. l. noſter, ſed non aſſecutus eſt divinum carmen Maronis. Sed & in malam partem Petro. c. 2 *Loquacitas — animos juvenum ad magna ſurgentes velut peſtilenti quodam ſidere afflavit.*

210 An hæc reſpondent v. 24 de *laxata caſſide*, per quam apparebant cani? nunc *ſolidata* eſt & bene commiſſa. Deinde hic eſt Hypallage. nam galea proprie criſtam erigit, non criſta galeam. Nempe *criſta reſurgens* erectam oſtendit galeam.

211 *Candere* magnum ſplendoris gradum oſtendit, ut *ardere* & ſimilia. *Cornus* porro totam haſtam oſtendit: *rubigo*] enim ad ferrum & ſpiculum illius pertinet. Ut noſtrum *Spies* proprie acumen ferreum notat, toti tamen inſtrumenmento nomen dat. Qui *conus* legerunt, intellexere partem galeæ, cui criſta infixa eſt. Sed hujus non videtur mentionem facturus fuiſſe poëta poſt clipei mentionem interpoſitam.

215 *Senior* Comes Africæ, pater *minoris* Imperatoris: utrique divi, certe a poëta noſtro ἀποθεωθέντες ſ. conſecrati. Sed quidni præſtiterit Imperator Theodoſius ipſe Patri ſuo honorem, quem ſuo Trajanus, de quo Spanhem. Diſſ. 11 p. 328. *Theudoſii* non Latinis modo placuere, ut *Lautumiae*, *Laudicea:* ſed etiam Græci ita, V. G. Anthol. 4, 4 Θευδόσιε. Vid. Maittaire de Dial. Dor. p. 158, C.

218 *Geminis regnis* Occidentis & Orientis, quæ miſcebant & inter ſe committebant Rufinus, Stilicho etc.

Deſcenſura ratis, cæca ſub nocte vocati
Naufraga Ledæi ſuſtentant vela Lacones.
Circulus ut patuit Lunæ, ſecuere meatus
Diverſos. Italas ſenior tendebat in oras.
At pater, intrantem Pontum qua Boſporus arctat,
Arcadii thalamis, urbique illapſus Eoæ.
Quem ſimul ac vidit natus (nam clara nitebat
Cynthia) permiſto tremuerunt gaudia fletu,
Complexuque fovens, quos non ſperaverat, artus,
„*O mihi poſt Alpes nunc primum reddite*, dixit,
Unde tuis optatus ades? da tangere dextram,
Qua gentes cecidere feræ. Quis tale removit
Præſidium terris? ut te mortalia pridem
Implorant, lugentque pium, fortemque requirunt!„
Cui pater in tales rupit ſuſpiria voces:
„*Hoc erat? in fratres medio diſcordia Mauro*

 Naſci-

221 deſceſſura *MS. unde Heinſ. conj.* deſeſſura & deſidere *ſic adhiberi oſtendit.* Defenſura *MS.* 222 oſtendunt bella dracones *marg. Baſ. mira corruptione.* 224 ad oras *al.* 226 elapſus *Vic.* 227 ſimul ut *al.* 234 longeque *al.* 236 hoc erat in fatis *al.*

221 *Noctem* vocat, credo, non propriam modo, ſed eam, quae etiam interdiu ingruere videtur a dēnſis nubibus.

222 Ledæ filii Caſtor & Pollux, quæ Tyndaro Spartano regi nupta erat, unde ipſi *Lacones*, σωτῆρες naufragorum, noti etiam ex Hor. Car. 1, 3. 2. 1, 12. 25.

223 *Circulum* poſuit pro orbe. nam ſolidi illi Planetarum orbes ſua habent foramina, per quæ transeundum eſt, ſiquis a ſuperis ad nos velit deſcendere. Ultimus qui terram noſtram complectitur, lunæ orbis eſt, intra quem mortalia ſunt omnia, inconſtantia, fluxa etc. Illa foramina ſ. ϛόμια ſunt, ut videtur, in nodis Eclipticæ & Aequatoris: certe deſcenſui animarum aſſignabant ϛόμιον ad ſignum cancri, aſcenſui autem alterum ad capricornum. Vid. Porphyr. de antro Nymphar. p. 120 Barneſ.

225 *Intrantem* vocat *pontum*, quia perpetuo e Ponto Euxino defluere in Helleſpontum & Aegeum mare obſervatur. Vid. Strabo 1 p. 34. Ceterum Conſtantinopoleos hic ſitum indicari apparet, quæ *Eoa urbs* vocatur h. e. caput Orientis Imperii.

229 Non ſequitur hic Homerum & Virgilium Claudianus: ſolidum dat corpus Theodoſio.

236 *In fratres* non tantum inter fratres, ſed contra illos, ut ſua invicem graſſentur in viſcera, naſcitur diſcordia, *medio Mauro,* Gildone, qui Arcadio vel potius Pædagogo illius Eutropio ſubornante, tenebat Africam. V. dicta ad princ. & v. 4. *Mundus* hic eſt im-

Naſcitur, & mundus germanaque diſſidet aula?
Gildoniſne ſalus tanti ſit palma furoris?
Scilicet egregius morum, magnoque tuendus,
Et cujus meritis pietas a fratre recedat.
In primo genitore, vide, civile calebat
Diſſidium. dubio ſtabant Romana ſub ictu.
Quis procul Armenius, vel quis Mæotide ripa
Rex ignotus agit, qui me non juvit euntem?
Auxilio fovere Getæ, venere Geloni.
Solus at hic non puppe data, non milite miſſo
Subſedit fluitante fide. ſi ſigna tuliſſet
Obvia, detecto ſubmiſſius hoſte dolerem.
Reſtitit in ſpeculis fati, turbaque reductus

Li-

238 cauſa *al.* palma *etiam Cuj.* 240 et quovis *Vic. Fuit in MS.* quojus. Pi. infracta *Vic. & pleriq. editt.* in fratre *Vien. & MSS. ap. Heinſ.* a fratre *Baſ. marg. Claver. & MSS. ap. Heinſ.* fraterna *conj. Heinſ.* 244 erat *Baſ. marg.* 245 favere *al.* 246 pube *Baſ. marg.* 247 petiſſet *al.* tuliſſet *MSS. aliquot ap. Heinſ.* 248 defecto *al.* dejecto *al.* defenſo *Baſ. marg. & al.* detecto *omnes MSS. & primæ editt. etiam Baſ.*

imperium Romanum, *germana acta* fratrum, Arcadii Gildonem tuentis, & Honorii, eum oppugnantis. Sic *ſalus Gildonis ſit palma furoris* h. e. belli inter fratres, pretium victoriæ Arcadii eſt *ſalus Gildonis* conſervata; Honorii, eadem everſa. Quibus placuit *cauſa*, quantum ad ſententiam nihil mutant: ſed *palma* magis poëticum eſt.

240 Gildo is eſt cujus propter merita *recedat pietas* in fratrem a fratre altero, propter quem deſinant fratres pii eſſe erga ſe invicem.

241 *In primo genitore, vide:* ut dicitur *primo vere;* nam hoc modo vult, primum in genitore hoc conſidera: ſe ipſum intelligit, & revocat Arcadio in memoriam ſuperiora bella civilia, & perfidum in iis Gildonis ingenium.

242 *Romana*, τὰ τῶν Ρωμαίων, res Romanorum.

247 *Subſedit*, occultandi ſe cauſa, ut natantia ad conſpectum accipitris: ut *inſidiantes*, ut *ſubſeſſores* alienorum matrimoniorum. *Signa obvia petere* poteſt forte dici, qui tranſit aperte ad hoſtem: ſed tamen longe aptior & huic loco convenientior, nec bonis auctoribus deſtituta lectio, *tuliſſet*. Idem de voce *detecto* dicendum. Si tamen placeat *petiſſet* & *defecto;* hoc ſumendum fuerit deponentialiter, pro eo qui defecit, cujus rationis exemplum nondum obſervavi. Nam *defecti duces* ſi vera ſit hæc lectio Aen. 11, 870, ſunt viribus atque animis defecti, vel, ſi placet deſerti a militibus.

249 Apud Plin. Pan. 86 *Stetit Cæſar in amicitiæ ſpecula*, i. in loco altiore, in quo illum ſua erga

dece-

Libravit geminas eventu judice vires,
Ad rerum momenta cliens, ſeſeque daturus
Victori. fortuna ſimul cum Marte pependit.
Et ſi non cupidis eſſem præreptus ab aſtris,
Exemplum ſequerer Tulli, laniandaque dumis
Impia diverſis raptarem membra quadrigis.
Germani nunc uſque tui reſponſa colebat.
En iterum calcat. tali te credere monſtro
Poſt patrem fratremque paras? Sed magna rependit,
Inque tuam ſortem numeroſas tranſtulit urbes.
Ergo fas pretio cedet? mercede placebit
Proditio? Taceo, læſi quod transfuga fratris,
Quod levis ingenio. quamvis diſcrimine ſummo
Proditor apportet ſuſpenſa morte ſalutem,

 Nun-

252 mente *al.* morte *Baſ.* 255 aptarem *al.* 261 ſeditio *al.* deditio *conj. Heinſ. Hic verſus & proximus omiſſi in Vic. ſed habet Vien.* 263 ſuſpenſam *ex uno MS. Heinſ.*

decedentem amicitia collocarat. Sed Gildo *reſtitit in ſpeculis fati*, obſervaturus quo fatum & fortuna prælii rem inclinaret: *turba reductus*, ſemotus, ſine arbitris, ut *reducta vallis*.

250 Tanquam in bilance expendit vires utriusquè partis: *eventus* erat pro examine, pro *judice*, qui decerneret, quo ſe conferret Gildo. *Momenta* ponit proprie de motu agminum prementium, cedentium, fugientium, perſequentium.

252 Hypallage paullo durior. Natura rei poſtulabat, *Mars* Gildonis, arma, exercitus, *pependit*, in incerto fuit & fluctuavit cum fortuna. Quam diu fortuna victoriæ incerta fuit, etiam Gildonis arma ad neutram ſe partem inclinaverant.

253 *Aſtra cupida* erant, feſtinabantque recipere ad ſe Theodoſium: ita *præreptus* eſt, ante ereptus eſt rebus humanis, quam ulciſci Gildonem poſſet.

254 *Sequerer - raptarem*, pro ſecutus eſſem, raptaſſem, figura Ciceroni etiam frequentata ponendi pro plusquam perfecto in apodoſi conjunctivum imperfectum. De Metii Tullii Albani perfidia, tergiverſantis eo modo qui graphice hic in Gildone deſcriptus eſt, ac ſupplicio Liv. 1, 27 ſq. Eſt idem inter argumenta clipei Aeneæ, Aen. 8, 642, ut *raptet viri mendacis viſcera Tullus* etc.

256 *Reſponſa*, oracula, h. e. reſcripta, imperia. Notum eſt de Oraculis ſingulari quadam ratione dici *reſponſa*: principum autem hujus ætatis imperia *divina oracula* vocari.

259 *In tuam ſortem*, Orientem, *tranſtulit* urbes Africæ. Vid. dicta ad v. 1.

262 Ponit vel fingit caſum, ut vocant vulgo, h. e. ſpeciem, vel, ut quidam ICti nos dicere voluht, viſionem: Si etiam contingat, ut in *ſummo diſcrimine* & vitæ periculo

Nunquam gratus erit. damnamus luce reperta
Perfidiam: nec nos patimur committere tali
Hoc genus emtori. Cives cum mœnibus offert?
Hoc vendit patriam. plerique in tempus abuſi
Mox odere tamen. tenuit ſic Graia Philippus
Oppida. Pellæo libertas concidit auro.
Romani ſcelerum ſemper ſprevere miniſtros.
Noxia pollicitum domino miſcere venena
Fabricius Regi nudata fraude remiſit,
Infeſto quem Marte petit, bellumque negavit
Per famuli patrare nefas. ductosque Camillus
Trans murum pueros obſeſſæ reddidit urbi.
Traduntur pœnis alii, cum prælia ſolvant;

Hic

264 nuſquam *al.* recepta *al.* 265 nec vos *al.* concurrere *MS.* 267 hic vendit *al.* 270 prodidere *Baſ. marg.* 272 Pyrrho *marg. Baſ.* 276 traditur hic pœnis *Baſ. marg.* prælia tollunt *MS.*

culo proditor aliquis, *ſuſpenſa* i. dilata *morte ſalutem* proditione ſua alicui adferat; *nunquam* tamen *gratus erit*, nunquam putabit, qui ſic ſervatus eſt, ſe illi debere, nunquam caput ſuum illi ſponte ſua committet. *Damnamus perfidiam* etiam *luce* vitæ per illam *reperta*.

265 *Nec nos patimur committere*, non poſſumus a nobis impetrare, uti nos committamus. Similis formula 1, 86 it. 17, 184.

266 *Hoc genus* non jungendum cum *emtori*, ad quem refertur jam *tali*; ſed cum verbo *committere*: eſt enim *hoc genus* idem quod hunc in modum, hoc modo: eſt Græcanica ratio, τῦτον τὸν τρόπον. *Genere quodam* i. quodam modo, Scribonianum eſt. *Uno genere* Plinii.

267 *Hoc*, hac ratione, *vendit* ſ. prodit *patriam*, ſalutem publicam. Nam ex injuſta illa mutatione præter Theodoſii, qui hic loquitur, diſpoſitionem facta oritur bellum civile, in quo ſunt mala omnia. Quid eſt prodere patriam, ſi hoc non eſt, bellum inteſtinum in ea excitare.

267 *Plerique* principes *in tempus*, aliquamdiu, cum temporis ratio ſuadet, *abuſi* proditoribus ad ſuam utilitatem, mox *odere*, & odiſſe, rebus demonſtrarunt. Utuntur vel abutuntur proditoribus reges, ut inſtrumentis, quæ deinde abjiciunt. Exemplum Philippi rem, & ſententiam poëtæ, declarat. *Pellæa* vocari Macedonica a ſede regni, tralaticium eſt. Sic noto verſiculo Juvenal. 10, 168 *Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis.*

272 *Fabricii* factum, perfidia & veneno Timocharis contra Pyrrhum hoſtem uti nolentis, qua ratione bellum *patraſſet*, h. e. finiſſet, notum ex Cic. Offic. 3, 22. Gell. 3, 8 etc.

274 *Camilli* ſimilis generoſitas relata v. g. Liv. 5, 27.

276 Reſpicit ad ſuperiora. Metius pœnas dedit, quod non pugnavit cum oporteret, ſed eventum ſpeculatus eſt, ut ad victorem

Hic manet, ut moveat? quem reſpuit alter in hoſtem,
Suſcipis in fratrem? longi proh dedecus ævi!
Cui placet, auſtrales Gildo condonat habenas,
Tantaque mutatos ſequitur provincia mores.
Quaslibet ad partes animus nutaverit anceps:
Transfundit ſecum Libyam, refluumque malignus
Commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
Tollite Maſſylas fraudes. removete bilingues
Inſidias, & verba ſoli ſpirantia virus.
Ne conſanguineis certetur cominus armis,
Ne, precor. hæc trucibus Thebis, hæc digna Mycenis;

277 quem *vel* quod reſpuat *malit Heinſ.* 279 *Magna varietas*, cum tradit, contradit, cum tradat, cum donat, turbat, prodit, trudit. *Heinſ. conj.* cur tradit, *vel* num tradit, *vel* cur donat, *vel* num donat. *Sed nihil melius antiqua lectione* condonat. 281 animum mutaverit *antiquæ editt.* animis *MS. unde Heinſ. conj.* animi. animus nut. *Baſ. & rell. a Pulm.* 282 refugum *MS.* 285 doli *al.* 287 deprecor *al. omnes.* Ne, precor *Heinſ. ex plurimis MSS.*

rem ſe adjungeret: Gildo reſervat ſe ad movendum prælium. Quod Camillus, quod Fabricius reſpuit, adhibere non voluit, contra hoſtem, proditionem, inſidias: hoc tu, Arcadi, contra fratrem ſuſcipis?

282 *Refluum imperium*, inſtar æſtus marini, nunc huc nunc illuc transferendum, non dat liberaliter, ſed maligne tantum ad tempus, ad brevem uſum, *commodat*.

284 *Tollite*, o filii mei, fratres qui ſitis et Romani, fraudes Afris quam Romanis digniores. *Virus ſoli.* Ipſum ſolum Africæ quibusdam partibus venenatum videtur, adeo noxia fert animalia.

287 *Ne, precor.* Debetur hæc lectio ingenio Heinſiano. Et habet ſane ſpeciem aliquam vehementiæ. Comparat ipſe illud Aen. 6, 833 *Ne, pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella.* Eadem ratione tractavit vir ſummus Ovid. Epiſt. 16, 170 ubi ita legit, *Spem modo ne noſtram fieri patiare caducam*, Ne, precor, *o tanto digna labore peti*, pro vulgato *Te precor.* Et Stat. Achill. 1, 392 *Ne ſolum Danaas admitte carinas, Ne, precor*; vulg. *Te precor.* Unus locus eſt Statii Theb. 4, 512 *Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacæ Spernite, ne, moneo*, ubi olim ſic editum. Et tamen obſervat Barthius, eſſe in MS. *jo moneo.* Retinui Heinſianam h. l. lectionem verecundia magni poëtarum ſoſpitatoris. Sed non diffiteor, me non audere plane illi aſſentiri, dum exemplum indubium inveniam τῆς *ne* ita abrupte in ipſo fine poſitae: cui plane diſſimilis eſt locus Virgilianus, & Græcorum uſus in μὴ, μή μοι, de quo dixi ad Lucianeum Philopatrin c. 7 To. 3 p. 593. *Thebæ & Mycenæ* theatra Tragicorum ſcelerum. Ad Thebas cecidere mutuis vulneribus Polynices & Eteocles: Mycenæ viderunt Atrea ac Thyeſten.

In Mauros hoc crimen eat. quid noſter iniquum
Molitur Stilicho? quando non ille jubenti
Paruit? an quisquam nobis devotior exſtat?
Ut ſileam varios, quos mecum geſſerit, actus,
Quæ vidi poſt fata, loquar. cum Divus abirem,
Res incompoſitas, fateor, tumidasque reliqui.
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enſes
Alpinis odiis, alternaque jurgia victi
Victoresque dabant. vix hæc amentia noſtris
Excubiis, nedum puero rectore, quieſſet.
Heu quantum timui vobis, quid libera tanti
Militis auderet moles, cum cæca remoto
Ferveret jam læta metu. diſſenſus acerbus,
Sed gravior conſenſus erat. tunc ipſe paterna
Succeſſit pietate mihi, tenerumque rudemque
Fovit, & in veros eduxit principis annos:
Rufinumque tibi, quem tu tremuiſſe fateris,
Depulit. hunc ſolum memorem ſolumque fidelem

Ex-

289 molitus *conj. Heinſ.* jubentis *ſphalma Heinſ.* 290 devinctior *al.* 294 ſtringebant *ex MSS. malit Heinſ. per Syneſin.* jam tunc *Baſ. marg.* 297 quieſcet *al.* 298 quod libera *al.* ne *Baſ. marg. & Barth.* 301 et gravior *al.* ſed *etiam Baſ. marg.*

289 *Stilichonem* evertere conabantur Eutropius, Gildo, ipſeque adeo Arcadius.

290 *Exſtat* non ſimpliciter pro *eſt* ponitur: ſed eminet, eximius eſt, ſignificat.

292 *Poſt fata* mea, poſtquam a vobis diſceſſi ad ſuperos: loquitur enim umbra Theodoſii M.

293 *Tumidæ res*, quum ad iras, ſeditiones, bella, tumultus, ſpectant omnia. Videri poteſt de hoc verbi uſu Heinſ. ad noſtrum 15, 330. Bentl. ad Hor. A. P. 197.

295 *Alpina odia*, reliqua a bellis & præliis circa Alpes geſtis inter Eugenium ab Arbogaſte ſubornatum & Theodoſium. *Excubias ſuas* eleganti extenuatione vocat imperium ſuum.

301 Redit ad Stilichonem, de quo cœperat v. 289: hic *ſucceſſit* Theodoſio in provincia paterna etiam reſpectu Arcadii. Utrumque enim principem a patre ſibi commendatum, præ ſe Stilicho ferebat, & tuetur ſæpius poëta.

303 *Veros principis annos* dicit, ubi is etiam gerere principem rebus agendis poteſt, non modo ſpeciem qualemcunque principis ſuſtinere. De Rufino ſunt libri duo poëtæ noſtri.

Experior. volui ſi quid, dum vita maneret,
Aut viſus voluiſſe, gerit: venerabilis illi
Ceu numenque vocor præſens. ſi tanta recuſas,
At ſoceri reverere faces, at reſpice fratris
Connubium, pignusque meæ regale Serenæ.
Debueras etiam fraternis obvius ire
Hoſtibus, ille tuis. quæ gens, quis Rhenus & Iſter
Vos opibus junctos, conſpirantesque tuliſſent?
Sed tantum permitte, cadat. nil poſcimus ultra.
Ille licet ſeſe prætentis Syrtibus armet,
Oppoſitoque Atlante tegat: licet arva referta
Anguibus, & Solis medios objecerit æſtus:
Novi conſilium, novi Stilichonis in omnes
Æqualem caſus animum. penetrabit arenas:
Inveniet virtute viam.„ ſic Divus, & inde
Sic natus: *„juſſis genitor parebitur ultro.*
Amplector præcepta lubens. nec carior alter
Cognato Stilichone mihi. commiſſa profanus
Ille luat. redeat jam tutior Africa fratri.„
Talia dum longo ſecum ſermone retexunt,

 He-

308 ſi juſſa *MS.* 309 aut-aut *al.* at *ex MSS.* 313 tuliſſet *al.* 320 Divus: at *malit Heinſ.* 325 volutant *al. etiam Baſ.*

309 Ex hoc verſu colligeres Stilichonem etiam Arcadii ſocerum fuiſſe. Sed illud nusquam eſt. Mariam, Stilichonis & Serenæ filiam, in matrimonio Honorii fuiſſe, ſatis conſtat. *Faces* hic intelligi nuptiales, & hoc ſigno notari totam Solemnium eorum ſcenam, vix monitu opus eſt.

312 *Rhenus* adverſus Germanos, *Iſter* contra Getas propugnaculum.

314 Non poſco ut pugnes, quod facere debebas, contra Gildonem pro fratre, quod debebas; modo ne juva, *permitte* ut *cadat.*

321 Videbatur aliquando mihi abruptior juſto filii ad tam longam patris orationem reſponſio. Sed ſcilicet ille hortabatur, ille argumentis premebat filium: hunc promittere obſequium ſatis eſt. Sed an *ultro paret*, qui *paret juſſis?* Ita puto cogitavit poëta: nempe ſi ſtatim, ſine tergiverſatione, ſine exceptione pareat.

323 *Profanum* vocat Gildonem, qui religionem principum violaſſet. Majeſtatis crimen ἀσεβείας, impietatis nomine tum veniebat.

Heſperiam pervenit avus, caſtumque cubile
Ingreditur, Tyrio quo fuſus Honorius oſtro
Carpebat teneros Maria cum conjuge ſomnos.
Aſſiſtit capiti. tunc ſic per ſomnia fatur.
„Tantane devictos tenuit fiducia Mauros
Care nepos? iterum poſt me conjurat in arma
Progenies veſana Jubæ, bellumque reſumit
Victoris cum ſtirpe ſui? Firmumne jacentem
Obliti? Libyam noſtro ſudore receptam
Rurſus habent? auſus Latio contendere Gildo?
Germani nec fata timet? nunc ire profecto
Nunc vellem, notosque ſenex oſtendere vultus.
Nonne meam fugiet Maurus, cum viderit, umbram?
Quid dubitas? exſurge toris. invade rebellem.
Captivum mihi redde meum. deſiſte morari.
Hoc generi fatale tuo. dum ſanguis in orbe
Noſter erit, ſemper pallebit Regia Bocchi.
Jungantur ſpoliis Firmi Gildonis opima.
Exornet geminos Mauruſia laurea currus.
Una domus toties una de gente triumphet.
DI, bene, quod tantis interlabentibus annis
Servati Firmusque mihi, fraterque nepoti.

Di-

326 convenit *MS.* 327 fortis *al.* fultus *al.* 330 devictis tumuit f. Mauris *MSS.* tum. dementia *MS.* *Vid. Not. ad* 293. 333 fràtremne, & *in marg.* Firmum *MSS.* 335 avent *conj. Barth.*

326 *Avus* Honorii, Theodoſii M. pater, Comes Africæ Theodoſius, qui rem contra Mauros geſſerat.

330 Simillimus verſus illi Virg. Aen. 1, 132 *Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?*

333 *Firmus* Africæ tyrannus & ipſe, frater Gildonis, a Theodoſio Comite victus & ad ſuſpendium adactus. Vid. verboſum, ſed metuo ut ſatis emendatum locum Ammia. 29, 5. Brevior Zoſimus 4, 16.

342 *Regia Bocchi*, Maurorum regis, de quo omnia apud Salluſtium in Jugurtha.

346 *DI, bene!* abrupta ab affectu oratio. Integre dixiſſet, bene feciſtis Dii.

Dixit, & afflatus vicino Sole refugit.
At juvenem ſtimulis immanibus æmula virtus
Exacuit. jam puppe vehi, jam ſtagna ſecare
Fervet, & abſentes invadere cuſpide Mauros.
Tum jubet acciri ſocerum, dextramque vocato
Conferit, & quæ ſit potior ſententia, quærit.
„Per ſomnos mihi, ſancte pater, jam ſæpe futura
Panduntur, multæque canunt præſagia noctes.
Namque procul Libycos venatu cingere ſaltus,
Et juga rimari canibus Gætula videbar.
Mærebat regio ſævi vaſtata leonis
Incurſu. pecudum ſtrages, paſſimque juvenci
Semineces, & adhuc infecta mapalia tabo,
Sparſaque ſanguineis paſtorum funera campis.
Aggredior latebras monſtri, mirumque relatu
Conſpicio. dilapſus honos. cervice minaces
Defluxere jubæ. fractos inglorius armos
Suppoſuit ſervile gemens, ingeſtaque vincla
Ungui-

348 affatus *al.* 356 viſus diſtringere ſaltus *Baſ. marg. & al.* viſu deſtr. *conj. Heinſ.*

348 Sole exorto cum tenebris ſomnia & ſpectra diffugiunt. Illud nempe *afflatus* pulchre viciniam ſolis pingit. Virg. Aen. 5, 738 umbra Anchiſis diſceſſura a filio, *Jamque vale. Torquet medios nox humida curſus, Et me ſævus equis Oriens afflavit anhelis.*

349 Poteſt hic locus illis addi, ubi *immanis* ad augendas res bonas adhibetur, ut *immane* ſit, quod communem hominum et humanitatis menſuram excedit.

351 *Abſentes Mauros invadere* ὀξύμωρον eſt, quo phantaſia excitata et ardor adoleſcentis non ſatis ille conſultus ſignatur. Alio loco eſſet pictura Thraſonis ignavi.

352 *Socerum* Stilichonem.

354 *Sancte pater*, quo Manes alias honorant, hic reverentiæ in vivum & præſentem nomen eſt.

360 Oportet cogitare pecudes, a leonis dentibus & unguibus cruentas decurrere, quod facere ſolent, in ſtabula ſua, quæ communia habent cum dominis (hæc enim ſunt *mapalia*) & ibi *tabo* i. ſanguine maculare ſolum.

363 *Honos* leonis eſt illa ſpecies, & velut dignitas, qua animal unum altero præſtat. Sic ipſi quoque *Aſini omnibus partibus honeſti* celebrantur Varroni R. R. 2, 6. 2. Leonis honorem jam per partes deſcribit Claudianus.

Unguibus, & ſubitæ collo ſonuere catenæ.
Nunc etiam paribus ſecum certare tropæis
Hortator me cogit avus. quonam uſque morati
Cunctamur? decuit pridem complere biremes,
Et pelagi ſuperare minas. transmittere primus
Ipſe paro. quæcunque meo gens barbara nutu
Stringitur, adveniat. Germania cuncta feratur
Navibus, & ſocia comitentur claſſe Sicambri.
Pallida tranſlatum jam ſentiat Africa Rhenum.
An patiar tot probra ſedens, juveniſque relinquam
Quæ tenui rexique puer? bis noſter ad Alpes
Alterius genitor defenſum regna cucurrit.
Nos prædæ faciles inſultandique jacemus?„
Finierat. Stilicho contra cui talia reddit:
„Adverſine tubam, Princeps, dignabere Mauri?

An

368 hortatu *al.* remoti *al.* remiſſi *conj. Heinſ.* morati *MSS.* 370 moras *al.* 372 tota *al.* cuncta *probat Heinſ.* 378 inſultandæque *MS.*

366 *Unguibus ingeſta vincla* dici poſſunt etiam, quæ totos pedes ligant. *Subitæ* catenæ poſſint forte participii rationem retinere, quas *ſubiit* leo.

369 *Complere biremes* Græco more dicit. Illi enim πληροῦν & πληρώματα hac de re, velut ſolemni & propria formula, dicunt, quod Thucydidis & reliquorum uſus bunde probat.

372 *Stringitur nutu* alicujus, qui ad illius nutum & conjectum oculorum oculos ipſe ſubmittit, & arcte ſibi invicem admovet palpebras, ut neceſſario connivemus ad ictum non modo quemcunque, ſed ad ſtrictum etiam vel diſtrictum gladium, fuſtem etc. Ad nutum Honorii connivent horrore quodam gentes.

374 Nihil tum inauditum erat, navigare Germanos ab oſtiis fluviorum ſuorum præter Belgicam, Galliam, Hiſpaniam, ſuperatisque columnis Herculis legere hinc Hiſpaniæ litora hinc Africæ. Egi ea de re peculiari de navigationibus veterum diſſertatione, in Societate Scientiarum Gottingenſi prælecta A. S. LVII.

376 Facit loquentem Poëta Honorium non ut decebat Imperatorem: ſed ut forte corruptus ab adulatoribus adoleſcens loqui tali occaſione potuiſſet.

377 Ille *alter* cujus *regna defenſum cucurrit* Theodoſius, eſt Valentinianus junior, qui a Maximo ſuperatus & ejectus ad Theodoſii opes confugit.

380 *Tubam* ponit, ut intelligamus *claſſicum*, quo committuntur *prælia*. Huncne honorem habebis Gildoni, ut prælium cum eo conſeras, quod ipſum eſſet illum tibi comparare. Qui in certamen cum altero deſcendit, ille parem quodam modo ſibi agnoſcit. Conf. v. 386 ſq.

An feret ignavus clari ſolatia fati,
Te bellante mori? decernet Honorius inde,
Hinc Gildo? prius aſtra Chaos miſcebit Averno.
Vindictam mandaſſe ſat eſt. plus nominis horror,
Quam tuus enſis, aget. minuit præſentia famam.
Qui ſtetit, æquatur campo, collataque neſcit
Majeſtatem acies. ſed quod magis utile factu,
Atque hoſti gravius, ſenſus adverte, docebo.
Eſt illi patribus, ſed non & moribus, iiſdem
Maſcezel; fugiens qui dira piacula fratris
Speſque ſuas, vitamque tuo commiſit aſylo.
Hunc ubi tentatis fruſtra mactare nequivit
Inſidiis, patrias in pignora contulit iras;
Et quos ipſe ſinu parvos geſtaverat, una

Obtrun-

381 auferet *Baſ. marg.* & *al.* afferet *al.* An feret *Heinſ.* Pro fati, leti *al.* 382 et decernet *MSS.* decurret *Baſ.* decernet *marg. Baſ.* miſcebis *MS.* 383 poſt aſtra *Vic. Vien. Baſ. marg. non male.* 385 minuunt *Baſ.* & *al.* 387 cerno *Cujac.* 389 paribus *al.* 390 Macezer *pri. editt.* & *Baſ.* Μασκέλδηλος Zoſim. 5, 11. Maſcezil *editur Oroſ.* 7, 36 *ubi magna etiam codicum varietas. Variatur etiam apud Jornanden* & *reliquos. Non mirum in nomine barbaro.* 394 quosque manu pueros parvos *al.* quosque ſinu pueros *al.* et, quos ipſe ſinu parvos *al.*

383 *Chaos* eſt illa ipſa rerum elementorumque miſcela. Hoc itaque ait poëta, prius quam hoc fiat, ut te, Honori, congredi præſentem cum Gildone patiar, priſcum redibit chaos, et illa rerum omnium confuſio.

385 Digna prudenti tutore inconſulti adoleſcentis oratio. Fama conſtant bella; auſpiciis tuis bellum geri feliciter poteſt: nomen Imperatoris terrebit hoſtes; ſed adoleſcentulum, non magna dignitate præditum, contemnent.

386 Poteſt mens poëtæ melius intelligi, ſi Scythicam illam hiſtoriam cogites, ubi fugitivi qui arma in dominos ceperant, armis fruſtra tentatis, per flagella et ſcuticas, quas tergis ſuis metuere conſveverant, in ordinem redacti ſunt. Herodo. 4, 3. Juſti. 2, 5.

389 Noluit aperte hic bellum geri Stilicho, ſed fratres, imperio graves ambo, mutuis ſtragibus confici. Victor Maſcezel Gildonis, paulo poſt inſidiis Stilichonis et ipſe periit. V. Zoſim. 5, 11.

393 *Patriæ iræ* hic ſunt, quas in fratrem ſuum Maſcezelem, patrem juvenum, conceperat Gildo, nunc effundit in innocentes filios.

396 *Diſpulit* neſcio an alias in tali re, de corporibus mortuis, legatur. Quid ſi dederit poëta *diſtulit*? Horat. Epod. 5, 99 *Poſt inſepulta membra different lupi.* Quod *tumulo arcuiſſe umbras* dicitur, reſpicit ad perſuaſionem veterem, qua ſepeliendi humanitatem commendabant, cum dicerent, vagari manes incertis ſedibus, dum ſepeliatur corpus. Hinc horrent naufragium, hinc terram ſibi injici rogant etc.

Obtruncat juvenes, inhumataque corpora vulgò
Diſpulit, & tumulo cognatas arcuit umbras:
Naturamque ſimul, fratremque, hominemque cruentus
Exuit, & tenuem cæſis invidit arenam.
Hoc facinus refugo damnavit Sole Mycenas,
Avertitque diem. ſceleri ſed reddidit Atreus
Crimen, & infandas excuſat conjuge menſas.
Hic odium, non pœna fuit. te prodita jura,
Te pater ultorem, te nudi pulvere Manes,
Te pietas polluta rogat. Si flentibus aram,
Et proprium miſeris numen ſtatuiſtis Athenæ:
Si Pandionias planctu traxere phalanges
Inachides, belloque rogos meruere maritis:
Si mœſtæ ſqualore comæ, lacrimiſque Senatum
In Numidas pulſus ſolio commovit Adherbal:

Hunc

395 occidit *al.* 402 hoc *vulg.* hinc *Ba.* huic *Barth.* perdita *vulg.* 405 nomen *vulg.* numen *MSS. & Barth.* 408 mœſtas -- comas *al.* mœſto -- comæ *al. pro* mœſtæ *marg.* ſparſæ, *unde conj. Heinſ.* paſſæ. mœſta -- coma *conj. Berneggeri ad Flor. 3, 1.* 409 Numidam *videtur leg.*

399 *Hoc* i. tale, (*τῦτο* pro *τοιῦτο*) hujus generis *facinus*, cædes in fratris Thyeſtæ filios commiſſa ab Atreo, *damnavit Mycenas refugo ſole*, h. e. propter tale facinus Mycenis commiſſum, ſol auertiſſe ſe dicitur, ea figura qua noſtri, *Das bricht ihm den Hals.* Sacer vates Jeſaias etiam tribuit peccatis, ea avertere Dei faciem etc. Sed excuſationis aliquid habuit Atreus, qui ſic Thyeſtæ adulterium, in conjuge ſua Aërope admiſſum, ultum ierit. Vid. argumentum Thyeſtæ Senecæ.

402 *Te*, o Honori, hunc enim alloquitur Stilicho, pater Maſcezel *ultorem rogat* & invocat interfectorum filiorum a ſuo fratre Gildone.

404 Hæc unice lucem capiunt ex ultimo Thebaidos Statianæ. Poſt prælium ad Thebas, quo periere præter fratres, cauſam belli, Eteoclen & Polynicen, duces Argivorum, vetat Creon jam tyrannus Thebarum ſepeliri Argivorum cadavera. Horum viduæ, *Inachides*, Athenas contendunt ad aram Miſericordiæ (481 ſqq.) & ibi movent Atticos, ut bello denunciato cogant Thebanos ſepulturam concedere Argivis.

409 *Adherbalis* orationem, qua in Senatu de Jugurthæ injuriis queſtus ſit, refert Salluſtius Jug. c. 14. Ceterum optabam in bono libro inveniri *In Numidam pulſus* etc. De Jugurtha enim potius invaſore regni totius Numidiæ, quam de Numidarum gente ſermo eſt. Et eſt *Numidæ* nomen velut *κατ᾽ ἐξοχὴν* Jugurthæ.

Hunc quoque nunc Gildo, tanto quem funere merſit,
Hunc doleat veniſſe ducem, ſeſeque minorem
Supplicibus ſciat eſſe tuis. quem ſede fugavit,
Hunc præceps fugiat: fregit quem clade, tremiſcat;
Agnoſcatque ſuum, trahitur dum victima, fratrem.„
Hæc ubi ſederunt genero; notiſſima Marti
Robora, præcipuos electa pube maniplos
Diſponit, portuque rates inſtaurat Etruſco.
Herculeam ſuus Alcides, Joviamque cohortem
Rex ducit Superum; premitur nec ſignifer ullo
Pondere: feſtinant adeo vexilla moveri.
Nervius inſequitur, meritusque vocabula Felix,
Dictaque ab Auguſto legio, nomenque probantes
Invicti clipeoque animoſi teſte Leones.

Dictis

418 Heracleam *Baſ.*

410 *Funere* filiorum ſuorum Maſcezelem fratrem *merſit* Gildo, & in luctum conjecit, forma paulum diverſa ab ea quæ eſt Aen. 6, 426 ubi *infantes* — *Abſtulit atra dies & funere merſit acerbo.* Propius accedit Aen. 6, 512 *Sed me fata mea, & ſcelus exitiale Lacaenæ, His merſere malis.* ubi non de ſola morte ſermo eſt.

415 *Sederunt*, non modo deſcenderunt in animum Honorii, ſed ibi hæſerunt firmiter, ea ratione ut etiam *ſtare* dicitur ſententia. Sic ipſe Virg. Ae. 4, 15 *Si mihi non animo fixum immotumque ſederet. Notos Marti* intelligimus nobiles bellicis factis. Quo quisque miles fortius ſe geſſit, eo duci ſuo eſt notior.

417 *Portum Etruſcum* Piſarum intelligi, docet v. 483. *Herculia* & *Jovia*-Cohortes ab Herculio Maximiano & Jovio Diocletiano dictæ paſſim memorantur in Notitia Imperii Occidentis, quam ad hæc tempora pertinere conſtat. Utrum autem revera adverſus Gildonem miſſæ ſint, an poëtæ modo eas velut ominis cauſa advocare commodum fuerit? quærere, quam reſpondere mihi quidem eſt facilius.

419 Reſpicit ad fabellas, quibus metus & mala ſpes militum occaſionem videtur dediſſe, cum narrabant *ſigna convelli non potuiſſe.* Vid. Val. Max. 1, 6, 8 & 11. *Sed inter auguria*, ait Servius ad Aen. 11, 19, *etiam hoc habebatur, ſi avellentem facile ſequerentur.* Conf. Lacerda ad Virgilii l. c.

421 *Nervii* non minus quam Joviani & Herculiani inter Palatinas legiones ſunt in Notitia: item *Felices* ſeniores & iuniores: Ala, Legio, Cohors *Auguſtæ*: *Invicti* inter auxilia Palatina et alias: *Leones* ſeniores et juniores, quorum in clipeis inſigne Leonis fuiſſe, poëtæ noſtro crediderim potius, quam picturis illis quæ ſunt in notitia Occid. p. 29 ed. Panciroli Gen. 1623.

Dictis ante tamen princeps confirmat ituros
Aggere conſpicuus. ſtat circumfuſa juventus
Nixa haſtis, pronaſque ferox accommodat aures:
„Gildonem domitura manus, promiſſa minaſque
Tempus agi. ſi quid pro me doluiſtis, in armis
Oſtentate mihi. juſto magnoque triumpho
Civiles abolete notas. ſciat orbis Eous,
Sitque palam, Gallos cauſſa, non robore, vinci.
Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
Terreat. an Mauri fremitum raucoſque repulſus
Umbonum, & veſtros paſſuri cominus enſes?
Non contra clipeis tectos, galeiſve micantes
Ibitis. in ſolis longe fiducia telis:
Exarmatus erit, cum miſſile torſerit, hoſtis.
Dextro movet jaculum: prætentat pallia læva.
Cætera nudus eques. Sonipes ignarus habenæ:
Virga

428 agit *vulg.* age *Vic. it. Baſ. quod Cujac. mutavit in* agi: agi *etiam ex MS. Heinſ. Cf.* 33, 219. Romæ *marg. Baſ. & Palm.* meruiſtis *vulg.* doluiſtis *ex MSS. Heinſ.* 430 imbelles — notas *Vic.* neces *marg. Baſ. Videntur correctores alii* imbelles notas *voluiſſe*, *alii* civiles neces. 433 fremitus *al.* 434 noſtros *al.* 435 gladiisque *al.* galeaque *al.* radiisque *al.*

425 *Aggerem* puto hic eſſe tribunal ex cæſpite congeſtum, quia *ſtat circumfuſa juventus.* Illud *ferox* acutum eſt: quantumvis *ferox* ſit juventus, tamen *pronas* h. e. faciles ad obſequendum *aures accommodat.*

427 Hæc allocutio, vel appellatio potius, debet ſimul omen eſſe, & promiſſio certæ victoriæ. *Tempus eſt* nunc *agi* veſtra *promiſſa & minas*, h. e. in actum, quod ajunt, deduci. Lectio *Romæ* non videtur contemnenda. Si Romæ cauſa, vel Romæ faventes doluiſtis ob illius calamitates, famem præſertim, quam Gildo ei indixit: *oſtentate mihi* hoc armati, effundite dolorem illum in ipſum Gildonem. Poëta forte dixit *dolere alicui*, ut favere, cupere, velle etc.

430 Si *civiles notas* dedit poëta, videtur intellexiſſe ignominiam bello civili, in quo perierunt Eugenius & Maximus, contractam, de quo Zoſim. 4, 47: in illo victi ſunt Galli non quod minus fortes eſſent, ſed quod propugnabant malam cauſam.

436 *Longe - tela* dixit, ut *ſemper - lenitas* & ſimilia, h. e. e longinquo tantum & eminus nocentia: ſimul hoc indicat, *fiduciam* tantum e longinquo habere jaculatores illos; nihili eſſe, cum ad manus ventum ſit.

438 *Pallia* cogitare oportet brevia, ſed panno ſatis craſſo, vel pellicea adeo, quæ ſint inſtar clipei, quem telis & ictibus opponant, prætendant, vel frequentativa forma *prætentent.*

Virga regit. Non ulla fides, non agminis ordo.
Arma oneri, fuga præſidio; connubia mille,
Non ulli generis nexus, non pignora curæ;
Sed numero languet pietas. Hæc copia vulgi.
Umbratus dux ipſe roſis, & marcidus ibit
Unguentis, cruduſque cibo, titubanſque Lyæo:
Confectus ſenio, morbis, ſtupriſque ſolutus.
Excitet inceſtos turmalis buccina ſomnos:
Imploret citharas, cantatriceſque choreas,
Offenſus ſtridore tubæ, diſcatque coactus,
Quas vigilat Veneri, caſtris impendere noctes.
Nonne mori ſatius, quam vitæ ferre pudorem?
Nam quæ jam regio reſtat, ſi dedita Mauris
Regibus, Illyricis acceſſerit Africa damnis?
Jus Latium, quod tunc Meroë, rubroque ſolebat
Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda.
Et cui non Nilus, non intulit India metas,
Romani jam finis erit Trinacria regni?

Ite

442 non illis *vulg.* ulli *etiam marg. Baſ.* 455 jungi *Cuj.*

440 *Non ulla fides*, fiducia in tali milite nulla. Non exprobrat hic perfidiam proprie Mauris: ſed infirmitatem ab armorum levitate, ab equis non frenatis, ab ordinis neglectu e. i. g. a. proponit.

441 Acuunt militum animos pignora ſua, uxores, liberi, quos prædæ relinquere hoſti & pudor & religio eſt. Mauris viles ob multitudinem uxores. Sall. Jug. 80 *Etiam ante Jugurthæ filia Bocchi nupſerat. Verum ea neceſſitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur: quod ſinguli pro opibus cujusque quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; ſed reges eo amplius. Ita animus multitudine diſtrahitur: nulla pro ſocia obtinet: pariter omnes viles ſunt.*

444 *Umbratus* eſt coronatus: umbra eſt, quidquid tegit.

453 *Illyrica damna*, quæ Alaricus imperio Romano intulit. Illyricum theatrum aliquamdiu Alarici fuiſſe, diſcimus ex Zoſimo 5, 26. Paullus Diac. 13, 26 *Cum veniſſet in Illyricum, omnia ſubvertebat.* Cf. 28, 105.

454 *Jus Latium* nec improprie de imperio Ro. dicit poëta. Quousque enim imperabant Romani, aut mittebant Præſides, Latina lingua jus dicebatur. *Rubrum Oceanum* multo latius patere, quam ſinum illum Arabicum, eoque nomine mare omne, quod totam Perſiæ Indiæque oram alluit, comprehendi, hodie, poſt Relandi præſertim diſputationem, nemo facile poteſt ignorare.

Ite recepturi, prædo quem ſuſtulit, axem,
Ereptumque Notum. caput inſuperabile rerum
Aut ruet in veſtris, aut ſtabit Roma lacertis.
Tot mihi debetis populos, tot rura, tot urbes
Amiſſas. uno Libyam defendite bello.
Veſtros imperium remos, & veſtra ſequatur
Carbaſa. deſpectas trans æquora ducite leges.
Tertia jam ſolito cervix mucrone rotetur,
Tandem funereis finem poſitura tyrannis.„

Omina

461 jura *vulg.* rura *etiam marg. Baſ.*

458 *Axem* et *Notum* plane hic ponit, ut in ipſo carminis ingreſſu *Polum* et *Auſtrum:* utroque loco Africam, quæ Romanis parebat, intelligit. Sed nusquam, fatebor enim, magis offendor tropis, quos alioquin lumina orationis eſſe ſentio, quam hic et ſimilibus locis, ubi non a parte potiore, notabiliore, oſtendi cœlum totum videtur, aut ſicut *cœlum* pro aëris regione nobis proxima *axis* vel *polus* poni, a qua ratione nec alii poëtae boni abhorrent: ſed ubi longius etiam quam in Synecdoche progreditur Claudianus, cujus rationem hoc loco, quoniam in Theſauris meis, Stephaniano etiam, prætermiſſum eſt, hic indicabo. Igitur omiſſa illa vulgari ſignificatione, ea hic ponam, in quibus aut reconditius quiddam eſt, aut, ut mihi videtur, duriuſculum, notandumque potius quam imitandum. Ex illo genere eſt 26, 55 *Cum ſic mutaverit axem*, totum cœli poſitum et comparationem, *Federibus*, legibus, *natura novis. Hæc vox ætheriis intonet axibus* 14, 35 ſimile eſt Virgiliano *It clamor cælo.* Cf. 15, 134. Sed ex altero plurima. *Sub utroque axe* 7, 57 in Libya et apud Hyperboreos. *Uterque axis* 8, 395 imperium Orientis & Occidentis. Sic *gemini axes* 22, 59 & 24, 139. Et de Hiſpania ac Conſtantinopoli 8, 141 *Quem in axem tranſibis?* 19, 33 *Heſperius axis* 5, 264. *Nudo ſub axe hiemare* 20, 413 in Thracia. *Poſt domitas arctos*, plagam ſeptentrionis, cui imminent arcti, *alio prorumpit ab axe Tempeſtas* 21, 245 a meridie. *Scythico rediens Gradivus ab axe* 22, 368. *Riphæus axis* 28, 31. Contra *axis calidus* 1, 37. *Noſtro procul axe remotam Thulen* 26, 203. *Alio in axe* 29, 82 regione alia, ſub alio cœlo. *Pythius axis* 16, 16 Delphi. Contra *Toto ab axe quærebat generum* 21, 72 in toto imperio Ro. Ubi *axes* plurium numero de ſingulis ſtellis vel ſideribus dicantur. vid. ad 34, 35. *Infernum axem* pro inferis poſuit, ſi fides quibusdam codicibus, 20, 24.

463 Expeditionem maritimam indicat. Cf. mox 479 ſqq.

465 *Tertia cervix* poſt Maximum & Eugenium. De hoc certe Zoſ. 4, 58 τὴν κεφαλὴν ἀφελόμενοι κ. τ. λ. Idem c. 46 Τῷ δημίῳ παρέδωκε. Verbum *rotare* ad actum carnificis pertinet, qui circumactu cum corpore ſuo enſis impetum capit. Cum Pompejo caput amputaretur *nondum artis erat*, ut ait Lucanus 8, 623, *caput enſe rotare:* ſed *miles decollandi artifex* memoratur Sueto. Calig. c. 32.

Omina conveniunt dicto, fulvuſque Tonantis
Armiger, ad liquidam cunctis ſpectantibus æthram,
Correptum pedibus curvis innexuit hydrum.
Dumque reluctantem morſu partitur obunco,
Hæſit in ungue caput. truncatus decidit anguis.
Ilicet auguriis alacres per ſaxa citati,
Torrenteſque ruunt. non mons, non ſilva retardat.
Pendula ceu parvis moturæ bella colonis
Ingenti clangore grues æſtiva relinquunt
Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo:
Ordinibus variis per nubila texitur ales
Littera, pennarumque notis inſcribitur aër.

 Ut

467 omnia *Vic. & Vien. male.* 468 ab liquida -- æthra *MSS. Heinſ.* 469 arreptum *Cuj.* collectum *al.* 470 abunco *Vic. de* obunco *vid. Heinſ. ad Aen. 11, 755.* 475 clamore *primæ edit. & MSS. apud Heinſ. qui tuetur* clangore, *quod habet etiam Baſ.* 477 alis *vulg. Cf. 12, 408. utroque loco Heinſius felici conjectura* ales *repoſuit.*

468 *Ad liquidam æthram*, ut dicitur *ad lumen candelæ*: indicatur, certo & diſtincte viſum eſſe illud portentum, cœlo ſudo, aëre puro. Quod mox pro *correptum* habent quidam *collectum*, non contemnendum videtur. *Collegit ſe*, contraxit in gyros, hydrus. Uſum hunc verbi multis illuſtrat, & hunc ipſum locum non omittit Heinſ. ad Aen. 12, 862. Sed nec illud Sil. 10, 3 *Ceu fera, quæ telis circumcingentibus ultro Aſſilit in ferrum, & per vulnera* colligit *hoſtem.* Si *colligit* eſt a Silio, (nec variant libri) idem ſignificare videtur, quod *corripit*, eoque facilius inter *correptum* & *collectum* hic fluctuari potuit.

474 *Pendula bella* pulchra phantaſia, cum etiam contra terreſtrem hoſtem, Pygmæos, pugnantes ſuſpendere ſe ſubinde ſoleant pennis. Imaginemur gallorum gallinaceorum prælia. Fabula de Pygmæorum cum gruibus pugna jam Homero memorata Ιλ. Γ, 6 & Ariſtoteli hiſt. anim. 8, 12.

477 *Ales* illa *litera*, quam ſcribunt ſuo volatu grues, originem habet ab illa obſervatione ordinis, quam deſcribit Cic. de N. D. 2, 49 *Grues cum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam: ejus autem ſummo angulo aër ab iis aduerſus pellitur* (tanquam a cuneo finditur) *deinde ſenſim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis, curſus avium levatur* &c. Illud triangulum comparabant homines cum literis triangularibus Λ, Δ, A, V, Y. Hinc paulatim ortum videtur, ut literatas aves & *Palamedi* (inventori quarundam literarum) cognatas dicerent recentiores. Philoſophatur in hac re etiam Lucanus 5, 711 ſq. v. g. *primo volatu Effingunt varias caſu* (vento) *monſtrante figuras. Mox -- confuſos -- glomerantur in orbes, Et turbata perit diſperſis litera pennis.* Hinc intelligitur, quid ſibi velit Martialis, cum 9, 14 de nomine Earini, *Quod* inquit, *penna ſcribente grues ad ſidera tollunt.* Et cur 13, 75 *Palamedis avem* vocet gruem. Ut nubes

Ut fluctus tetigere maris, tunc acrior arſit
Impetus. arripiunt naves, ipſique rudentes
Expediunt, & vela ligant, & cornua ſummis
Aſſociant malis. quatitur Tyrrhena tumultu
Ora, nec Alpheæ capiunt navalia Piſæ.
Sic Agamemnoniam vindex cum Græcia claſſem
Solveret, innumeris fervebat vocibus Aulis.
Non illos ſtrepitus, impendentiſque procellæ
Signa, nec adventus dubii deterruit Auſtri.
„*Vellite*, proclamant, *ſocii, jam vellite funem.*
Per vada Gildonem quamvis adverſa petamus.
Ad bellum nos trudat hiems. per devia Ponti
Quaſſatis cupio tellurem figere roſtris.
Heu nimium ſegnes, cauta qui mente notatis,
Si revolant mergi, graditur ſi litore cornix.
Ora licet maculis adſperſerit occiduus Sol,
Lunaque conceptis liveſcat turbida Coris,

Et

481 ſegunt *vulg.* ligant *ex MSS. Heinſ.* 488 ſolvite jam ſocii clamant, aut rumpite *vulg. Mutavit Heinſ. ex MSS.* 491 cupide -- figite *MS.* 492 capta *Baſ.* timida *al.* cauta *Cujac. Pulm. Heinſ.*

nubes format phantaſia in varias formas, (vid. Lucret. 4, 137 ſqq.) ſic illas volantium gruum ſeries formavit in literas.

481 *Vela legere* plane huc non convenit, quod eſt idem quod contrahere, colligere, ubi nullus eorum uſus eſt. *Cornua* eſſe antennas, longurios transverſos, quibus aſſixa ſunt vela, aut magis proprie antennarum extrema aliquantum eminentia ultra vela, vix monere opus eſt.

483 *Alpheæ* dicuntur *Piſæ* etiam Aen. 10, 179 quod colonia putabantur Piſæorum in Peloponneſo, accolarum Alphei.

485 A portu *Aulidis* ad Euripum Boeotico ſolvit claſſis Græcorum Trojam oppugnatura.

488 *Vellite funem*, quo navis tenetur, *Oram ſolvite*, quæ Fabii formula eſt in Proœmio operis.

490 *Hiems* hic procella eſt, quam talem optat ardor militum, qui ad bellum in Africam illos *trudat*: huc pertinet, quod roſtris navium etiam quaſſatis & convulſis terram figere & velut confodere cupit.

493 Indicia, tempeſtatis ponit, quæ præ ſtudio navigandi & eundi in hoſtem contemni ait a militibus. Sumit ea a Virgilio præſertim Georg. 1, 354 ſqq. ut illud de *mergis* e v. 361 *Cum medio celeres revolant ex æquore mergi*: de *cornice* v. 389 *Sola in ſicca ſecum ſpatiatur arena*: de *Sole occiduo* & *Luna* noſter 8, 426. De *Luna* autem Virg. Ge. 1, 427.

Et contuſa vagos jaculentur ſidera crines,
Imbribus humeſcant Hædi, nimboſaque Taurum
Ducat Hyas, totuſque fretis deſcendat Orion:
Certa fides cœli, ſed major Honorius auctor.
Illius auſpiciis immenſa per æquora miles,
Non Plauſtris, Arctove regor. contemne Booten
Navita, turbinibus mediis permitte carinas.
Si mihi tempeſtas Libyam ventique negabunt,
Auguſti Fortuna dabit.„ Jam claſſis in altum
Provehitur. dextra Ligures, Hetruria læva
Linquitur, & cæcis vitatur Corſica ſaxis
Humanæ in ſpeciem plantæ ſe magna figurat
Inſula. Sardoam veteres dixere coloni.
Dives ager frugum. Pœnos Italoſve petenti
Opportuna ſitu. quæ pars vicinior Afris,

 Plana

496 confuſa *vulg.* concuſſa *marg. Baſ.* 507 hu. ſpeciem *vulg.* in *ex MSS. edidit Heinſ.* 508 Sardiniam *vulg.* Sandaliam, Sardoniam *MS.*

496 *Contuſa* puto eſſe idem quod obtuſa, luminis minus clari: poëtam autem hic deſcribere illud meteoron quod *ſtellam cadentem* vulgo appellant, Germanorum plebecula autem *emungi* tum ſtellas dicunt.

497 Hæc ſidera vulgo pluvias adferre, ſignificare quidem certe, nunc ortu nunc occaſu ſuo, credebantur. Vid. Colum. 11, 2. *Hyas* Synecdochice dicta ſingulari numero: ſunt enim *Hyades* ſeptem illæ ſtellæ in capite Tauri, unde hic *ducere Taurum* Hyas dicitur.

499 Pulcherrimus verſus, cujus ſententia hæc eſt: Commemorata adhuc tempeſtatum & procellarum ſigna non contemno, *certa* illis *fides* eſt: ſed ubi Honorius jubet, ſigna cedere debent omnia: negligenda pericula, quæ præſagiuntur a cœlo, ubi ire jubet Honorius. Similis ſententia illi Homericæ, Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Sed nimis exaggerat, ut ſolet, auctor noſter ſententiam, ac velut humore aſtuſo diluit.

504 *Auguſti Fortuna.* Quam olim Deam fecerant Fortunam Populi Ro. hanc poſtea adjunxerunt Auguſtis: de qua paſſim nummi loquuntur & lapides. Nota vox Cæſaris ad nautam apud Flor. 4, 2. 37 *Quid times? Cæſarem vehis.* Plenius Plutarchus Cæſ. p. 726, D Καίσαρα φέρεις καὶ τὴν Καίσαρος τύχην συμπλέουσαν.

507 Hic totus locus Geographicam noſtri peritiam oſtendit, & illud etiam, varietatem lectionis in hoc poëta non ſemper certe, quia non ſæpe, eſſe a ſtupore librariorum, ſed a viris doctis, & forte interdum ab ipſo poëta, retractante opus ſuum, proficiſci. Græca Inſulæ hujus nomina Σαρδὼ, Ἰχνοῦσα, Σανδαλιώτης. Plin. 3, 7 *Sardiniam ipſam Timæus Sandaliotin appellavit ab effigie ſoleæ; Myrſilus Ichnuſan a ſimilitudine veſtigii.* Noſter videtur ante oculos habuiſſe Silium Ital. 12, 355 ſqq. quem comparaſſe juverit.

Plana ſolo, ratibus clemens. quæ reſpicit Arcton,
Immitis, ſcopuloſa, procax, ſubitiſque ſonora
Fluctibus. Inſanos infamat navita montes.
Hinc hominum, pecudumque lues, hinc peſtifer aër
Sævit, & excluſis regnant Aquilonibus Auſtri.
Quos ubi luctatis procul effugêre carinis;
Per diverſa ruunt ſinuoſæ litora terræ.
Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos;
Partem litoreo complectitur Olbia muro.
Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Caralis, tenuemque per undam
Obvia dimittit fracturum flamina collem.
Efficitur portus medium mare, tutaque ventis
Omnibus ingenti manſueſcunt ſtagna receſſu.
Hanc omni petiere manu, proriſque reductis
Suſpenſa Zephyros exſpectant claſſe faventes.

513 fluctibus *vulg.* flatibus *etiam marg. Baſ.* 516 jactatis *MS.* ſimul *Baſ. marg.* 518 muros *priores editt.* ſulcos *jam Baſ. marg.* 521 Calaris *al.* undas *etiam Baſ.*

512 *Procax* reconditiore intellectu dici videtur. Puto autem ventoſam intelligi, quod eſt ab ipſis ſcopulis eminentibus, per quos fluens aër incitatur. Ita conveniet cum *procacibus auſtris* Virgilii Aen. 1, 536 quod Barthius & Heinſius monuere.

513 *Inſanos montes* vocat nomine proprio. Liv. 30, 39 *A Corſica in Sardiniam trajecit* Conſul. *Ibi ſuperantem Inſanos montes multo & infeſtioribus locis tempeſtas exorta disjecit claſſem.* Etiam Ptolomæo 3, 3 τὰ μαινόμενα ὄρη. Latinus interpres *Mænomeni montes.*

514 *Hinc* non ita cauſam ſignificat, quaſi ab illa ſcopulorum aſperitate eſſet in ipſa illa montoſa regione aër peſtilens: ſed hoc vult poëta, illi verſus ſeptentrionem montes excludunt ſiccos & ſalubres aquilones a regione verſus meridiem ſubjacente, quæ cum ſolis auſtris humidis & æſtuoſis pateat, hinc lues &c.

517 *Sinnoſam terram* & laciniato folio ſimilem pingunt hodie chartæ Geographicæ.

518 *Sulcos*, Σύλκους, Σόλκους, Σουλχοὺς memorant Geographi in auſtrali litore Inſulæ, ex adverſo Africæ. Luculenter hæc omnia noſtri γεωγραφούμενα explicantur in Cellarii Notitia Orbis 2, 11. vbi etiam *Olbia* vel *Ulbia* urbs illuſtratur §. 15. Ὀλβία, beata, ominis cauſa: portus Ὀλβιανός.

521 *Caralis* nomen ſuum hodieque tenet, *Cagliari.* Portum ejus pulchre deſcribit. *Collis tenuis dimiſſus* excurrensque ab inſula *frangit* ventos obvios &c.

526 *Zephyros exſpectant*, ut exire portu poſſint: mox aliis ventis opus eſt, ut in Africam traiiciant.

XVI

CL. CLAUDIANI

IN

FL. MALLII THEODORI CONSULATUM*

PROLOGUS

Audebisne, precor, doctæ ſubjecta catervæ
Inter tot proceres, noſtra Thalia, loqui?
Nec te fama vetat, vero quam celſius actam
Vel ſervaſſe labor, vel minuiſſe pudor,
An tibi continuis crevit fiducia caſtris?

1 tantæ *al.* 3 auctam *MSS. ap. Heinſ.*

* Hunc conſulatum aſſignat Relandus anno V. C. 1161, æræ noſtræ autem 399. Nomen potius eſſe *Mallium* quam *Manlium*, in varietate monimentorum colligit pulchre A. Rubenius ex eo, quod Manliæ gentis decora non omiſſurus videtur fuiſſe Claudianus, ſi ea ad hunc Conſulem ullo modo pertinerent. Nempe exſtat Alb. Rubenii diſſertatio de vita Fl. Mallii Theodori V. C. Quæſtoris ſacri Palatii, Com. S. L. (Sacrarum largitionum) Præfecti Prætorio Galliarum, Præfecti Prætorio Italiæ, Africæ, Illyrici, V. Coſ. Ordinarii, Ultraj. 1694. 12. quam nuper recudi curavit Fridericus Platner, vir doctus, Lipſ. 1754. 8. Hinc poſſunt petere ſtudioſi reliqua hiſtorica, ne de Gothofrediana Chronologia Codicis Theodoſiani & Pe. Relandi faſtis nunc dicamus. Nos poëtam more noſtro interpretabimur breviter, & illud modo hic monemus, quod vnius tantum Mallii Conſulis & hic & alias mentio fit, illud inde eſſe, quod Eutropium collegam cum haberet, hic in ipſo hoc Conſulatu remotus interfectusque eſt, nomenque illius e faſtis eraſum. Illud vnum addere juvat, editum eſſe nuper Guelſerbyti 1755, 4. ex antiquiſſimo codice hujus noſtri *Fl. Mallii Theodori de metris librum* a viro docto Jac. Fr. Heuſingero: unde orthographia nominis comprobatur.

1 *Doctæ ſubjecta catervæ* Muſa, expoſita examini & judiciis procerum ſenatus Ro. qui tum Mediolani fuiſſe ad honorandum Mallii proceſſum conſularem videntur. vid. ex Symmach. 5, 11 & aliunde Rubenius p. 48 ſq.

2 Fama ſæpe gravis eſt his, qui illam habent. *Gravis adverſaria eſt magna exſpectatio:* metuit ergo poëta, ut illi ſatisfacere poſſit; metuit, ne dicant homines, Tantum erat?

5 Neſcio an ad militiam, quæ proprie ita dicitur, ſuam reſpexerit poëta: neque video, quid caſtrorum conſuetudo faciat ad audaciam poëtæ? Nempe comparatio eſt, Ut diuturnior in caſtris mora facit militem: ita mihi, iſta Muſarum caſtra aliquamdiu ſecuto, crevit audacia.

Totaque jam vatis pectora miles habet?
Culmina Romani majeſtatemque Senatus,
Et, quibus exſultat Gallia, cerne viros.
Omnibus audimur terris, mundique per aures
Ibimus! Ah nimius Conſulis urget amor.
Jupiter, ut perhibent, ſpatium cum diſcere vellet
Naturæ, regni neſcius ipſe ſui;
Armigeros utrimque duos æqualibus alis
Miſit ab Eois Occiduisque plagis.
Parnaſſus geminos fertur junxiſſe volatus;
Contulit alternas Pythius axis aves.
Princeps non aquilis terram cognoſcere curat.
Certius in nobis æſtimat imperium.
Hoc ego concilio collectum metior orbem:
Hoc video cœtu quidquid ubique micat.

7 lumina *al.* 18 vobis *MS. Vat. quod placet.* 20 in orbe *MS.*

7 Objectio ad Thaliam ſuam, audeatne recitare carmen in concilio tam auguſto Mediolanenſi, quod ſit velut compendium quoddam, flos, ac medulla orbis terrarum? reſpondet illa, *Ah nimius Conſulis urget amor.*

11 Fabula Græca, quam de Delphis agens Strabo 9 p. 289 Pindaro tribuit, *ὅτι συμπέσειεν ἐνταῦθα οἱ ἀετοὶ, οἱ ἀφεθέντες ὑπὸ τοῦ Διὸς, ὁ μὲν ἀπὸ τῆς δύσεως, ὁ δ' ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς* etc. Locus ipſe, credo, hodie non exſtat: ſed *ὀμφαλὸν γᾶς*, umbilicum terræ, paſſim appellat Delphos, ut Pyth. 4, 131. 6, 3. Et Pyth. 4, 6 Pythiam ſacerdotem vocat *χρυσέων Διὸς αἰετῶν πάρεδρον*, ubi monet Scholiaſtes, eas aquilas aureas fuiſſe illarum ſimulacra, quas ad explorandum medium orbis terrarum locum emiſerit Jupiter, unum ab Oriente, ab Occidente alterum. Hi ſunt *armigeri*, fulminis miniſtri etc.

16 *Axis* regionem cœli vel terræ notat noſtro. Vid. ad 15, 458.

17 *Princeps*, Imperator Honorius ad magnitudinem Imperii ſui explorandam non opus habet aquilis talibus: quantum ſit illius, quam auguſtum imperium, *certius in nobis*, qui Patres, qui Senatores ſumus, æſtimat. Si ita dedit Claudianus, *in nobis*, fiduciam oſtendit, & ſumit ſibi ſuperbiam, quæſitam meritis, ſe unum fuit ordinis illius denique. Sed honorificentius in Senatum, modeſtius de ſe locutus eſt, ſi dedit *in vobis.*

XVII CL.

XVII

CL. CLAUDIANI

DE CONSULATU

FL. MALLII THEODORI V. C

PANEGYRIS

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſtibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus ex alta mortalia deſpicit arce.
Attamen invitam blande veſtigat, & ultro
Ambit Honos. Docuit toties a rure profectus
Lictor, & in mediis quæſitus Conſul aratris.
Te quoque naturæ ſacris mundique vacantem,

2 viret *MS. cf.* 33, 236, faſcibus *al. etiam Heinſ.* 2. faſtibus *MSS.* & *Cuj.* & *Heinſ.* 1. 3 tumet *MS.* V. 15, 330. 7 hanc tamen *Vic.* 8 decuit *conj. Heinſ.* ad rura -- ubi in *Cuj.*

2 *Faſtibus* magis placet, ſive poſuerit pro faſtis & annalibus, quibus commendantur magiſtratuum & regum nomina: ſive notet ſuperbiam ab honoribus ortam, vitium, quo eriguntur ultra modeſtiam homines. *Faſces* res tantum Romana. Hiç univerſim de honorum effectu in animos agitur.

7 Suaviſſima imago. *Honos* formoſus juvenis, *ultro*, non invitatus, pudice invitam *Virtutem* ut caſtam virginem ſequitur, blande veſtigat etc. Niſi fallor hoc ipſum connubium indicatur in nummis gentis Egnatiæ, ubi figuram dextram cum haſta & Parazonio Honorem interpretor, a quo ad Virtutem haſtatam, ſtolatam transvolat Cupido, quaſi commendaturus illi & conciliaturus Honorem.

8 Probabilior, hoc eſt rei & hiſtoriæ accommodatior eſt Cujaciana lectio. *Docuit*, veram eſſe poëtæ ſententiam, *toties* ex urbe *ad rura profectus lictor*, vel viator, *ubi in mediis aratris quæſitus* eſt *Conſul* vel dictator adeo. Nota ſunt L. Quinctii Cincinnati & M. Attilii Reguli Serrani exempla, illud relatum a Liv. 3, 26, hoc a Val. Max. 4, 4. 5 etc.

10 *Mundi ſacra* ſunt ſtudia Aſtronomiæ ſ. doctrina coſmica.

Emeritum pridem, deſudatiſque remotum
Judiciis, eadem rurſum complexa poteſtas
Evehit, & reducem notis imponit habenis.
Accedunt trabeæ. nil jam, Theodore, relictum,
Quo virtus animo creſcat, vel ſplendor honore.
Culmen utrumque tenes. Talem te protinus anni
Formavere rudes, & dignum vita curuli
Traxit iter, primæque ſenes ceſſere juventæ.
Jam nunc canities animi, jam dulce loquendi
Pondus, & attonitas ſermo qui duceret aures,
Mox undare foro victrix opulentia linguæ,
Tutarique reos. Ipſa hæc ampliſſima ſedes
Orantem ſtupuit, bis laudatura regentem.
Hinc te pars Libyæ moderantem jura probavit,
Quæ nunc tota probat. longi ſed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ. populumque clientem
Publica manſuris teſtantur vocibus æra.
Inde tibi Macetum tellus, & credita Pellæ
Mœnia,

13 reduci notas -- habenas *Cuj.* 18 ſtravit *conj. Heinſ. ut Stat. Theb.* *12, 813.* 27 manſuetis *Baſ. marg.* poſtibus *Cuj.* 28 Macedûm *Baſ.* condita *vulg.*

11 *Deſudata judicia*, in quibus olim ſudare deſiiſti.

13 *Habenis imponere* eſt ad habenas regendas imponere currui. *Trabea* noſtro alias etiam veſtis Conſularis V. G. 8, 640. 18, 9.

18 *Trahere iter* tenorem quendam æquabilem vitæ tranquillæ & manſuetæ notare videtur. Ut *trahuntur* fila de colo. *Curuli* intell. ſellæ, quæ præter ceteros Conſulum eſt.

23 *Bis* puto hic comparationem indicare: admirata eſt orantem cauſas, mox alterum tantum *laudatura* eſt *regentem*, præſidentem Senatui.

24 Conſularem notare videtur *partis Libyæ*, v. g. Numidiæ, Byzacenæ: de quo genere dignitatis vel adminiſtrationis vid. Gronov. Obſ. eccl. c. 21 p. 226 & Jac. Gothofr. Not. Dignit. Cod. Theod. Sed de omni hoc curſu honorum Theodori qua poterat certa, de reliquis conjecturas eruditas dedit laudatus modo Rubenius.

27 *Manſuræ* dicuntur, quod in ære inſculptae, *voces* quatenus leguntur, audiunturque adeo.

Mœnia, quæ famulus quondam ditavit Hydaſpes.
Tantaque commiſſæ revocaſti gaudia genti
Mitibus arbitriis, quantum bellante Philippo
Floruit, aut nigri cecidit cum regia Pori.
 Sed non ulterius te præbuit urbibus aula:
Maluit eſſe ſuum. terris edicta daturus,
Supplicibus reſponſa, venis. oracula Regis
Eloquio crevere tuo. nec dignius unquam
Majeſtas meminit ſeſe Romana locutam.
Hinc ſacræ mandantur opes, orbisque tributa
Poſſeſſi; quidquid fluviis evolvitur auri:
Quidquid luce procul venas rimata ſequaces
Abdita pallentis fodit ſollertia Beſſi.

Ac

35 regum *MSS.*

29 *Hydaſpes famulus* fuit Pellæ, ditavit Pellam, quo tempore *Pellæus juvenis* (ut 39, 6 & 8, 375) Alexander M. Orientem, qui Perſis paruerat, ſubegit. Nempe dicit poëta, æque felicem & glorioſam fuiſſe Mallio præſide Macedoniam, quam ſub Philippo ſuo vel Alexandro fuerit.

32 *Niger Porus.* Nigros eſſe Indos, qui verſus meridiem habitant, obſervatum Arriano hiſt Ind. c. 6 extr. *οἱ πρὸς νότου ἀνέμου Ἰνδοὶ τοῖς Αἰθίοψι μᾶλλόν τι ἐοίκασι, μέλανές τε ἰδέσθαι εἰσὶ, καὶ ἡ κόμη αὐτοῖς μέλαινα.* Pori autem regnum quantum a mari receſſit, tanto propius fuit ſeptentrionibus. Interim ſolent poëtæ Indis in univerſum nigrum colorem tribuere. Sen. Oed. 122 *Phœbus hic flamma propiore nudos Inficit Indos.* Porus ipſe ater an albus homo fuerit, non eſt, puto, neque apud Curtium, neque apud Arrianum. Meminerimus, *nigrum* Romanis etiam vocari ſubfuſci coloris hominem, ut in illo Virg. Ecl. 2, 16 *Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.*

33 Quæſturam ſacri palatii geſtam a Mallio hinc lucide adeo deſcribit Claudianus, ut hic ipſe locus nos rationes huius muneris pulchre doceat, addendus his quos habet Gutherius de Off. Do. Aug. 2, 18 p. 377.

38 Hæc eſt comitiva ſacrarum largitionum, de quo officio Guth. 3, 16.

39 *Fluviis*, *Tago Hiſpaniæ*, *Pado Italiæ*, *Hebro Thraciæ*, *Pactolo Aſiæ*, *Gange Indiæ* apud Plin. 33, 4

41 *Beſſorum* Thraciæ populorum in aurariis tractandis *ſolertia abdita* h. e. latens in cuniculis laudatur Vegetio Rei Mil. 2, 11 & 4, 24. *Quæſitor Beſſus* Pacato c. 28. Sunt vicini Hebro, quem inter auriferos fluvios referri a Plinio, modo vidimus. Et eſt inter auriferas regiones Thracia olim nobilis. Quod *pallentes* vocat, eſt ille communis metallicorum color. Silius 1, 231 *Aſtur avarus Viſceribus laceræ telluris mergitur imis, Et redit infelix effoſſo concolor auro.* Sic Stat. Sil. 4, 7. 15.

Digitized by Google

Ac velut exſertus lentandis navita tonſis
Præficitur lateri cuſtos; hinc ardua proræ
Temperat, & fluctus tempeſtateſque futuras
Edocet: aſſiduo cum Dorida vicerit uſu,
Jam clavum totamque ſubit torquere carinam:
Sic cum clara diu rerum documenta dediſſes,
Non te parte ſui, ſed in omni corpore, ſumſit
Imperium, cunctaque dedit tellure regendos
Rectores. Hiſpana tibi Germanaque Tethys
Paruit; & noſtro diducta Britannia mundo:
Diverſoque tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar, Rhodanuſque ferox & dives Iberus.
O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur judice ripis!

Unius

42 excitus *Vic. & al.* exertus *Vien. Baſ.* exertus, probatus *gloſſ. MS. apud Heinſ.* 44 ſonoras *MSS. quod ſi recipias*, Prædocet *pro* Edocet *ſuadet Heinſ.* 47 mentis doc. *MSS. ap. Heinſ.* 53 celer *vulg.* ferox *e MSS. Heinſ. qui etiam fluviorum eſſe epitheton oſtendit.*

42 Ut ſolemne eſt remp. comparare navi & navigationi: ita hic poëta gradibus munerum nauticorum componit ordinem dignitatum imperii. Nauta *exſertus* h. e. qui *ſe* & robur corporis animique *exſeruit* (vid. de hac notione ad Pacatum c. 35, 1 Arntz.) atque probavit *lentandis tonſis*, h. e. remis tanta vi undæ impingendis, ut inde aliquantum, quia *lenti* ſunt, inflectantur, *præficitur* ob hæc merita *lateri* navis *cuſtos*, fit τοίχαρχος (*Tucarchus* Hygino fab. 14): poſt ea, hic quoque re bene geſta fit *Proreta*, ſ. *Proreus*, *tutela proræ*, cujus eſt ventos, ſcopulos, pericula proſpicere: tandem cum *Dorida*, Amphitriten, mare, ejuſque pericula, (ut Virg. Ecl. 10, 5) longo aſſiduoque uſu *vincere* didicerit, fit gubernator. Hæc munera nautica diligenter, nec prætermiſſo noſtro loco, explicat Scheffer. de Mil. nau. 4, 6 & 7 p. 303 & 309.

46 *Subit* non modo ſucceſſionem notat, ſed illud etiam, onus eſſe illam gubernatoris provinciam.

48 *Sumſit te imperium*, non tu ſumſiſti imperium, advocatus es ad regendum, non adſpiraſti &c. Ceterum deſcribitur hic Præfectura Prætorii, ſpeciatim Galliarum; quod oſtendit & illuſtrat Rubenius.

51 Imitatur *penitus toto diviſos orbe Britannos* Virg. Ecl. 1, 67.

53 De *Arare* & *Rhodano* vid. 5, 111. *Ferocem Danubium* dicit 5, 26. *Iberus dives*, aurifer, ut Tagus.

54 *Rhenus* cultus, qua Galliam alluit, *barbarus* tum *ibat*, qua lambit Germaniam. *Judicem* eſſe etiam imperii nomen, apparet ex eo, quod Provinciæ Præſidem ſic appellatum oſtendit Gloſſar. Nom. Jac. Gothofr. it. Bynkersh. Obſſ. 1, 2.

Unius ſit cura viri, quodcumque rubeſcit
Occaſu, quodcumque dies devexior ambit.
Tam celer aſſiduos explevit curſus honores.
Una poteſtatum ſpatiis interfuit ætas,
Totque gradus fati juvenilibus intulit annis.
 Poſtquam parta quies, & ſummum nacta cacumen,
Jam ſecura petit privatum gloria portum;
Ingenii redeunt fluctus, aliique labores:
Et vitæ pars nulla perit. quodcumque recedit
Litibus, incumbit ſtudiis, animusque viciſſim
Aut curam apponit populis, aut otia Muſis.
Omnia Cecropiæ relegis ſecreta ſenectæ,
Diſcutiens quod quisque novum mandaverit ævo,

Quan-

57 occaſus *Vic. Vien. Ald.* & *MSS.* occaſum *MS. ſed* occaſu *jam Baſ. Junt* &c. 59 interfluit *conj. Heinſ. ex MS.* intervenit *al.* ætas *MS. probante Heinſ.* 60 induit *al.* 63 fructus *al. Sed* fluctus *jam malebat ex octo MSS. Heinſ.* ſtudiique *marg. Baſ. quod placet.* 64 recidit *conj. Heinſ.* 66 impendit *conj. Heinſ.* apponit *Cuj.* imponit *al.* 68 quid q. novi *conj. Heinſ.* quid *Baſ.*

56 Totum Occidentem deſcribit, qua tum ſubjectus erat Præfecturæ Præt. Galliarum, ut apparet etiam ex Not. Dign. ſ. 36 Labbei, nempe *Provinciæ Hiſpaniarum ſeptem*, *Galliarum decem ſeptem*, *Britanniarum quinque*, quæ ibi enarrantur.

59 *Una ætas*, unum ſæculum, xxx circiter annorum, potuit videre Mallium naſcentem & Præfectum Prætorio, *una* illa *ætas tot gradus fati*, vitæ, fortunæ, *annis juvenilibus* viri conciliavit. Hoc apparet ex Chronologia Rubeniana.

62 *Jam ſecura* erat *gloria* Mallii, cum altius aſcendere non poſſet. Itaque ad otium ſe privatum contulit, tanquam in *portum*. Hic *in portu* otii verſanti *redeunt fluctus ingenii* in quibus juvenis fuerat jactatus, & *labores* vel *alii*, vel, quod pene malim, *ſtudii* prioris.

64 *Recedit* hic poſitum eſt pro *decedit*, ut Stat. Theb. 11, 74 *Quantumque profundæ Rareſcunt tenebræ, tantum de luce receſſit.* Quantum temporis alias litibus impendendum nunc illis decedit, tantum i. per tantum temporis, Mallius nunc *ſtudiis incumbit*. Pro ſuæ ætatis conſuetudine & *ſtudia* ſimpliciter ponit pro ſtudiis literarum ac ſapientiæ, & *incumbit* cum tertio caſu jungit: niſi tamen hic *incumbit* ponitur pro *additur*, *adjicitur*: continuata metaphora, recedit a litibus; incumbit, ut toro, quietis cauſa, ſtudiis.

67 *Senectam* poſuit pro antiquitate, vetuſtate. *Cecropia ſenecta*, antiquitates Atticæ.

69 *Agmina* intelligo multitudinem tum ſectatorum tum dogmatum. Ceterum quod nunc proponit doctiſſimus poëta velut ſummarium, certe ſpecimen, veteris hiſtoriæ philoſophicæ, illud copioſe admodum illuſtravit, & theſauros

lectio-

Quantaque diverſæ producant agmina ſectæ.
Namque aliis princeps rerum diſponitur aër:
Hic confidit aquis: hic procreat omnia flammis.
Alter, in Ætnæas caſurus ſponte favillas,
Diſpergit revocatque Deum, rurſumque receptis
Nectit amicitiis quidquid diſcordia ſolvit.
Corporis hic damnat ſenſus, verumque videri
Pernegat. Hic ſemper lapſuræ pondera terræ

Cona-

73 diem *al.*

lectionis ſuæ aperuit Barthius, quæ hodie in ſuis potius locis, hiſtoriæ philoſophicæ, tractantur & requiruntur. Nobis hic ſatis erit breviter declarare, quæ Claudianus, uti decebat, velut nutu indicat.

70 Anaximenes aëra principium omnium rerum ſtatuiſſe dicitur Plutarcho, ſ. quisquis auctor operis de placitis Philoſ. 1, 3 *ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο.* Ex eodem loco licet etiam reliquas, quæ hic commemorantur, ſententias repetere & illuſtrare: ut quod Thales *confidit aquis* i. putat ſe omnium rerum ortum ex aqua poſſe derivare. Qui *flammis omnia procreat*, Heraclitus eſt, cujus etiam viæ *ἄνω* & *κάτω* huc pertinent, quas ponemus verbis Lucretii 1, 783 *Et primum faciunt Ignem ſe vertere in auras Aëris, hinc Imbrem gigni*, Terramque creari *Ex Imbri, retroque a Terra cuncta reverti Humorem primum, poſt Aëra, deinde Calorem.*

72 Hic Empedocles tangitur, qui *dum vult Deus immortalis haberi, ardentem frigidus Aetnam inſiluit.* Hic *diſpergit* Deum, cum animas omnes eſſe particulas divinæ naturæ ſtatuit, *revocat*, cum redire eas ad unionem cum Deo poſt mortem docet. Idem *nectit amicitiis*, jungi eo ipſo docet, & ad ſalutem rerum connecti atque implicari invicem, *quidquid diſcordia* & pugna quædam ſolvere & diſtrahere videtur. Hæc eſt illa *ἐναντιοτροπή* ab Heraclito præſertim ejusque diſcipulis culta, de qua diſputavi in Comment. Soc. Reg. Scientt. Gott. To. I p. 80 ſq. ad Hippocratis de diæta librum I, ubi multis eam ſimilitudinibus illuſtrat. Ponemus tantum verſiculos Ovidii Met. 1, 430 *Quippe ubi temperiem ſumſere Humorque Calorque, Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus. Cumque ſit Ignis Aquæ pugnax, vapor humidus omnes Res creat, et Diſcors Concordia fetibus apta eſt.*

75 *Senſus damnat* ſecta tota Pyrrhonica, cujus diſciplinam dedit in Hypotypoſeon libris Sextus Empiricus, ad quem ceterorum ſententias ac dicta Fabricius retulit.

76 Non invenio, quis inter antiquos cœli circumvolventis ſe celeritati ſtabilitatem & gravitatem adeo terræ tribuerit. Carteſiano vortici ſimile quiddam videre mihi videor. *Eſt* inter Philoſophos, ait Poëta, *qui pondera terræ, ſemper* alioquin ſua gravitate & niſu *lapſura* ac dilapſura, excipere & *fulcire conatur* h. e. explicare ſtudet immobilem ſtatum telluris e *rapido* circumactu et velut *rotata* ambientis *cœli*, quod perpetuo ſuo ad omnes particulas externam globi faciem efficientes appulſu reſiſtat, ne quid elabi diſabique poſſit. Illa copula ad *Accendit* adjecta.

Conatur rapido cœli fulcire rotatu,
Accenditque diem prærupti turbine ſaxi.
Ille ferox, unoque tegi non paſſus Olympo,
Immenſum per inane volat, finemque peroſus
Parturit innumeros anguſto pectore mundos.
Hi vaga collidunt cæcis primordia plagis.
Numina conſtituunt alii, caſusque relegant.
Grajorum obſcuras Romanis floribus artes
Irradias, vicibus gratis formare loquentes
Suetus, & alterno verum contexere nodo.
Quidquid Socratico manavit ab ordine, quidquid
Docta Cleantheæ ſonuerunt atria turbæ,
Inventum quodcumque tuo, Chryſippe, receſſu;
Quidquid Democritus riſit, dixitque tacendo

Py-

78 Anaxagoras, Democritus, Metrodorus Solem maſſam, *μύδρον*, vel lapidem, *πέτρον* ignitum, dicebant apud Plutarchum de plac. 2, 20. Pergit Metonymia uti poëta, qua facere dicuntur ſcriptores, quæ narrant fieri vel docent. *Diem* hic non pro cauſa diei, ſole dicit, ut Germani lucem (Licht) vocamus etiam candelam ſebaceam vel ceream. Sol hic eſt ſaxum illud ignitum, quod ſuo turbine et revolutione lucem ac diem efficit.

79 *Ille ferox* Metrodorus eſt, qui (Plut. de plac. 1, 5) æque abſurdum putat, in infinito ſpatio unum mundum eſſe, quam in magno campo unam ſpicam. Pulchrum eſt et ſalſum illud *anguſto pectore*, *immenſo inani* oppoſitum.

82 Epicurei *primordia* h. e. elementa ſua, ſ. atomos, *collidunt*, concurrere et compingi inter ſe fingunt, fortuito impetu. *Alii*, his maxime contrarii, Stoici nempe, *Numina conſtituunt*, Deos eſſe defendunt, et dum fato fieri contendunt omnia, *relegant caſus*, temere fieri quidquam negant.

84 *Obſcuras Graiorum artes*, puto, dicit reſpectu eorum, qui Græce neſciunt, niſi forte ad Heracliticam illam obſcuritatem reſpicit de qua Lucret. 1, 640 *Clarus ob obſcuram linguam magis inter inanes* etc,

85 *Vices gratas* et *nodum alternum* recte interpretatur Barthius de Socratica illa et Tulliana per dialogos diſſerendi ratione. *Socraticum ordinem* dicit illam velut genealogicam philoſophantium ſucceſſionem:

88 *Cleanthea turba* cum reſpectu ad illum honorem, quo inter multos competitores Zenoni ſucceſſor datus eſt, quod refert Laërt. 7, 1. 74. *Chryſippi receſſum* metaphorice appellat abſtruſiora, et remota a vulgi cognitione dogmata: ut cum de Grammatica Fabius 1, 4. 2 eam *plus habere in receſſu, quam fronte promittat*.

90 *Democritus riſit* proprie res humanas, dicta et facta ſtulta civium ſuorum: ſed hic *riſit* eſt ridendo dixit. *Tacendo dixit* Pythagoras non tantum cum tacere aliquamdiu et *ἐχεμυθεῖν* juſſit auditores ſuos, ſed cum per Symbola illa nobilia innuit potius quædam, quam diſerte elocutus eſt.

Pythagoras: uno ſe pectore cuncta vetuſtas
Condidit, & major collectis viribus exit,
Ornantur veteres, & nobiliore magiſtro
In Latium ſpretis Academia migrat Athenis,
Ut tandem propius diſcat, quo fine beatum
Dirigitur; quæ norma boni, qui limes honeſti;
Quænam membra ſui virtus diviſa domandis
Objectet vitiis; quæ pars injuſta recidat,
Quæ vincat ratione metus, quæ frænet amores.
Aut quoties elementa doces, ſemperque fluentis
Materiæ cauſſas: quæ vis animaverit aſtra,
Impuleritque choros: quo vivat machina motu.

Sidera

91 tanta *MS.* 95 diſcas *MSS.* 102 implerentque *Vic.* impuleritque chaos *Ald.* impleritque *vulg.*

92 Unita in pectore Mallii ſapientia veterum et collecta major eſt ſapientia ſingulorum.

94 Occidens et *Latium* re vera eo tempore plus literarum et literatorum hominum h. e. antiquæ doctrinæ conſultorum habebat, quam Oriens et *Athenæ*.

95 *Finis*, ſummum bonum eſt, quo dirigitur, tanquam navis ab Helice, *beatum*, i. quidquid beatum dici debet; quisquis cupit beatus fieri.

96 *Norma boni*, ipſum honeſtum, ut ſciamus nihil vere bonum eſſe, quod non idem ſit honeſtum. *Limes honeſti: Eſt* enim *modus in rebus, ſunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum* et honeſtum.

97 *Virtus* eſt una: quæ vulgo vocantur virtutes, illius membra ſunt.

100 *Elementa* principia rerum naturalia, fluit *ſemper materia* ex Heraclitica præſertim doctrina.

102 *Chorus* pulchre ad cœleſtia corpora refertur, multitudo animata certo ſe ordine movens (in circulum præſertim) et canens. Χορεία ὄρχησις καὶ ᾠδή apud Platonem de Legibus quarto, mox a principio et per totum pene librum. Porro antiquiſſimi homines qui motum illum aſtrorum ordinatum viderent, reliqua chori attributa adjecerunt ex ingenio, animas et ſonos, illas quidem vulgo omnes; hos Pythagoras cum ſuis diſcipulis. Vid. quos laudat Fabric. ad Sext. adv. Muſ. ſ. 36. Hinc pronum erat *chorum* dare mundo. Hymnus in Solem Orphicus p. 104 Eſchenb. Χορεύων Κόσμου τὸν ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων, Præcentorem facit chori cœleſtis Solem, qui trahat curſum illum mundi harmonicum: quod inter illa veræ phyſicæ rudera refero, quorum in illis hymnis quam plurima ſuperſunt. Hujus generis ſunt illi etiam verſus, quos ſervavit Euſebius Præp. Evang. 11, 6 p. 519, D. ubi Apollo introducitur dicens, Εἰμὶ δ᾽ ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος, ἣ τὰ λυρῴδη Ἡρμοσάμην δίνης οὐρανίοιο μέλη, gloriatur, ſe eſſe immortalem illam rerum omnium Chelyn quæ ipſa ſibi concinnaverit lyricos illos cœleſtis vertiginis modos. Illa δίνη ἀέναος, illa μέλη λυρῴδη conſtituunt chorum

Sidera cur ſeptem retro nitantur in ortus
Obluctata polo: variiſne meatibus idem
Arbiter, an geminæ convertant æthera mentes.
Sitne color proprius rerum, luciſne repulſu
Eludant aciem. tumidos quæ Luna recurſus
Nutriat Oceani: quo fracta tonitrua vento:

Quid

104 variisque *vulg.* 106 lucisque *al.* repulſus *conj. Barth.*

rum cœleſtem, de quo agimus. Ariſtoteles, ſive quisquis auctor eſt, vir ſane haud vulgaris, libelli de Mundo c. 2 *ὁ ὐρανὸς - συναναχορεύει τοῖς ἄςροις*, quod hoc modo reddidit Apulejus p. 57, 18 *Cœlum agit ſtellarum choros.* Illam *τῶν ἀςέρων χορείαν* pulchre deſcribit, et alios inde choros choreasque deducit Lucia. de Saltat. c. 71 Non igitur temere poëtæ *chorum* aſtris tribuunt. V. G. Tib. 2, 1. 88 *Currum matris*, Noctis, *ſequuntur choris laſcivis ſidera.* Stat. Achill. 1, 643 *Riſit chorus omnis ab alto Aſtrorum.*

102 *Machina*, totum hoc quod mundum vocamus, cujus motus viventem auctorem indicat. Quærit philoſophia, ſitne vita perennis in ipſa illa machina, an habeat auctorem a machina diverſum.

103 Qui terram in medio mundo quieſcere ponunt, illis duplici motu opus eſt ad phænomena ſolvenda, vno totius cœli ab ortu ad occaſum, altero planetarum proprio & illi contrario. Hic dubitari poteſt, unusne auctor motuum ſibi oppoſitorum?" etc.

106 Vide, quomodo Carteſianis & Newtonianis inventis experimentisque, ſubtilis cogitatio antiquorum præluſerit. Ariſtarchus Samius apud Stobæum Ecl. Phyſ. c. 19 p. 55 colorem definit *φῶς τοῖς ὑποκειμένοις ἐπιπῖπτον.*

107 *Quæ Luna* h. e. qualis, qua vi ſua, augeat mare, ut ſurgat. Tempore convenire motus maris & Lunæ phaſes olim obſervatum Pytheæ Maſſilienſi. V. Plut. de Plac. Philoſ. 3, 17. Sed de modo diſceptatum eſt. Et ſuperſunt forte hodie, qui malint impulſui Carteſiano, quam Newtoniano attractui mutationes illas tribuere. Optabam equidem in bono libro inveniri, *qui* h. e. quomodo. Verbo *nutrit* non puto proprie uti hic voluiſſe poëtam: niſi forte ut alias mare nutrit Solem & ſidera, ita hic Luna; fecunditatis & humoris proma conda nutrit Oceanum ut intumeſcat & recurrat in litus.

108 *Fracta tonitrua* interpretor cum fragore exiſtentia. Cum omnem ſonum in tremulo quodam impulſu aëris ineſſe nos doceant Phyſici, tum aurium nos ſenſus admonet, in tonitru eſſe fragorem, a frangendo dictum. Lucret. 6, 123 Ita format tonitru, *Cum ſubito validi venti collecta procella Nubibus intorſit ſeſe, concluſaque ibidem turbine verſanti magis ac magis undique nubem Cogit, uti fiat ſpiſſo cava corpore circum. Poſt ubi commovit vis ejus, & impetus acer Tum perterricrepo ſonitu dat miſſa fragorem. Nec mirum, quum plena animæ veſicula parva Sæpe ita dat pariter ſonitum diſploſa repente.*

Quid trahat imbriferas nubes; quo ſaxa creentur
Grandinis. unde rigor nivibus: quæ flamma per auras
Excutiat rutilos tractus, aut fulmina velox
Torqueat, aut triſtem figat crinita cometen.
Jam tibi compoſitam fundaverat ancora puppim.
Telluris jam certus eras. fecunda placebant
Otia. naſcentes ibant in ſæcula libri.
Cum ſubito liquida ceſſantem vidit ab æthra
Juſtitia, & tanto viduatas judice leges:
Continuo frontem nimbo velata pudicam
Deſerit Autumni portas, qua vergit in Auſtrum
Signi-

109 creantur *al.* ferantur *al.* feruntur, ruantur, rotantur *al.* rotentur *placet Heinſ.* 110 flabra *MSS. Baſ. marg. & Heinſ.* 1. flagra *al.* et excutiant. 114 facunda *vulg.* jacebant *al.* 118 limbo *vulg.* nimbo *Scal. Barth. MSS. Heinſ.*

109 *Trahere* etiam Germanorum conſuetudine dicitur Sol aquam, cum ſurgunt vapores ita denſi, ut videri oculis queant. *Saxa grandinis*, augendi gratia, ut Colum. 10, 329 *Sæpe ferus duros jaculatur Jupiter imbres Grandine dilapidans hominumque boumque labores.*

112 Inſolita loquendi ratio & niſi fallor non ſatis exacta, *Flamma crinita figit Cometen*: ſed cujus ſenſum videre mihi videor non ineptum. *Cometes* hic notat ipſum denſius corpus & nucleum, quem appellant aſtronomorum filii: hunc *figit* h. e. denſando ſe & coëundo format flamma illa in crines ſparſa. Quod eandem materiem facit Cometæ & fulgurum, eſt ab errore vulgari Cometas in meteoris numerantium.

113 Metaphorice de ſeceſſu ad privatæ vitæ tranquillitatem. Proprie Virg. Aen. 6, 3 *Dente tenaci Ancora fundabat naves.* Quod enim fundamentum eſt ædificio, hoc navi præſtat ancora.

115 Acute *naſcentes libri* dicuntur *ire in ſæcula.* Jam dum naſcuntur ea ſigna habent, unde intelligas, duraturos eſſe.

117. *Juſtitia* perſona hic eſt ſ. Dea, Virgo cœleſtis, Δίκη, Aſtræa, quæ diſceſſu ſuo e terris ſæculum aureum finiit.

118 *Nimbus* h. e. nubes denſa, quem *aëra* etiam vocant, velum Deorum Dearumque quum latere volunt. Talis eſt Aen. 12, 416 *Venus obſcuro faciem circumdata nimbo.* Conf. ſtatim dicenda ad v. 124. Poëta noſter, ut eſt doctiſſimus, forte ad ſidus Virginis reſpicit, cujus caput apud Germanici Scholiaſten pariter & Hyginum *una* tantum *ſtella obſcura nimis* ſignat. Germanicus ipſe v. 144 ex Arato, *Namque aliæ, quibus expletum cervixque caputque, Vatibus ignotæ priſcis ſine honore feruntur.* Hæc eſt ἀνωνυμίη Arati. *Limbus*, quem habent primæ editiones, ferri vix poteſt, cum ille potius oram extremam veſtis, τὸ κράσπεδον ſignificet.

119 *Autumni portæ* ſunt in ſigno Libræ, cui vicina eſt Virgo. Cum cancri tropicum reliquit ſol, per Leonem & Virginem tendit ad alterum tropicum capricorni, auſtralem, a nobis remotiſſimum.

Signifer, & noctis reparant diſpendia Chelæ.
Pax avibus, quacumque volat; rabiemque frementes
Depoſuere feræ. lætatur terra reverſo
Numine, quod priſci poſt tempora perdidit auri.
Illa per occultum Ligurum ſe mœnibus infert,
Et caſtos levibus plantis ingreſſa Penates
Invenit ætherios ſignantem pulvere curſus;
Quos pia ſollicito deprendit pollice Memphis:
Quæ moveant momenta polum, quam certus in aſtris
Error. quis tenebras Soli cauſisque meantem

O 2 Defe-

125 vaſtis *MS.* plauſtris *vulg.* clauſtris *conj. Barth.* 126 in pulv. *al.* 129 Solis *vulg. niſi quod* Soli *Vic. & Ald.*

120 *Chelæ* h. e. brachia & forcipes Scorpii, erant antiquioribus, ubi Libram, peculiare ſignum, poſuere poſteri. Hæ chelæ ſignant locum, in quo Sol facit æquinoctium, ubi breviores quæ fuerant per æſtatem noctes, redeunt ad æqualitatem.

124 *Per occultum*, quia ſub illo *nimbo* latet, de quo v. 118. *Ligurum mœnia* Barthius interpretatur Mediolanum; et multis teſtimoniis probat, eam tum fuiſſe caput imperii occidentalis: ſed hoc oſtendere debebat, Liguriæ caput fuiſſe, & ibi in otio tum vixiſſe Theodorum. Neutrum ita eſſe arbitror, & Ligurum mœnia Genuam potius, vel Intimelium, vel quamcunque Liguriæ urbem, intelligam.

125 *Caſti Penates*, latiori intellectu, ut *Caſta Deus mens eſt: caſti Penates* domus ſancta, & a fœditate ſanguinis pariter, & ſordibus avaritiæ, atque libidinum cœno pura: *leves plantæ* virginis, alatæ, Deæ denique.

126 *Pulvis* hic eſt eruditus ille Geometrarum, quo utebantur, ut radio illi inſcriberent figuras ſuas.

127 *Memphis pia*, religioſa omnis Aegyptus, & omnibus cerimoniis aliorum quoque populorum ea præſertim ætate dedita. Arcta præſertim vincula Aſtronomiæ, ut in Aegypto colebatur, & religionis, ſuperſtitionisque adeo norunt, qui Ptolemæum illiusque admiratores Melanchthonem, Camerarium, Ranzovium, non ignorant. *Pollicem ſollicitum* i. inquietum & efficacem non ſine cauſa poſitum eſſe, arbitror: quæ illa ſit, non æque facile comminiſcor. An in radio ſ. circino tractando peculiaris uſus erat pollicis?

128 *Momenta* cum alluſione ad verbum *moveant*. Momentum enim eſt, quidquid habet vim movendi. *Certus error* acute, de certis & deſcriptis ſpatiis Planetarum h. e. errorum.

129 Invenit Aſtræa Mallium ſuum radio, & rationibus agitandis exquirentem, *quis numerus* dierum, horarumque *indicat*, denunciet, *Soli tenebras* & eclipſin ſ. *defectum a cauſis* naturalibus profectum & progredientem ſ. *meantem*. Amat hoc verbum noſter, ut 21, 10 *Ordine vota meant.* Sic 3, 186 *Par ſemper ſimilisque meat Oceanus.* Sic hoc ipſo carmine v. 104 *varios meatus* ſtellis tribuit.

Digitized by Google

Defectum indicat numerus. quæ linea Phœben
Damnet, & excluſo pallentem fratre relinquat.
Ut procul adſpexit fulgentia virginis ora,
Cognovitque Deam: vultus veneratus amicos
Occurrit, ſcriptæque notas confundit arenæ.
Tunc ſic Diva prior: „*Malli, ſincera bonorum*
Congeries, in quo veteris veſtigia recti,
Et ductos video mores meliore metallo:
Jam ſatis indultum ſtudiis; Muſæque tot annos
Eripuere mihi. pridem te jura repoſcunt.
Aggredere, & noſtro rurſum te redde labori.
Nec tibi ſufficiat tranſmiſſæ gloria vitæ.
Humanum curare genus quis terminus umquam
Præſcripſit? nullas recipit prudentia metas.
Adde, quod hæc multis potuit contingere ſedes.
Sed meriti tantum redeunt, actuſque priores
Commendat repetitus honos, virtuſque reducit,

Quos

130 inducat *Cuj. & al.* videat *al. in quibus Vien. & Palm.* ſignet *MS.* numeris & numerus *al. Cum Heinſio facit Junt.* 133 veneratur *al.* 135 tum *al.* 145 meritis *ex MS. Heinſ.*

130 Qui defectus ſiderum exquirunt, ii ſtudent invenire tempus, quo illa ſit comparatio V. G. Solis, Telluris ac Lunæ, ut linea e Solis centro per mediam Tellurem ducta in Lunam incidat: deinde utrum illa linea ipſum quoque Lunæ centrum tranſitura ſit, quo facto totus orbis Lunæ obſcuretur neceſſe eſt etc. Hæc *linea Phœben* Phœbi ſororem *damnat*, & *excluſo* interceptoque Phœbo *relinquit* ſi non plane inconſpicuum, pallentem certe, & debili tantum lumine ſe prodentem.

132 *Procul aſpexit* Aſtræam, aliorum oculos fugientem, Mallius, cœlum & aſtra intueri ſolitus, & in his ipſis cum maxime occupatus.

134 Dum feſtinat, veſtem trahit, vel pedibus adeo calcat, & ſic confundit arenam, ſive pulverem illum humi ſparſum, in quo curſus æthereos ſignaverat v. 126.

142 Hæc vis eſt ac natura *Termini*, ut *præſcribat*, indicetque quo usque liceat progredi, eoque ipſo ultra procedere nos prohibeat atque impediat. Itaque hic *præſcripſit* eſt impediit, interceſſit.

144 *Hæc ſedes* eſt conſularis, ſella curulis, ut olim dicebatur. Hæc ſedes, hæc dignitas, *potuit* fortuna quadam *multis*, etiam non ſatis dignis, *contingere*: ſed bene *tantum* in ea *meriti* ad illam redeunt: & eo ipſo, quod repetitur hic honos, probatur, priores actus placuiſſe Principi.

Quos fortuna legit. melius magnoque petendum
Credis, in abſtruſa rerum ratione morari?
Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexere magis, quam qui reſponſa ſecutus
Obruit Eoas claſſes, urbemque carinis
Vexit, & arſuras Medo ſubduxit Athenas?
Spartanis potuit robur præſtare Lycurgus
Matribus, & ſexum leges vicere ſeveræ:
Civibus & vetitis ignavo credere muro
Tutius objecit nudam Lacedæmona bellis.
At non Pythagoræ monitus, annique ſilentes,
Famoſum Oebalii luxum preſſere Tarenti.
Quis vero inſignem tanto ſub principe curam
Reſpuat? aut quando meritis majora patebunt

 Præ-

147 regit *vulg.* dedit *vel* gerit *conj. Barth.* Quis fortuna redit *al. conj.* 152 texit *MS. quod placet Barthio, non Heinſio, nec mihi.* 157 an tot *Vien.* animique *MSS. quid. unde conjecit aliquis* Samii *i. Pythagoræ.*

147 *Magno petendum*, intelligo, ſtudio, labore, pretio, ut in conſuetioribus formulis, magni, parvi aliquid facere.

149 *Scilicet* ironiæ ſervit. Plus profuit rebus dubiis patriæ ſuæ Themiſtocles, cum commendata oraculo mœnia lignea, de nauibus interpretatus, Perſarum claſſem ad Salamina ſuperavit, quam ſæculo ſuo Plato, qui ne attingendam quidem ſibi rempublicam Athenienſium cum cenſeret, aliam in cerebro ſibi ſuo & chartis civitatem inſtituit.

153 *Lycurgum* quoque Pythagoræ præfert, ut modo Platoni Themiſtoclem. Lycurgo enim debetur illa Lacænarum virtus, quam peculiari libello commendat Plutarchus, V. G. illius (p. 241, F.) quæ ſcutum tradens filio in aciem pergenti, potuit dicere, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, jubebat, ne ſine ſcuto rediret, ſed vel ipſe referret, vel mortuum in ſcuto tanquam in feretro ſe referendum præberet.

155 Sine muro eſſe voluit Lacedæmona, quam tueri deberet potius civium virtus. Sed *cum octingentis annis ſine muris fuiſſet libera* urbs, *muris velut compedibus circumdata a tyrannis*, ut eſt in oratione Lycortæ apud Liv. 39, 37. Hoc ergo dicit noſter, Lycurgus civitatem ſuam potuit tutam præſtare ſuis inſtitutis: ſed *Pythagoræ monitus*, aurea illa præcepta, toti *anni ſilentes* h. e. ſilentio illo & ἐχεμυθίᾳ traducti, non potuere a luxu perdito revocare Tarentinos. *Molle Tarentum* Hor. Ser. 2, 4. 34. & ideo *imbelle* Epiſt. 1, 7. 45. *Oebalium* eſt *Tarentum*, ut *Lacedæmonium* Hor. Car. 3, 5. 56. quia eſt colonia a Phalantho Spartano ſ. Oebalio deducta.

Præmia? quis demens adeo, qui jungere ſenſus
Cum Stilichone neget? ſimilem quæ protulit ætas
Conſilio vel Marte virum? nunc Brutus amaret
Vivere ſub regno. tali ſuccumberet aulæ
Fabricius. cuperent ipſi ſervire Catones.
Nonne vides, ut noſtra ſoror Clementia triſtes
Obtundat gladios: fratreſque amplexa ſerenos
Aſſurgat Pietas: fractis ut lugeat armis
Perfidia, & laceris morientes crinibus hydri
Lambant invalido Furiarum vincla veneno?
Exſultat cum Pace Fides. jam ſidera cunctæ
Liquimus, & placidas inter diſcurrimus urbes.
Nobiſcum, Theodore, redi. Subit ille loquentem
Talibus. *„Agreſtem dudum me, Diva, reverti*
Cogis; & infectum longi rubigine ruris

Ad

162 pertulit *vulg.* 170 colla *quid. MSS.* 171 exſultet *MS.* 173 veni *MS.*

161 *Senſus jungere cum Stilichone* eſt communicare cum eo conſilia, & de illius conſilio rem gerere: honeſta oratio, cum revera rerum potiretur, & ſuo arbitrio ageret omnia Stilicho.

163 Veterem illum Brutum ſignat, expulſorem Tarquiniorum.

165 *Catones*, illius Uticenſis ſimiles, qui mortem ſibi conſciſcere maluit, quam vivere domino rerum Cæſare.

166 *Clementia* pulchre ſoror Juſtitiæ dicitur. Illius eſt ignoſcere peccantibus, *parcere ſubjectis.*

167 *Fratres ſereni* ſunt Imperatores Arcadius & Honorius. In horum titulis ante *Felicium & Auguſtorum* honores eſt *Pietas.* Sic enim in nummis & aliis monimentis eſt, PP. FF. AA. *Pietas* etiam, ut *Serenitas*, *Tranquillitas*, *γαληνότης* abſtracto nomine dicebatur, ut Caſſiod. Var. 1, 1 *Proinde illum & illum legationis officio ad Sereniſſimam Pietatem veſtram credimus deſtinandos.*

170 Si pictor aliquis exprimere phantaſian poëtæ velit, opus fuerit ut Furias faciat manibus poſt tergum revinctis & ad ipſam cervicem vel ad collare, quo vincta cervix eſt, alligatis, qualis eſt ille Furor Aen. 1, 295 *Centum vinctus aënis poſt tergum nodis.* Porro hydri ſ. ſerpentes, quos pro crinibus habent Furiæ, faciat ipſos ſuis jam inter ſe morſibus laceratos, & fruſtra rodere conantes vincula. Quod *lambere* dicit, ad vim veneni reſpicit, quod liquidum licet, erodit tamen facile metalla, ut illa noſtrorum chymicorum aqua fortis & regia. Facilior ſed minus vehemens erit imago, ſi placeat, quod habent quidam MSS. *colla.*

171 *Cunctæ*, Clementia, Pietas, Pax, Fides, totidem Deæ: cultæ omnes templis, altaribusque.

Ad tua ſigna vocas? nam quæ mihi cura tot annos
Altera, quam duras ſulcis mollire novales?
Noſſe ſoli vires, nemori quæ commoda rupes,
Quis felix oleæ tractus, quæ gleba faveret
Frugibus, aut quales tegeret vindemia colles?
Terribiles rurſum lituos veteranus adibo,
Et deſueta vetus tentabo cærula vector?
Collectamque diu, & certis utcumque locatam
Sedibus, in dubium patiar deponere famam?
Nec me, quid valeat natura fortior uſus,
Præterit, aut quantum neglectæ defluat arti.
Deſidis aurigæ non audit verbera currus:
Nec manus agnoſcit, quem non exercuit, arcum.
Eſſe ſed injuſtum fateor quodcumque negatur
Juſtitiæ. tu prima hominem ſilveſtribus antris
Elicis, & fœdo detergis ſæcula victu.
Te propter colimus leges, animoſque ferarum

 Exui-

176 nunquam *vulg.* annis *vulg.*

177 Ars poëtæ etiam otium Mallii ſui facit utile vitæ, ſi ille *duras* incultasque adhuc *novales* terras poteſt *mollire* accipiendis ſeminibus, ſi *rupes* poteſt vertere in *nemora*. Totus hic locus admirabilis eſt, & ſummo poëta dignus.

184 *Patiar deponere*, i. impetrabo a me, ut deponam. Vid. 15, 265. Loquitur ut de eo, cui quis ſuadeat, apud incertæ fidei hominem deponere rem ſibi caram. Etiam *collecta* diu *Fama* ſuavis eſt, comparat illam ſummulæ pecuniæ, quam quis *unciatim ſuum defrudans genium comperſit* (ut eſt Ter. Phor. 1, 1. 10) & nunc putat utcunque locaſſe in tuto.

186 *Defluat* pulchre exprimit imminutionem quæ paullatim, & vix ſentientibus evenit, ut in capillorum defluvio, unde paullatim exſiſtit calvities.

187 *Deſes* poteſt aliquis eſſe non ſua culpa aut voluntate adeo. In formula *non audit* manifeſta imitatio Virgiliani carminis Georg. I extr. *Non audit currus habenas.* Simile *Nec manus agnoſcit* i. familiariter ſibi obſequentem ut alias ſentit *arcum*, quem diu non tractavit.

191 Poteſt videri Hypallage: nam dicitur proprie *detergere* v. g. rubiginem gladio. Sed nimirum, ut ſemper debebat fieri in Hypallage, etiam contra detergetur ſ. detergitur gladius & purgatur rubigine.

192 *Te propter*, tua opera, tuo munere, ut apud Ciceronem parentum Periphraſis eſt, pro Roſ. Am. 22 *propter quos* aliquis *hanc ſuaviſſimam lucem aſpexerit.*

Exuimus. nitidis quiſquis te ſenſibus hauſit,
Irruet intrepidus flammis, hiberna ſecabit
Æquora: confertos hoſtes ſuperabit inermis.
Ille vel Æthiopum pluviis ſolabitur æſtus:
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aër."
Sic fatus tradente Dea ſuſcepit habenas
Quatuor ingenti Juris temone refuſas.
Prima Padum Tiberimque ligat, crebriſque micantem
Urbibus Italiam: Libyas Pœnosque ſecunda

Tem-

193 exuimur *conj. Heinſ.* 194 flammas *MS.* 195 conſertos *al.* in armis *al.* 196 ille per Æthiopum *MSS. duo.* pulvis *Vien.* 197 Tanaim *MSS. duo* 200 Trebiamque *conj. Blondelli ap. Heinſ.* 201 Lydos *vulg.* Numidas *tentabat Heinſ.*

194 *Hiberna æquora*, quæ per hiemem ingredi navibus non audebant; vel ſimpliciter procelloſa, ex uſu vocis *hiems*.

196 Eſt inter ἀδύνατα, certe inter ἀπροσδόκητα & non temere ſperanda, *pluvia* inter *æſtus* Aethiopiæ, *vernus aër* ultra Scythiam, in ultimo Septentrione. Elogium hoc Juſtitiæ ita informat Poëta, ut intelligatur, ubi illa ſit, ibi aureum eſſe ſæculum.

198 Haec pertinent aperte ad Præfecturam Prætorii Italiæ. Hanc comparat cum curru quadrijugo, dum *habenas quatuor* ei tribuit, easque *refuſas* in *temone* h. e. ad temonem, ubi axi rotarum junctus eſt, ubi inſidet auriga, pertinentes. *Temonem* appellat merito, quia is in curru eſt illud, quod gubernaculum in navi. Varro de L. L. 6, 4 ſ. p. 77, 27 *Temo- et plauſtrum appellatum, a parte totum, ut multa.* Porro antiquum eſt, ſub currus vel navis imagine rempublicam ejusque gubernationem repræſentare. *Temo* igitur *juris* hic eſt tota Jurisdictio Præfecto Prætorii commiſſa. Mihi illud non temere factum videtur, quod Poëtæ noſtri phantaſia convenit cum veteri pictura, quæ habetur in Notitia utriusque imperii, Orientis p. 44 & Occid. p. 9. Hoc poſteriori loco inter *inſignia viri illuſtris Præfecti Prætorio per Italias* eſt currus ſplendidus quatuor equis junctus, cui adſtat cum virga auriga paludatus. Symbolumne quatuor equi totidem diœceſeon? Ita putabam. Sed additur, *ſub diſpoſitione Illuſtris Præfecti Prætorio Italiæ Diœceſes infra ſcriptæ, Italia, Illyricum, Africa.* Illæ porro diœceſes tres ſub imagine feminarum trium coronas murales habentium, pateras auro plenas geſtantium, quibus hæc nomina adſcripta ſunt, repræſentantur. Omiſſa igitur in Notitia eſt quarta Claudiani diœceſis, Sardiniam, Corſicam, Siciliam complexa, quæ hic inter XVII. Italiæ Provincias enumerantur. Scilicet ſemper hoc ſibi ſervarunt Auguſti, ut ex ſuo arbitrio, vel ex reip. uſu aliquid in diſtributione atque adminiſtratione Provinciarum mutarent.

200 *Prima* habena *ligat- Italiam.* Hic apparet, quatuor habenis totidem equos, totidem diœceſes regi. Vide mihi, qui poëſin amas, divitem venam poëtæ, & expende verba *ligat*, *temperat*, *porrigit ſe*, *retentat*: ſua ſingulis emphaſis, idem ſignificant univerſim, ſed diverſa relatione.

Temperat: Illyrico ſe tertia porrigit orbi:
Ultima Sardiniam, Cyrnon, trifidamque retentat
Sicaniam, & quidquid Tyrrhena tunditur unda,
Vel gemit Ionia. nec te molimina rerum,
Aut tantum turbavit onus. ſed ut altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos hiemesque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum,
Celſior exſurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat:
Sic patiens animi per tanta negotia liber
Emergit, ſimilisque ſui; juſtique tenorem
Flectere non odium cogit, non gratia ſuadet.
Nam ſpretas quis opes, intactaque pectora lucro
Commemoret? fuerint aliis hæc forte decora:
Nulla poteſt laus eſſe tibi, quæ crimina purget.
Servat inoffenſam divina modeſtia vocem.
Temperiem ſervant oculi. nec lumina fervor

Aſpe-

204 funditur *vulg.* tunditur *MSS. & Stat.* 205 tot lumina *MSS. quid. & Barth.* culmina *Clav.* nec te molimina *MSS.* nec tot molimina *omnino ſcribendum put. Heinſ.* 211 animus *vulg.* animo *MSS.* animi *MSS.* 214 quid-commemorem *conj. Heinſ.* 215 decori *MS.*

203 *Cyrnon*, Κύρνον, Græcum Corſicæ nomen eſſe, Græca exemplo optimorum amare noſtrum, vix opus admonitione eſt.

205 *Jonia unda* comprehendit etiam Sinum Jonium ſ. Hadriaticum mare. Verbum *gemit* mugitum illum commoti maris exprimit. *Molimina rerum*, res moliendæ & agendæ: ceterum *tanta molimina* intelligo ex eo, quod ſequitur, *tantum onus*.

207 *Spatio* hic eſt altitudine: adeo excelſus eſt vertex Olympi, ut ſupra regionem nubium ac ventorum elatus ſit: ut literæ in cineribus aræ Jovis ſcriptæ volvente anno reperiantur nihil confuſæ etc. Vid. copioſam diſputationem Barthii ad Stat. Theb. 2, 35 quem locum ibi cum hoc noſtro comparat. Paſſim Olympi imagine utuntur Poëtæ & Philoſophi ad deſcribendam tranquillitatem animi, V. G. Luca. 2, 270.

216 Exigua laus eſt, & cujus pudeat laude vera dignos, de qua dicendum ſit illud Hor. A. P. 267 *Vitavi denique culpam, Non laudem merui.* Et tamen non poteſt ſibi noſter cavere quin ſtatim ita quoque laudet Mallium ſuum. Nempe verum putavit illud Plinii Pan. 53 *Nihil non parum grate ſine comparatione laudatur*: & quæ pro hoc laudandi genere ibi diſputantur plura.

Aſperat, aut rabidas ſuffundit ſanguine venas.
Nullaque mutati tempeſtas proditur oris.
Quin etiam ſontes expulſa corrigis ira,
Et placidus delicta domas. nec dentibus umquam
Inſtrepit horrendum, fremitu nec verbera poſcis.
Qui fruitur pœna, ferus eſt, legumque videtur
Vindictam præſtare ſibi: cum viſcera felle
Canduerint; ardet ſtimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus cauſſæ. Diis proximus ille,
Quem ratio, non ira, movet: qui, facta rependens,
Conſilio punire poteſt. mucrone cruento
Se jactent alii, ſtudeant feritate timeri,
Addictoque hominum cumulent æraria cenſu.
Lene fluit Nilus, ſed cunctis amnibus exſtat
Utilior, nullas confeſſus murmure vires.
Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens

Danu-

219 diffundit *vulg.* ſuffundit ex *MSS. Gron. & Heinſ. Habet etiam Cuj.* 231 adducto *al.* abducto *al.* 232 cunctis ſed amantibus *MS. unde* cunctis ſed & amnibus *conj. Heinſ. Pro* extat, exit *MS. quod placet Heinſ.* 234 acr. ac Rhodanus *MS. quod probat Barth. Pro* tacitas, tactas, tractas, fractas, raptas *al.*

220 *Proditur tempeſtas*, Metaphora elegans, cui ſimile eſt illud, quod & *cœlum concurrere* dicitur, vid. Ovid. Met. 15, 811 & in quocunque vehementi affectu *os* vel *labra*. Dixi ea de re ad Quintil. 10, 7. 8.

224 *Frui pœna* felici brevitate ille dicitur, cui ſuave eſt punire, qui gaudet, quoties puniendi vel cauſa, vel opportunitas, vel obtentus denique offertur.

226 *Candere* non ad ſolum illum ſplendorem & lucem ab igne pertinet: ſed calorem exprimit non minus quam verbum *ardere*, *inflammari*, niſi quod rariuſculum eſt. *Aquam* tamen *candentem* Columellæ 6, 5. 2. 12, 53. 4 & ſimilia olim in theſauros Linguæ Lat. retulimus. Tale etiam eſt *ardet ſtimulis.* Nempe Medici etiam *inflammationem* dicunt, quæ ab ictu vel vulnere excitata eſt. In deſcriptionibus naturæ & morum divinus eſt Claudianus.

231 *Addicere* Prætoris verbum eſt, cum pronunciat tradi debere rem aut hominem alteri. Intelligitur hic graſſata juris ſpecie avaritia.

232 *Exſtat* eſt eminet, præſtat. Quod autem de leni flumine ait poëta de locis planis intelligendum, quæ maris placidi inſtar inundat. Alia ratio Catadouporum, ubi ingenti fragore per anguſtias & præcipitia ruit. Eadem eſt Danubii & Gangis ratio. *Sanum gurgitem* vocat moderate fluentem: huic *inſani fluctus*, *furentes procellæ* & ſimilia opponuntur.

Danubius ripas. eadem clementia ſani
Gurgitis immenſum diducit in oſtia Gangen.
Torrentes immane fremant, laſſisque minentur
Pontibus: involvant ſpumoſo vortice ſilvas.
Pax majora decet. peragit tranquilla poteſtas
Quod violenta nequit; mandataque fortius urget
Imperioſa quies. idem prædurus iniquas
Accepiſſe preces: rurſus, quæ digna petitu,
Largiri facilis: nec, quæ comitatur honores,
Auſa tuam leviter tentare ſuperbia mentem.
Frons privata manet. nec ſe meruiſſe fatetur,
Qui creviſſe putat: rigidi ſed plena pudoris
Elucet gravitas faſtu jucunda modeſto.
Quæ non ſeditio, quæ non inſania vulgi
Te viſo lenita cadat? quæ diſſona ritu
Barbaries, medii quam non reverentia frangat?

Vel

235 *Pro* ſani, ſævi *al.* 236 deduxit *al.* 237 captis *al.* laſſis *ex MSS. Heinſ.* 243 largitor *vulg.* largitur *Cuj.* largiri *ex MSS. Heinſ.* 247 remoto *al. Sed* modeſto *etiam Vic. Vien. & Baſ. marg.* 250 media *vulg.* Medo *conj. Scal.* mediam, mediis *al.* medii *libris & auctoribus firmat Heinſ.*

236 *Laſſi pontes*, qui vi irruenti non amplius poſſunt reſiſtere, ut *feſſi cardines* Plin. 36, 15. *Laſſus* ſimiliter dictum 36, 352 ubi plura dedit Heinſius.

241 *Imperioſa quies*, tranquillitas, et placidus tenor mentis, qui tamen perficit conata melius, quam tumultus minax. Poteſt etiam inverti, dicique *Imperium quietum*.

245 Qui poſt acceptum honorem, *putat* ſe *illo creviſſe*, et majorem eſſe quam antea, eamque de ſe opinionem vultu, inceſſu, ſono vocis etc. prodit, ea re ipſa indicat indignum ſe honore propter humilitatem quandam et μικροψυχίαν. Pulchre Archidamus apud Plut. Apophth. Lacon. p. 218, E Philippum poſt Chæronenſem victoriam monuit, ſi umbram ſuam metiretur, deprehenſurum, non majorem nunc eſſe, quam fuerat.

247 Prudens contrariorum mixtura ac temperamentum, decorem quendam, ſuavitatemque ut cibis, ut orationi, quæ ſic fit acuta, ita moribus adfert. Nimia familiaritas in levitatem, gravitas in ſuperbiam, modeſtia in humilitatem exit; miſceantur hæc & temperentur, ſumma exiſtet jucunditas.

248 In ſimili re Virg. Aen. 1, 151 *cum pietate grauem & meritis ſi forte virum quem Conſpexere, ſilent, arrectisque auribus adſtant.*

250 *Medii reverentia*, intercedentis & interponentis ſe talis viri, qualem deſcribit Mallium. Sido. Apoll. Narbone ſ. 23, 241 *Hinc ſi fœdera ſolverentur orbis Pacem*

te

Vel quis non ſitiens ſermonis mella politi
Deſerat Orpheos blanda teſtudine cantus?
  Qualem te legimus teneri primordia mundi
Scribentem, aut partes animæ per ſingula, talem
Cernimus, & ſimiles agnoſcit pagina mores.
  Nec dilata tuis Auguſto judice merces
Officiis. illumque habitum, quo jungitur aulæ
Curia, qui ſocio proceres cum principe nectit,
Quem quater ipſe gerit, perfecto detulit anno:
Depoſuitque ſuas te ſuccedente curules.
  Creſcite virtutes, fecunda refloruit ætas:
Ingeniis patuit campus: certuſque merenti
Stat favor. ornatur propriis induſtria donis.
Surgite ſopitæ, quas obruit ambitus, artes.
Nil licet invidiæ, Stilicho dum proſpicit orbi,
Sidereuſque gener. non hic violata curulis,
Turpia non Latios inceſtant nomina faſtos.

Forti-

252 diſceret *Vien.* deferat *conj. Barth.* formidine *MS.* *An* Φόρμιγγα *ſomniabat, qui ſic ſcripſit?* 258 ſocios *al.* 261 creſcant *MS.* fecundaque floreat *omnes editi.* fecunda refloruit *quatuor MSS. ap. Heinſ. quod unice verum puto.*

te medio darent feroces Hunnus, Sauromates, Getes, Gelonus. Vid. ſupra 5, 310 & Drakenb. ad Sil. 16, 222.

253 Salmaſius præfat. ad Ampelium p. 9 librum Theodori noſtri de rerum natura, cauſiſque naturalibus, de aſtris, & aliis ejuſmodi, adhuc in Bibliothecis exſtare ait, manu exaratum, & pedeſtri ſermone compoſitum. Sed ibidem Manilii illos IV libros Aſtronomicon, quos noſtro Mallio, quem Manlium vocant, vir quidam doctiſſimus tribuerat, Auguſti ſæculo vindicat.

255 In verbo *agnoſcit* tropus eſt. Fratres, ut exemplo utar, ſe mutuo agnoſcunt, quia quibusdam in rebus, quas communes habuere, conveniunt: philoſophemata, ſententiæ, libri, & mores debent itidem germana eſſe, & inter ſe convenire, hoc exprimit noſter verbo *agnoſcit.* Judex ille generis humani negabit ſe noſſe eos, qui non ſunt ſua amicitia digni.

257 Ille *habitus* eſt trabea conſularis, qua æquatur, tanquam collega, principi ſenator.

262 *Patuit* capiendum ut præſens rei perfectæ, ut *apertus eſt*, ut *memini*, *novi:* ad quæ recte adjungitur *ſtat*, *ornatur* etc.

Fortibus hæc conceſſa viris, ſoliſque gerenda
Patribus, & Romæ numquam latura pudorem.
Nuntia votorum celeri jam fama volatu
Moverat Aonios audito Conſule lucos.
Concinuit felix Helicon, fluxitque Aganippe
Largior, & docti riſerunt floribus amnes.
Uranie redimita comas, qua ſæpe magiſtra
Mallius igniferos radio deſcripſerat axes,
Sic alias hortata Deas: „*Patimurne, ſorores,*
Optato procul eſſe die? nec limina noſtri
Conſulis, & ſemper dilectas viſimus ædes?
** Notior eſt Helicone domus. Geſtare curules,*
Et faſces ſubiiſſe libet. Miracula plebi
Colligite, & claris nomen celebrate theatris.
Tu Jovis æquorei ſubmerſam fluctibus aulam.

Oratum

273 rubuerunt *MS.* riſerunt *illuſtrat Heinſ. ad Ovid. Met.* 15, 205.
278 arces *Cuj.* * 278 *Hunc verſum ex optimis MSS. reſtituit Heinſ. niſi quod de Gevartii & ſua ſententia* Stelicone, *ortum a præcedente eſt, & quod Græci* σελιχῶν *ſcribunt, mutavit in* Helicone.

267 *Siderei* nomine quaſi occupat adulatio Honorii conſecrationem, ἀποθέωσιν, καταστερισμόν.

273 Quod *riſerunt amnes floribus*, ita intelligendum, ripas v. g. Permeſſi floribus veſtitas. Ceterum, quod hic Muſis quaſi diſpenſat operas ac miniſteria, in eo Uranie excepta, in qua ſecurus eſt etymologiam merito, fruſtra quæras, cur illi illud officium, aliud alii aſſignaverit. Ceterum pompam omnem & apparatum Ludorum conſularium pulchre proſecutus eſt, in qua illud obſervabile, Gladiatorum nullam fieri mentionem, quos tamen poſt legem Conſtantini M. non ille quidem, ut vulgo putabant eruditi, recruduiſſe interdum, ſed ad hæc Honorii tempora continuatos, & demum A. C. 404 quinque adeo poſt Conſulatum Mallii annis, Honorii lege abrogatos, copioſe oſtendit Jac. Gothofredus ad ipſam Conſtantini legem I C. Theod. de Gladiatoribus. Fuiſſe igitur debet propria quædam cauſa, cur vel non dederit gladiatores Mallius, (forte, quod Chriſtianus erat, ut conſtat ex Auguſti. Retractt. 1, 2) vel poëta illos omiſerit.

278 *Domus* Mallii nobis Muſis *notior* & familiarior eſt ipſo *Helicone* noſtro. De honore in curuli ſella collocandi, & ſuis humeris geſtandi conſules, quem hic Muſæ Mallio ſuo deſtinant, vid. ad 8, 12. Muſæ curulem ſubeunt, faſces præferunt, nihil aliud eſt, quam ornant ac ſublevant literæ magiſtratum.

280 *Clara theatra* reſonantia & illuſtria, nam ad vocem pariter atque ad lucem referri, notum eſt.

281 Neptuni (hic enim eſt *æquoreus Jupiter*) munus equi: in hujus tutela Circenſes, ipſe Equeſtris. *Arion* Adraſti equus, de quo 8, 553.

Oratum volucres, Erato, jam perge quadrigas,
A quibus haud umquam palmam rapturus Arion.
Illuſtret Circum ſonipes, quicumque ſuperbo
Perſtrepit hinnitu Bœtin, qui ſplendida potat
Stagna Tagi, madidoque jubas adſpergitur auro.
Calliope, liquidas Alciden poſce palæſtras.
Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis
Adſit, & Eleo pubes laudata Tonanti.
Tu juga Taygeti, frondoſaque Mænala, Clio,
I Triviæ ſupplex. non aſpernata rogantem
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.
Audaces legat ipſa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula niſu.
Ipſa truces fetus, captivaque ducat ab antris
Prodigia, & cædis ſitientem differat arcum.
Conveniant urſi, magna quos mole rudentes
Torva Lycaoniis Helice miretur ab aſtris:
Per-

288 uncta *ſuſpicabatur aliquando Heinſ. Sed bene eſt, quod nihil mutavit.* 294 legant *conj. Marcil. fruſtra.* 296 deferat *vulg.*, deſinat *MS.* 297 ruentes *al.*

286 Ad *ſtagna Tagi* ſunt illi equi Luſitani, quos a vento concipi propter celeritatem fabulabantur. A Tago etiam eſt illud *aurum madidum*: ramenta auri potata emicant per jubas.

287 *Liquidæ palæſtræ*, quas *unctas* ſolemni epitheto vocant. His præeſt Hercules, proprium palæſtritarum numen.

288 *Palæmoniæ coronæ*, quæ in Iſthmiis ludis, Palæmonis honori dicatis, reportantur: *Eleus Tonans*, Jupiter Olympius. Vult convenire poëta quidquid eſt nobilium, coronatorumque vel Iſthmiis vel Olympiis palæſtritarum.

290 *Taygetus* Laconiæ, Arcadiæ *Mænalus* montes, Triviæ, quæ eadem Diana & Latonia vocatur, venatibus ſacri & nobiles.

294 *Arte ligant ferarum colla*, qui vel ipſo brachiorum ac manuum complexu, nodo, nexu, angunt eliduntque adeo feras, vel laqueis aut veſtium injectu illas conſtringunt. Declaravit hoc pluribus I. F. Gronovius Diatribe in Stat. c. 24 p. 140 ſq.

296 *Prodigii* nomine extraordinariam, horribilem, miraculo ſimilem magnitudinem, robur, ſævitiem, oſtendit. *Differat arcum*, non utatur arcu & arte ſua ſtatim ad interficiendum, ſed vivas capiat.

297 *Moles* hic conatum & impetum, viresque applicatas notat, ut in illo *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.*

298 Calliſto Lycaonis filia corrupta a Jove, a Junone in urſam mutata, Helices nomine inter ſidera recepta. Quid igitur ſibi vult poëta

Perfoſſique ruant populo pallente leones,
Quales Mygdonio curru frenare Cybelle
Optet, & Herculei malint fregiſſe lacerti.
Obvia fulminei properent ad vulnera pardi
Semine permiſto geniti, cum forte leænæ
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter;
Hi maculis patres referunt, & robore matres.
Quidquid monſtriferis nutrit Gætulia campis,
Alpina quidquid tegitur nive, Gallica quidquid
Silva timet, jaceat. largo diteſcat arena
Sanguine. conſumant totos ſpectacula montes.
Nec molles egeant nota dulcedine ludi.
Qui lætis riſum ſalibus moviſſe facetus,
Qui nutu manibuſque loquax; cui tibia flatu,

Cui

301 optat *al.* malint *MS.* 305 referant *MS.* *hinc* Qui m. referant *conj. Heinſ.* 310 noſtra *vulg.* nota *Scal. Claver. Barth.* 312 nictu *MS.*

poëta cum *Helicen* a *Lycaonis aſtris* videtur diſtinguere? Scilicet in fabulis rigide exquirere omnia, & velut ad vivum reſecare non licet. Latentem velut facit Calliſto poſt ſtellas illas, quæ nomen illius habent.

299 *Perfoſſi* vulnerati, ſed in furorem potius concitati a vulnere, quam debilitati. *Pallet* populus, qui metuat, ne perrumpant feræ clathra oppoſita. *Mygdonium* vocant, quidquid alias Phrygium eſt: ipſa *Cybele*, *Cybelle*, vel *Cybebe* Dea Phrygia eſt, quæ leonibus curru junctis vehitur.

302 Deſcriptio hæc leonis non jubati ex pardo & leæna geniti, de quo Plin. 8, 15 quos Conſtantini ævo *Leopardos* dicere cœperunt.

304 *Viridis* color qualis bilis eſt, ut *χλωρὸς*, quod etiam pallorem narrat.

306 *Monſtrifera* omnis Africa, cujus Gætulia pars eſt. *In hac inopia aquarum ad paucos amnes congregantibus ſe feris, multiformes animalium partus. Unde etiam vulgare Græciæ dictum, ſemper aliquid novi Africam afferre.* Plin. 8, 15.

309 *Totos montes* conſumunt ſpectacula, dum feræ ex illis captæ conficiuntur, quarum ſolemne Græcis epitheton eſt, ut vocentur *ὀρεσίτροφοι* in montibus ſ. ſaltibus nutritæ.

310 Quos adhuc retulit ludos, illi ſunt duri, fortes, terribiles: ſuccedunt *molles.* Hos non vult *egere* h. e. carere conſueta dulcedine. Reſpondent ſibi *egere*, *deſiderare*, *carere* & ab altera parte *habere*: hinc eſt illud Stoicorum paradoxum, cum negant avarum eſſe divitem, quod ſemper egeat.

Cui plectro pulſanda chelys; qui pulpita ſocco
Perſonat, aut alte graditur majore cothurno:
Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces ſegetis moderatus aënæ,
Intonet erranti digito, penituſque trabali
Vecte laborantes in carmina concitet undas.
Vel qui more avium ſeſe jaculentur in auras,
Corporaque ædificent celeri creſcentia nexu,
Quorum compoſitam puer amentatus in arcem
Emi-

316 tegetis *ſuſpicabatur Heinſ. bonum factum quod nihil mutavit.* avenæ *Baſ. marg. it. Plant. marg.* 317 intonat - concitat *al.* pedibusque *conj. neſcio quis apud Barth. pulchre.* 318 relabentes *conj. Heinſ.* 321 augmentatus *vulg.* agmentatus *al.* aumentatus *al.* artem *vulg.*

313 *Soccum* comicorum eſſe calceamentum, ut *Cothurnus* Tragicum, nemo ignorat: ſed *Socco perſonare* mihi videtur indicare non ſimpliciter inceſſum actoris comici, verum *ſcabilla* potius ſ. *ſcamilla*, quorum plauſu ſonus & rhythmus efficeretur. Dixi ea de re in Theſauro Stephaniano.

315 His quatuor verſibus hydraulicum organum deſcribi apertum eſt: de quo genere attuli olim, quæ ſunt apud antiquos, Chreſtom. Plin. 47, 12 p. 403 ſq. & inter alia Epigramma Juliani Imperatoris ex Anthol. 1, 86 quo graphice deſcribuntur pneumatica organa noſtris valde ſimilia. Aulam Conſtantinopolitanam talibus organis, portabilibus tamen, in omni ſolemnitate uſam, apparet e libris cerimoniarum Conſtantini ante aliquot annos primum Lipſiæ editis. *Seges aëna* eſt ille numerus ingens tibiarum, *vectis trabalis*, quo tolluntur & adiguntur in anguſtias aquæ, quibus cedere per tibias aër cogitur. Ceterum ſi *penitus* vera lectio eſt, hoc ſignificabit, intro in ipſas fiſtulas intrudi aquas *laborantes*, expelli cum ſono aëra: ſed magis placet *pedibus* quibus urgendo aquæ conceptacula aut folles adeo ſibi miniſtrare aëra ipſe organoedus in minoribus organis poteſt.

319 *Petauriſtam* deſcribit, quod genus ſaltus & jactationes admirabiles dabat. Deſcriptiones Manilianas & Martialis dedimus explicavimusque in theſauro Stephaniano.

320 *Pegmata* hæc ſunt, quo nomine ipſe mox poëta utitur. Etiam hæc ſatis diligenter in theſauris noſtris deſcripta dedimus. *Puer amentatus*, qui ut haſta amenti ſ. lori ope torquetur, ita ipſe funibus quibusdam e ſeta equina vel alioquin tenuibus, & viſum facile fugientibus, ſubito raptatur in altum ut ſaltum feciſſe, vel volare videatur. Tales memorat Juvenalis 4, 122 *Et pegma, & pueros inde ad velaria raptos.*

Emicet, &, vinctus plantæ vel cruribus hærens,
Pendula librato figat veſtigia ſaltu.
Mobile ponderibus deſcendat pegma reductis,
Inque chori ſpeciem ſpargentes ardua flammas
Scena rotet. varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus, pictæque citato
Ludant igne trabes, & non permiſſa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.
Laſcivæ ſubito confligant æquore lembi,

Stagna-

322 vinctu *legendum puto.* 325 parcentes *conj. Heinſ.* 330 laſcivi *vulg.* laſcivæ *ex bonis MSS. Heinſ.* 331 immerſa *Vic. Vien. ſed hic in marg.* immenſa. inverſa *vulg. & Barth.* immiſſa *libris & exemplis firmat Heinſ. Habet etiam Cuj.*

322 Obſcurus mihi verſus, quem pulchre intelligam, ſi legere liceat *vinctu.* Vidi mulierem funambulam, quæ non ſine terrore ſpectantium aliquando caſum ſimularet, ſed altero poplite hæreret in fune. Eadem ſudarium alligaverat talo, & ita cadebat feliciter, ut ad illum ipſum nodum, (cui forte uncus e metallo innexus fuit) funi adhaereſceret. Hæc & *crure* hæſit, & *vinctu plantæ. Pendula veſtigia* & *libratum* ope vectis *ſaltum*, facile intelligit, quiſquis ſchœnobaten ſ. funambulum vidit.

324 Si ſummæ partes pegmatis ope trochleæ & ponderum elevatæ ſunt; *reductis* & ſublatis ponderibus ſubito deſcendunt.

325 *Spargentes flammas* poſſis intelligere ſpargentes ſe. Sed multo potior eſt Heinſiana emendatio *parcentes*, h. e. innoxias; non inhærentes, quales ſunt hodie in poteſtate artificum. Hic eſt ille *Mulciber impune vagus, & non permiſſa morari incendia*, de quibus ſtatim. Colligo etiam ex hoc loco, artifices illos pegmares ita ordinaſſe pegmata ſua, & petauros, ut videretur aliquis in præſentiſſimo incendii & vivi comburii periculo conſtitutus, ignibus jam circumdatus, audaci ſaltu, vel volatu portentoſo ſe eripere. Certe talem ludum in animo habuiſſe puto Manilium 5, 441, ubi poſtquam memoravit *Corpora quæ valido ſaliunt excuſſa petauro*, addit, *Membrave per flammas orbesque emiſſa flagrantes* (i. ignes in orbem circumdatos) *Delphinumque ſuo per inane imitantia motu*, (Delphini enim *ut arcu emiſſi* —— *emicant, tantique vi exſiliunt, ut vela navium tranſvolent* Plin. 9, 8) *Et viduata volant pennis, & in aëre ludunt.* Quod Claudianus ait, *in chori ſpeciem*, ipſe ſtatim declarat, cum dicit, Vulcanum (is enim eſt *Mulciber) orbes effingere.*

330 *Subitum æquor*, Naumachias vocabant ipſos lacus manu factos, in quos *immitti* per Euripos aqua poſſet ad repræſentandam nava-

 lem

Stagnaque remigibus ſpument immiſſa canoris.
Conſul per populos, idemque graviſſimus auctor
Eloquii, duplici vita ſubnixus in ævum
Procedat, libris pariter faſtiſque legendus.
Accipiat patris exemplum, tribuatque nepoti
Filius, & cæptis ne deſit faſcibus heres.
Decurrat trabeata domus, tradatque ſecures
Mutua poſteritas, ſervatoque ordine fati
Mallia continuo numeretur Conſule proles.



333 vitta, mitra, fama *MSS.*

lem pugnam ſ. *ναυμαχίαν.* *Canori* remiges, qui cum alias cantu ſolentur & rhythmo æqualiter diſtribuant laborem, hic Pæana ceciniſſe videntur novo conſuli.

336 *Cæptis faſcibus* videtur ſignificare Poëta, conſularem dignitatem domui ſuæ illatam a Theodoro Mallio: unde ſimul probabile fit, non *Manlium* vocatum fuiſſe, qui enim decora Manliorum hic tacuiſſet Claudianus? ſed Mallium.

338 *Fati ordo* eſt ut filii ſuccedant patribus.

XVIII CL.

XVIII

CL. CLAUDIANI
IN EUTROPIUM*

LIBER I

Semiferos partus, metuendaque pignora matri,
Mœnibus & mediis auditum nocte luporum[1]
Murmur,

1 in med. *al.*

* Hominem ex hoc carmine ipſo melius quam undecunque noſſe poterunt lectores, hominem caſtratum e neſcio quo gynæceo prorepentem, qui tandem apud Arcadium Præpoſitus Cubiculi, immo Patricius (vid. v. 109) & Conſul cum Theodoro Mallio A. C. 399 in ipſo Conſulatu, dejectus Gainis cum Tribigildo occultam ſocietatem habentis artibus, quin Stilichonis, et Eudoxiæ adeo Auguſtæ (vid. Philoſtorgii excerpta H. E. 11, 6) molitionibus, confugit in eccleſiam Conſtantinopoli, tanquam in aſylum, quo jure illam paullo ante privare conatus erat: in qua cum ſupplex jaceret ad altare, habuit orationem Jo. Chryſoſtomus (edit. Montf. T. 3 p. 379 ſqq.) vehementem, qua invehitur in hominem, vanitatem rerum humanarum oſtendit etc. tamen illum, quantum poteſt, tuetur, & hortatur auditores, ut Dei illum atque Imperatoris miſericordiæ commendent. Ceterum Eutropius clam elapſus de eccleſia relictoque adeo (quod proxima oratione inculcat Chryſoſtomus) aſylo, abripitur exilii cauſa in Cyprum: ſed retractus inde ejuſdem Gainis arte Chalcedonem, ibi interficitur. Vid. Zoſim. 5, 18. Et de tota Eutropii hiſtoria Proſopogr. Cod. Theod. it. vita Chryſoſtomi Montefalconiana ad A. 399. In Suidæ de illo Collectaneis, hoc ſingulare, quod dicitur, illo florente, Eunuchorum genus adeo proceſſiſſe & auctum eſſe numero (τοσοῦτον ἐπέδωκε καὶ παγετάθη πλήθος) ut quidam jam barbati, cum vellent eunuchi fieri, cum virilibus vitam quoque amiſerint, σὺν τοῖς ὄρχεσιν ἀφῃρέθησαν καὶ τὰς ψυχάς. Claudianus, qui vel ſcripſit hunc librum, vel ſcripſiſſe poſtea videri voluit (20, 8) ad primum nuncium de Conſulatu Eutropii Romam perlatum, modo ad ultimum usque actum & motum Stilichonis perducit fabulam altero libro: in cujus præfatione in Cyprum abducto inſultat. Reliqua an tertio libro deperdito tractavarit, quod viris doctis, videtur, mihi non liquebat. Cum in his libellis impotenter adeo toti Eunuchorum generi maledicat, miror interdum, ſi Narſes, cum rerum in Italia poteretur, vel clientes illius, non ſtuduerunt illos abolere.

1 Enarrat prodigia, quibus Romam nunciatis ſolebant homines commoveri & procurandi expiandique cauſa multa moliri: hisque omnibus majus eſſe dicit Eunuchum Conſulem. Ipſa prodigia, & quæ expiandi cauſa facta ſint, facile eſſet ex Ciceronis de Natura Deorum ac de Divinatione libris, ex Livio item & Julio Obſequente & obſervationibus ad eos

virorum

Murmur, & attonito pecudes paſtore locutas,
Et lapidum diras hiemes, nimboque minacem
Sanguineo rubuiſſe Jovem, puteoſque cruore
Mutatos, viſaſque polo concurrere Lunas,
Et geminos Soles mirari deſinat orbis.
Omnia ceſſerunt eunucho Conſule monſtra.
Heu cœli terræque pudor! trabeata per urbes
Oſtentatur anus, titulumque effeminat anni.
Pandite Pontifices Cumanæ carmina vatis,
Fulmineos ſollers Etruria conſulat ignes,

Immer-

6 binasque *MSS.*

virorum doctorum, quin copioſiſſimis ad hunc ipſum locum curis Barthii, verboſe enarrare: ſed modum ſeruamus, quem alias, & ea maxime adferimus, quibus ægre carere quosdam lectores ſuſpicamur: illud primum, *monſtra, oſtenta, prodigia, portenta* dicta videri Tullio de N. D. 2 c. 3 ex eo, quod extraordinariis eventibus vel phænomenis putarent homines divinitus aliquid ſibi *monſtrari, oſtendi, prodici, portendi.* Quo in genere cum etiam Eclipſes Solis ac Lunæ majores, & Cometas referrent homines, etiam his ſignificandi quandam vim ineſſe, perſuaderi ſibi paſſi ſunt. Ceterum juvabit poëticæ artis candidatum componere hunc locum cum 20, 40 ſqq. ubi etiam prodigiorum manipulus ennarratur.

1 *Metuenda pignora*, antitheton acutum. *Pignora* vocant liberos ob caritatem: hic, ſi ſint *ſemiferi* partus, *metuenda*, ob aſpectum horribilem per ſe, & denunciantem inſuper mala futura.

3 Inter frequentiſſima prodigia *Bos locuta: pluvia lapidum*, vel *ſanguinis.*

6 *Paraſelenas* illud phænomenon ac *Parelios* vocant, & explicant Phyſici.

8 *Eunucho conſule* poſſis forte pro Ablativis conſequentiæ habere, cum Conſul eſſet Eutropius, pudore velut ceſſerunt & ſubduxerunt ſe monſtra omnia. Sed nihil impedit, quo minus Dativo caſu accipiamus: cujus generis exempla collegit poſt Popmam Voſſ. de Anal. 2, 10 pr.

9 *Trabea* noſtro ordinarie vocatur conſularis veſtis. Vid. 8, 640. Quod *anum* vocat, eodem verbo & virilitatis ademtæ, & formæ ab aetate corruptæ dedecus exprobrat. Quod ait, *titulumque effeminat anni*, opponit illis adulantium vocibus, quas cum Cæſaris illo in dictatura Conſulatu cœpiſſe ait Luca. 5, 384 *Scilicet indulgens ſummum Dictator honorem Contigit, & laetos fecit ſe conſule faſtus:* qualia multa ipſe noſter in Conſulatibus quos cecinit.

11 Quod *Pontifices* nominat, latiori paullo ſignificatione utitur pro Quindecimviris ſacrorum. Commune eſſe nomen Pontificum aliis quoque ſacerdotiis ex Inſcriptionibus oſtendit Guther. de jure Pontif. 1, 5.

12 *Etruſcorum & haruſpicini & fulgurales & rituales libri* commemorantur Cic. de Divinat. 1, 23.

Immerſumque nefas fibris exploret haruſpex.
Quæ nova portendunt Superi! Niluſne meatu
Devius, & noſtri teneat jam transfuga mundi
Se rubro miſcere mari? ruptone Niphate
Rurſum barbaricis Oriens vaſtabitur armis?
An morbi ventura lues? an nulla colono
Reſponſura ſeges? quæ tantas expiet iras
Victima? quo diras jugulo placabimus aras?
Conſule luſtrandi faſces, ipſoque litandum
Prodigio: quodcumque parant hoc omine fata,
Eutropius cervice luat. ſic omnia volvis?
Hoc regni, Fortuna, tenes? quænam iſta jocandi
Sævitia? humanis quantum bacchabere rebus?
Si tibi ſervili placuit fœdare curules

 Crimine,

13 immenſumque *al.* immerſ. *ex MSS. Heinſ.* 14 portendant & *mox* tendat *MSS. quod placet Heinſ. qui uſum verbi illuſtrat. Ego nihil mutem.* 22 canant *al. etiam Baſ. marg.* 23 omina *al.* numina *al.* nobis *al.* 24 hæc r. ſ. tenes *al.*

13 *Immerſum* pulchre: latet enim in extorum fibris, quidquid eſt mali, quod portenditur, inde ab haruſpicibus eruendum.

15 Non loquitur poëta de illis canalibus, quibus partem Nili conati ſunt & Aegyptii reges, & quidam imperatores Romani cum Rubro mari h. e. ſinu Arabico connectere: ſed de portentoſa immutatione totius fluminis, ut Nilus non jam ex Aethiopia in internum mare decurrat, ſed retro acto curſu externum mare, meridionalem Orientalemque Oceanum, qui totus Rubrum mare eſt, ingrediatur.

16 *Niphates* mons ad Armeniam, & terminos Parthici olim, tunc Perſici imperii deſignandos a Poëtis adhiberi ſolet.

19 *Reſpondet* qui parere vult: eadem ergo figura, qua in Aeneidos veſtibulo dicuntur *arva parere colono*, hic *reſpondere ſeges* dicitur. Quin ipſe Virg. Ge. 1, 38 *Illa ſeges demum votis reſpondet avari Agricolæ.* Sæpe ita Columella.

21 *Faſces polluti* hoc Conſule (vid. verba Reſcripti, quæ damus ad 19, 19) ipſo Conſule mactato *luſtrandi.* Prodigium ipſum idem hoſtia debet fieri. *Omen* hic latius ſumitur, pro quacunque futuri ſignificatione.

23 *Luendi* verbum non tantum *lavare* ſignificat, quod in compoſitis præſertim quibusdam manifeſtum eſt: ſed etiam *ſolvere*, numerata pecunia, vel danda poena. *Volvere* eſt ſurſum deorſum vertere, ut in cylindro, ſphæra, rota.

24 Antitheton, alias jucundum hic vehemens, ſimile illi Hor. Car. 3, 29. 49 *Fortuna ſævo læta negotio, & Ludum inſolentem ludere pertinax.* *Bacchari* ebrium furorem notat, quem inconſtantia præſertim comitatur. Cf. v. 142.

Crimine, procedat laxata compede Conſul:
Rupta Quirinales fumant ergaſtula cinctus.
Da ſaltem quemcumque virum. diſcrimina quædam
Sunt famulis ſplendorque ſuus; maculamque minorem
Conditionis habet, domino qui vixerit uno.
Si pelagi fluctus, Libyæ ſi diſcis arenas,
Eutropii numerabis heros. quot jura, quot ille
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit!
Nudatus quoties, medicum dum conſulit emtor,
Ne qua per occultum lateat jactura dolorem?
Omnes pœnituit pretii. venumque redibat,
Dum vendi potuit. poſtquam deforme cadaver
Manſit, & in rugas totus defluxit aniles;
Jam ſpecie doni certatim limine pellunt,
Et fœdum ignaris properant obtrudere munus.

Tot

29 des *al. pro* ſaltem, alium *Baſ. marg.* 31 uni *Heinſ.*
35 mutatus *Cuj.* 39 diffluxit *malit Heinſ.*
41 ignari *Baſ. marg.*

27 *Crimen ſervile* eſt ignominia, qua conſulatus afficitur, quod ſervus fit conſul. *Procedat* ad illum *proceſſum* pertinet, quem in numis etiam celebratum declarat Spanh. Diſſ. 12 p. 457 ſq. cujus mentio ſupra etiam facta 7, 8. *Cinctus Quirinalis*, quem *Gabinum* vocat 7, 3.

31 *Domino uno vivere*, ut *Pravo vivere naſo* Hor. Art. 36. *Vivere occipiti cæco* Perſ. 1, 61 & *Aperto vivere voto* Id. 2, 7.

33 Quoties ſervus alium dominum accipit, fit juris alterius, itaque *mutat jura*. Sed *tabulas* etiam emtionis, aut rationum *mutat*, h. e. mutandis occaſionem præbet. Denique *vertit vocabula* ſ. nomina herorum, cum eſſet Pompeii fit Tullii: quin ipſe quoque, ſi velit heros, aliud nomen accipit.

35 Ad hoc erat *cataſta*, machina, qua incluſi ad arbitrium emtoris præbere conſpectui & tactui membra omnia cogerentur. Hic diſcimus, medicum etiam adhibitum, qui valetudinem venalis exploraret. *Ne qua jactura* emtoris imprudente illo fieret, per *occultum* ipſi morbum mancipii.

39 *Defluxit in rugas* videri poteſt incongrue dictum: nam *contrahi* potius *in rugas* videntur ſenilia corpora. Sed cogitemus, tamen rugas eſſe a ſoluto illo vegeto cutis tenore, & tenſione, qua reſtituitur in æquabilem planitiem: fluxa, collapſa in rugas cutis frontis, non poteſt reſtitui.

41 Hic in mentem venit Terentii (Eun. 4, 41. 21) lectoribus ille Dorus Thaidi donatus a Phædria *vietus*, *vetus*, *veternoſus ſenex*, *colore ſtellionino*.

Tot translata jugis ſummiſit colla vetuſtum
Servitium, ſemperque novum, nec deſtitit umquam.
Sæpe tamen cœpit. cunabula prima cruentis
Dedita ſuppliciis. rapitur caſtrandus ab ipſo
Ubere. ſuſcipiunt, matris poſt viſcera, pœnæ.
Advolat Armenius certo mucrone reciſos
Edoctus mollire mares, damnoque nefandum
Aucturus pretium, fecundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis, unoque ſub ictu
Eripit officiumque patris, nomenque mariti.
Ambiguus vitæ jacuit, penituſque ſupremum
In cerebrum ſecti traxerunt frigora nervi.
Laudemuſne manum, quæ vires abſtulit hoſti?
An potius fato cauſam tribuiſſe queramur?
Profuerat manſiſſe virum. felicior exſtat

 Oppro-

42 locis *Baſ. marg.* 45 debita *al.* *quod non damnaverim.* dedit *firmat Heinſ. ad Ovid. Met.* 49 inguen *Baſ. marg. & al.*

43 Non *deſtitit* h. e. deſiit in univerſum ſervus eſſe, *ſæpe tamen cœpit* nunc hujus eſſe domini, nunc alterius.

45 Quo adultiores ſint, eo majori cum periculo caſtrari, notum eſt. *Supplicia* & *Pœnas* hic dici, ut ſæpe, pro doloribus, ſine reſpectu ad meritum, apparet.

47 *Armenii* Perſarum vicini, apud quos magna Eunuchorum pretia, videntur hoc genus mangonii præter ceteros exercuiſſe, cum in orbe Romano, cujus pars a Trajani ætate non erat Armenia, illud legibus eſſet vetitum. Vid. VV. DD. ad Sueto. Domitia. c. 7. JCtos ad l. 3 §. 4 & ad l. 4. 5. 6 D. de Sicariis, & ad l. 1 c. quæ eſt Conſtantini M. de eunuchis.

48 Pretioſiores enim facti damno illo corporis ſui, quod ad infandam libidinem obſcenis hominibus viderentur aptiores. Hinc Ulpianus l. 27 §. 28 D. ad L. Aquiliam, *Si puerum quis caſtraverit, & pretioſiorem fecerit, Vivianus ſcribit, Ceſſare Aquiliam* etc. Quinctil. 5, 12. 17 *Mancipiorum negotiatores formæ puerorum virilitate exciſa negotiantur.*

49 Semnologiæ poëticæ ſpecimen admirabile.

53 De conſenſione partium propagationi generis dicatarum cum cerebro & medulla ſpinali, plena omnia, a Platonis inde Timæo extremo, ad noſtra tempora. *Frigidi* & *Maleficiati* junguntur in Decretalibus 4. 15. Sed eſt apud ipſum Virg. Ge. 3, 97 *Frigidus in Venerem ſenior.*

55 *Fato*, quod Eutropius in aulam venit, quod rebus gerendis admotus, quod Conſul factus eſt, *cauſam* tribuit ipſum corporis evirati dedecus. Non enim veniſſet in aulam, niſi fuiſſet caſtratus.

56 *Profuerat* reip. illum *virum manſiſſe:* ipſe ab hac injuria exſtitit h. e. factus eſt felicior.

Opprobrio. ſerviret adhuc, ſi fortior eſſet.
Inde per Aſſyriæ trahitur commercia ripæ.
Hinc fora venalis Galata ductore frequentat,
Permutatque domos varias. quis nomina poſſit
Tanta ſequi? miles tabulis Ptolemæus in illis
Notior. hic longo laſſatus pellicis uſu
Donat Arinthæo. neque enim jam dignus haberi,
Nec maturus emi. cum faſtiditus abiret,
Quam gemuit, quanto planxit divortia luctu!
„Hæc erat heu, Ptolemæe, fides? hoc profuit ætas
In gremio conſumta tuo, lectuſque jugalis,
Et ducti toties inter præſepia ſomni?
Libertas promiſſa perit, viduumne relinquis
Eutropium? tantaſque premunt oblivia noctes
Crudelis? generis proh ſors duriſſima noſtri!

Femina

61 tabulis *MSS. ap. Heinſ. it. Cuj. Fluctuatur hic & 156.* 63 Arantheo, Ariſthæo *&c. al.* Arinthæo *MSS. Barth. ex Ammia. Cod. Theod. &c.* 65 quæ genuit *vulg.* quam gemuit *MSS. Heinſ. it. Cuj.* 66 hæc erat, heu *al.*

61 *Tanta* hac ætate eſt tot, & bona etiam ætate ſic eſſe locutos, obſervatum ad 5, 106. *In illis* tot nominibus *Ptolemæus miles notior eſt ſtabuli* hujus, Eutropii nempe, cauſa. *Stabulum* vocat ea figura qua *Curio* Cæſarem dixit *ſtabulum Nicomedis*, apud Sueto. Cæſ. c. 49. *Notus ſtabuli* ut Hor. Car. 2, 2. 4 *Notus animi paterni.* Niſi tamen jungendum eſt *miles ſtabuli* i. ſtationis alicujus, curſui publico deſtinatæ, præfectus. Favere videtur, quod mox *præſepia* memorantur, & forte huc alluſum 20, 93. Sed neſcio, an alia ſit talis *militis ſtabuli* auctoritas. Quibus *tabulis* placet, emtionum & cenſus tabulas intelligunt. Add. infra v. 478 ſq.

64 *Nec maturus emi*, non amplius talis, quem quis pretio emtum vellet, quare donandus vel abjiciendus potius erat.

66 Loquitur ut uxor divortio pulſa e mariti conjugio. Tota hæc oratio ſummam ſæculi corruptionem indicat, cum non veritus eſt poëta aulicus verbis quidem honeſtis, ſed ſummam tamen turpitudinem ita aperte ſignare.

68 *Præſepia* quid ſibi hic velint, facilius intelligetur, ſi ponamus Ptolemæum fuiſſe *ſtabuli* ſ. *ſtationis* cuſtodem. Sed auctoritatem, ut modo dicebam, deſidero. Et poteſt illud *inter præſepia* forte humilitatem & nequitiam ipſius quoque Ptolemæi ſignificare, ut in illo Cic. in Piſo. c. 18 *Audis philoſophos Græcos in præſepibus, audis in ſtupris: audis in cibo & vino.* Beluinam puto vitam & humilis nequitiæ plenam ſic ſignari, ubi homines in ipſis lectis convivalibus, ut ad præſepia boves, obdormiſcunt, quod Germanos audivi ita exprimere, *wie die Schweine bey dem Troge liegen bleiben.*

Google

Femina cum ſenuit, retinet connubia partu,
Uxoriſque decus matris reverentia penſat.
Nos Lucina fugit, nec pignore nitimur ullo.
Cum forma dilapſus amor. defloruit oris
Gratia. qua miſeri ſcapulas tutabimur arte?
Qua placeam ratione ſenex?„ Sic fatus acutum
Aggreditur lenonis opus. nec ſegnis ad artem
Mens erat, officiique capax, omneſque pudoris
Hauſerat inſidias. cuſtodia nulla tuendo
Fida toro. nulli poterant excludere vectes.
Ille vel ærata Danaën in turre latentem
Eliceret. fletus domini fingebat amantis.
Indomitaſque mora, pretio lenibat avaras,
Laſcivaſque jocis. non blandior ullus euntis
Ancillæ tetigiſſe latus, leviterque reductis
Veſtibus occulto crimen mandare ſuſurro,
Nec furtis quæſiſſe locum, nec fraude reperta
Cautior eluſi fremitus vitare mariti.
Haud aliter juvenum flammis Ephyreia Lais
Et gemino dotata mari cum ſerta refundit

P 5 Canities,

74 nititur *al.* 77 *Poſt* acutum *incidi. vult Rubenius, ut ſumatur adverbii more.* avitum *Baſ. marg.* 82 ſub turre *MS. it. Vien.* e turre *MS,* 83 illiceret *vel* pelliceret *conj. Heinſ.* 91 et gem. *al. etiam Cuj.* de g. *it.* in g. *al.*

74 *Lucina,* Ilithyja, quæ partibus præeſt.

75 *Scapulas tutabimur* a ſervilibus plagis, quæ illis partibus ſolent imponi. Ter. Phor. 1, 2. 26 Geta queritur, *ſenibus fidelis dum ſum, ſcapulas perdidi.*

82 Cui non in mentem venit Hor. Car. 3, 15 *Incluſam Danaën turris ahenea* etc.

84 *Indomitas* mulieres, feroces, jugum amoris recuſantes ἀδμῆτας, *lenibat mora*, h. e. perſeverantia, conſtantia, molliebat.

85 Magiſter amandi jam a Barthio huc advocatus Artis 1, 605 *Inſere te turbæ leviterque admotus eunti, Velle latus digitis, & pede tange pedem. Reductas veſtes* de velo ſ. palliolo capitis tegumento intelligere res ipſa monet. *Fraude reperta*, cum data ſibi verba maritus ſentit.

90 *Ephyreja*, Corinthia, de qua ortum illud *Non cuivis homini contingit adire Corinthum. Geminum mare* ſinus hinc Corinthius, hinc Saronicus, inter quos Iſthmus cui Corinthus inædificata: ex utroque hoc ad navigantes juvenes dotant, donis cumulant Laida. *Canities refundit ſerta*, reſpuit, a quibus arguatur. Roſæ & lilia lividum pallorem vetularum magis horribilem reddunt. Placet fere magis *refutat*.

Canities, jam turba procax, noctiſque recedit
Ambitus, & raro pulſatur janua tactu,
Seque reformidat ſpeculo damnare ſenectus:
Stat tamen, atque alias ſuccingit lena miniſtras,
Dilectumque diu quamvis longæva lupanar
Circuit, & retinent mores, quod perdidit ætas.
Hinc honor Eutropio, cumque omnibus unica virtus
Eſſet in eunuchis, thalamos ſervare pudicos,
Solus adulteriis crevit. nec verbera tergo
Ceſſavére tamen, quoties decepta libido
Irati caluiſſet heri. fruſtraque rogantem,
Jactantemque ſuos tot jam per luſtra labores,
Dotalem genero nutritoremque puellæ
Tradidit. Eous rector Conſulque futurus
Pectebat dominæ crines, & ſæpe lavanti
Nudus in argento lympham geſtabat alumnæ.

Et

92 refutat *MSS.* refudit *Vien. Baſ.* 93 ductu *Cuj.* 94 damnante *vulg.* 96 diu *primæ editt.* ſemel *etiam Baſ. marg.* 99 *Pro* eſſet, hæc ſit *conj. Heinſ.* 102 negantem *MS.*

93 Sic Hor. Car. 1, 25 *Parcius junctas quatiunt feneſtras* etc.

94 *Speculo ſe damnat*, quæ cogitur credere ſpeculo, ſe deformem. Ponamus & nos Auſonianum epigramma 54 *Lais anus Veneri ſpeculum dico: dignum habeat ſe Aeterna aeternum forma miniſterium. At mihi nullus in hoc uſus, quia cernere talem, Qualis ſum, nolo; qualis eram, nequeo.*

99 Ipſum nomen inde derivant, ut ſit *εὐνοῦχος εὐνὴν ἔχων* lectum habens ſ. *ſervans thalamum*: cubicularios enim caſtratos habebat ab omni memoria Oriens: unde nec ſemper injuriæ & mutilati corporis notionem habet: quin derivant nonnulli *ἀπὸ τοῦ εὖ νοῦν ἔχειν*. Vid. quæ ad Heſych. *ἀοιδὸς* it. *Δοῖδος* [corruptum ex *ἀοιδὸς*] diſputant viri docti: quorum nemini in mentem veniſſe miror, communionem nominum *ἀοιδὸς* et *εὐνοῦχος* ſ. *σπάδων* forte inde eſſe, quod olim etiam, ut hodie, ob vocis ſubtilitatem canere docti ſunt, *cantoresque* adeo, *ἀοιδοὶ* fuere. Sed modo non eſt otium diligentius ea de re quærendi: valde obviam quidem non eſſe, video. Nam Terentianus ille *in muſicis* eruditus, Eunuchus non erat.

104 Herus ſuus Eutropium, quem amóliri cupiebat, in reliquis rebus dotalibus dat ſuo genero, tanquam nutritorem & educatorem filiæ ſuæ, quam ſic elocabat.

105 Solebat tum conſulum alter eſſe in Oriente, Conſtantinopoli, alter in Occidente, Romæ vel Mediolani. Sed poteſt tamen fieri, ut hic potius Præfectum Prætorio Orientis Rectorem poëta intellexerit. Vide dicenda ad 230 et 286.

107 Etiam Phædrus 4, 4. 22 *mundum muliebrem*, & *lavationem argenteam* conjunxit.

Et cum ſe rapido feſſam projecerat æſtu,
Patricius roſeis pavonum ventilat alis.
Jamque ævo laxata cutis, ſulciſque genarum
Corruerat paſſa facies rugoſior uva,
Flava minus preſſo finduntur vomere rura:
Nec vento ſic vela tremunt. Miſerabile turpes
Exedere caput tineæ. deſerta patebant
Intervalla comæ: qualis ſitientibus arvis
Arida jejunæ ſeges interlucet ariſtæ:
Vel qualis gelidis pluma labente pruinis
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.
Scilicet ut trabeis injuria creſceret olim,
Has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ

109 pavonem *MSS. quod placet Heinſ.* 111 aruerat *conj. Pricæi* marcuerat *conj. Heinſ. & verbum illuſtrat.* 120 ori *conj. Heinſ. non bene.*

109 *Patricius* inter titulos eſt Eutropii, qui illi adimuntur l. 17 C. Theod. de Poenis, ubi etiam de hac dignitate Gothofredus. Breviter Sozom. 8, 7 Τηνάτω καὶ πατρὸς βασιλέως ἀξίᾳ ἐτιμήθη. Vid. infra 19, 2 coll. 50 it. 20, 68. De tota dignitate Jac. Gothofr. ad C. Theod. (L. 6 t. 6) de Conſulibus, Præfectis, Magiſtris militum & Patriciis, Paratitlo & Comm. ad l. 1. Aſpere de hac re Philoſt. H. E. 11, 4 Καὶ ἦν λοιπὸν πατὴρ ὁ Εὐνοῦχος βασιλέως, ὁ μηδὲ τὸν τυχόντα παῖδα φῦσαι δυνάμενος.

114 *Tineæ* variarum rerum peſtis, librorum præſertim, unde Horat. Epiſt. 1, 20. 12 minatur libro ſuo, *Tineas paſces taciturnus inertes.* Sed hic puto crinium morbus eſt, noſtri vocant *Haarmilben*, Belgæ *Hayrworm.* Eam certe vim habent, quam illæ *tineæ*, contra quas armat ſuos Cato de R. R. c. 98 *Veſtimenta ne tineæ tangant:* & de quibus Horat. Ser. 2, 3. 119 *Stragula veſtis, Blattarum ac tinearum epulæ.* Cum hac *tinea* capillos & *caput* adeo *exedente*, quin cognationem habeat vox Gallorum *Teigne*, non dubito. Sitne præter morbos ulceroſos, cum cute capillum vaſtantes, etiam vermiculus, ſalva cute infeſtus crinibus, quod de nominibus Belgarum pariter & noſtrorum ſit probabile, viderint medici. Quos conſului, videbantur mihi perplexe loqui. Cf. v. 136. 260.

116 *Interlucet*, credo, eſt lucem & proſpectum transmittit ob raritatem culmorum *ſeges arida* ante tempus, *ariſtæ* h. e. ſpicæ, *jejunæ*, vacuæ a granis, ac nimis tenues adeo.

117 Plin. 10, 24 ſ. 34 *Hirundines in vicina abeunt, apricos ſecutæ montium receſſus: inventæque jam ſunt ibi nudæ atque deplumes.* Res eadem, de qua poëta, cujus narratio veriſimilior, certe lucidior, cum cauſam adjiciat.

120 *In fronte notas* vocat illas depilatas a tineis capitis maculas, quaſi ſtigmata vellet indicare. *Luxuriam* tribuit *Fortunæ*, quæ inſolenter inſultare, videretur per hunc talem Conſulem imperio Ro. & humano generi. *Nuda oſſa* dicit calvariæ, licet cutis illis obtenta eſſet, ſed arida, dura, pallida, oſſibus ſimilis.

Luxuriæ Fortuna ſuæ; cum pallida nudis
Oſſibus horrorem dominis præberet imago,
Decolor & macies occurſu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia menſis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen,
Et nihil exhauſto caperent in ſtipite lucri.
Sternere quippe toros, vel cædere ligna culinæ,
Membra negant. aurum, veſtes, arcana tueri
Mens infida vetat. quis enim committere vellet
Lenoni thalamum? tandem ceu funus acerbum,
Infauſtamque ſuis truſere penatibus umbram.
Contemtu jam liber erat. ſic paſtor obeſum
Lacte canem ferroque ligat, paſcitque revinctum,
Dum validus ſervare gregem, vigilique rapaces
Latratu terrere lupos. cum tardior idem
Jam ſcabie laceras dejecit ſordidus aures,

Solvit,

126 ceſpite *MSS. & Caſ. it. Vic.* e ſtipite *conj. Heinſ.* 129 invita *Baſ. marg.* 131 miſere *al.* 136 demiſit ſordibus *vulg.*

125 *Crimen famulis:* hisne qui intromiſiſſent tam male ominatum monſtrum potius quam hoſpitem? an his, qui non ſubmoviſſent? *Procedentibus* domo ſua in publicum jam hoc ipſum *omen* ſiniſtrum erat, occurſus Eunuchi. Lucia. Eun. c. 6 *Δυσοιώνιστόν τι καὶ δυσάντητον θέαμα; εἴ τις ἕωθεν ἐξιὼν ἐκ τῆς οἰκίας, ἴδοι τοιοῦτόν τινα.* Et Pſeudolog. 17 *Εἴ τις εὐνοῦχον ἴδοι εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας ἐπὶ πόδα ἀναστρέφει καὶ ἀναλέγχεται* etc. Adeo inauſpicatum ſpectaculum, cui nolis occurrere, judicant Eunuchum, in primis mane domo prodeuntibus, ut ad illius conſpectum ſtatim retro eant.

131 *Umbram* hominis non verum hominem, ut Philo Eunuchum *ἀνθρώπειον παράκομμα νομίσματος* dixiſſe perhibetur a Caſaubono ad Athen. 1, 9 p. 18, 43, ita ſimilem homini, ut adulterinus numus eſt vero. (Locum non invenio: ſed in Lib. de ſacrificantibus T. 2 p. 261, 19 ed. Mang. *οἱ τὸ φύσεως νόμισμα παρακόπτοντες, εἰς ἀκολάστων γυναικῶν πάθος καὶ μορφὰς ἀποβιάζοντες.* qui forte locus magni viri memoriæ obverſatus eſt.) Sed nec damnaverim Barthianam opinionem, qui *umbram* velut mortui hominis intelligit, ut in illo Juvenal. 1, 10 *Quas torqueat umbras Aeacus:* qualis fuit illud *idolon* Plinianum, (ep. 7, 27) quod Athenodorus compoſuit.

136 Cum reſpectu ad tineas v. 114. Nam ſunt etiam tineæ canum auribus infeſtæ. Præcipit Nemeſianus Cyneg. 209 *Auribus & tineas candenti pellere cultro.*

Solvit, & exuto lucratur vincula collo.
Eſt ubi deſpectus nimius juvat. undique pulſo
Per cunctas licuit fraudes impune vagari,
Et fatis aperire viam. proh quiſquis Olympi
Summa tenes, tantone libet mortalia riſu
Vertere? qui ſervi non eſt admiſſus in uſum,
Suſcipitur regnis, &, quem privata miniſtrum
Dedignata domus, moderantem ſuſtinet aula.
Ut primum vetulam traxere Palatia vulpem,
Quis non ingemuit? quis non irrepere ſacris
Obſequiis doluit toties venale cadaver?
Ipſi quin etiam tali conſorte fremebant
Regales famuli, quibus eſt illuſtrior ordo
Servitii, ſociumque ſibi ſprevere ſuperbi.
Cernite, quem Latiis poſcant annectere faſtis:
Cujus & eunuchos puduit. ſed vilior ante
Obſcurae latuit pars ignotiſſima turbæ,
Donec AbundantI furiis, qui rebus Eois

Exitium,

142 volvere *MS.* 145 texere *vulg.* 150 ſervitiis *MS.* *h. e. ſervis.* diu *vulg.*

138 Non tantum hos *juvat deſpectus nimius*, qui ut Liberator ille Romæ Brutus contemtu deliteſcunt, Liv. 1, 56: ſed etiam quos ob contemtum nemo tanti putat obſervare, qui in tenebris illis ſuis impune graſſantur.

142 Frequens hoc convicium providentiæ faciunt non comicæ modo perſonæ, ut Plaut. Rud. 3, 1.1 & Merc. 2, 1.1 *Miris modis DI ludos faciunt hominibus.* Et Capt. Prol. 22 *DI nos quaſi pilas homines habent:* ſed Philoſophi etiam *παίγνια* & *ἀθύρματα* Deorum vocant homines, Vid. Taubm. ad Plauti locum modo laudatum. cf. v. 25.

145 *Traxere*, cum effectu, ut haberent: ſic *traxit* nidor canem in culinam.

151 Quæri poteſt, quinam ſint, qui *poſcant*? Utrum imperſonaliter, ut loquuntur Grammatici, poſitum, quaſi diceret, Poſcant poſcentes, ſint qui poſcant? an intelligi debent DI, vel Fata? Durior ellipſis, ſed pene neceſſaria. *Faſtis Latiis annectere* eſt Conſulem facere.

152 *Cujus* conſervi & alios non minus *Eunuchos puduit*, qui ægre ferrent, ſe eodem nomine cenſeri, ejusdem ordinis eſſe.

154 Videamus, an lucem inferre loco obſcuro queamus. Zoſim. 5, 10. 6 Abundantium ſub Theodoſio Prætorem (*ϛρατηγὸν*) atque Conſulem (A. C. 393) fuiſſe narrat: dejectum autem honore & opibus ab Eutropio, qui ab eo tempore ſine æmulo Conſtantinopolin

Exitium, primoque ſibi produxit, ab imis
Evectus thalamis ſummos invaſit honores.
Quam bene diſpoſitum terris, ut dignus iniqui
Fructus conſilii primis auctoribus inſtet.
Sic multos fluvio, vates, arente per annos,
Hoſpite qui cæſo monuit placare Tonantem,
Inventas primus Buſiridis imbuit aras,
Et cecidit ſævi, quod dixerat, hoſtia ſacri:
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funeſta nova fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum Siculo cogente tyranno
Senſit opus, docuitque ſuum mugire juvencum.
Nullius Eutropius, quam qui ſe protulit, ante
Direptas poſſedit opes, nullumque priorem
Perculit exſilio, ſolumque hoc rite peregit,
Auctorem damnare ſuum. Poſtquam obſitus ævo
Semivir excelſam rerum ſublatus in arcem,

Quod

155 primumque *vulg.* 156 ejectus ſtabulo *MS.* ſtabulis *MSS.* 161 primum *vulg.* 162 qui dix. *vulg.* quo *Baſ.* quod *etiam Cuj.* 167 ſibi profuit *Delrius.* ſibi *Cuj.* prætulit *MS.* 170 fautorem *ne quis legere velit, monet Heinſ.*

polin & Arcadium poſſederit. Jam vero Claudianus, quod neſcio an aliunde conſtet, narrat *Abundantii furiis* hoc eſt, furioſo conſilio, *evectum* Eutropium *ab imis*, & humilis fortunæ *thalamis* vel cubiculo; (niſi tamen *ſtabulis* legendum, coll. v. 61) *invaſiſſe ſummos honores.* Abundantius hic igitur *produxit* Eutropium, in *exitium* Orientali imperio, & *primo* in exitium *ſibi* ipſi.

158 *Primis* h. e. ante omnes, vel primum *auctoribus inſtat*, & illos urget *fructus conſilii* mali. Trita omnium ore ſententia Heſiodi Ἡ δὲ κακὴ βυλὴ τῷ βυλεύσαντι κακίστη.

159 Fabula eſt apud Apollodorum Bibl. 2, 4. 11 Ἐννέα ἔτη ἀφορία τὴν Ἄιγυπτον κατέλαβε. Θράσιος δὲ ἐλθὼν ἐκ Κύπρυ, μάντις τὴν ἐπιστήμην, ἔφη τὴν ἀφορίαν παύσασθαι, ἐὰν ξένον ἄνδρα τῷ Διὶ σφάξωσι κατ' ἔτος. Βύσιρις δὲ ἐκεῖνον πρῶτον σφάξας τὸν μάντιν τὺς κατιόντας ξένυς ἔσφαζε. Noſter ἀφορίαν ſ. ſterilitatem deſcribit *fluvio arente*, cum a ſuperfuſione Nili ſit omnis Aegypti fecunditas. *Inventas aras imbuit* h. e. a ſe excogitatas. De tauro Phalaridis nimis notum. Utramque hiſtoriam ſuaviſſime narrat Ovid. Art. 1, 647 ſqq.

167 *Protulit* idem eſt, quod v. 155 dixit *produxit*. Qui ſic *proferuntur* aut *producuntur*, ii *procedunt*.

Quod nec vota pati, nec fingere ſomnia poſſent,
Vidit ſub pedibus leges, ſubjectaque colla
Nobilium, tantumque ſibi permittere fata:
Qui nihil optaſſet plus libertate mereri,
Jam jam diſſimulat dominos, alteque tumeſcunt
Serviles animi. procerum ſqualore repletus
Carcer, & exſulibus Meroë campique gemiſcunt
Aethiopum. Pœnis hominum plaga perſonat ardens.
Marmaricus claris violatur cædibus Ammon.
Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet: deſævit in omnes,
Ut ſe poſſe putent. nec bellua tetrior ulla
Quam ſervi rabies in libera terga furentis.
Agnoſcit gemitus, & pœnæ parcere neſcit
Quam ſubiit, dominique memor, quem verberat, odit.
Adde, quod eunuchus nulla pietate movetur,
Nec generi natiſve cavet. clementia cunctis
In ſimiles, animoſque ligant conſortia damni.
Iſte nec eunuchis placidus: ſed pejus in aurum
Aeſtuat. hoc uno fruitur ſuccisa libido.
Quid nervos ſecuiſſe juvat? vis nulla cruentam
Caſtrat avaritiam. parvis exercita furtis

Quæ

172 ſatis *Baſ. marg.* poſſunt *vulg.* 184 colla *vulg.* terga *MSS.* & *Baſ. marg.* 190 ille *al.* 193 quæ parvis excita *MS.* curis *al.*

172 *Vota* hoc *pati* non poſſunt: res nimis magna eſt, quam adeo non petat aliquis voto, ut ne *pati* quidem ſe poſſe arbitretur, depreceturque adeo.

175 Hic manifeſtum eſt *mereri* eſſe conſequi ſimpliciter, ſine reſpectu ad pretium, vel operas, vel qualecunque ἀντάλλαγμα.

178 Nominat loca Africæ ultra Aegyptum ipſo calore & arenis atque ſolitudine horribilia. In his eſt etiam Oaſis, de qua nobilis locus eſt Zoſimi 5, 9, non procul ab Hammonis oraculo.

190 *Iſte* ad odium refertur, ſumtum ex judiciorum ſubſelliis, ubi patronus ſuum clientem pronomine *hic*, adverſarium autem, in adverſis ſubſelliis ſedentem, altero *iſte* deſignare ſolet. Plerumque ita Cicero.

191 Alia *libido*, quæ proprie ita vocatur, *ſucciſa*, & abſciſſa eſt cum ipſis genitalibus: in illius locum venit cupiditas habendi.

Quæ vaſtare penum, neglectaque ſueverat arcæ
Clauſtra remoliri, nunc uberiore rapina
Peccat in orbe manus. quidquid ſe Tigris ab Aemo
Dividit, hoc certa proponit merce locandum
Inſtitor imperii, caupo famoſus honorum.
Hic Aſiam villa pactus regit. ille redemit
Conjugis ornatu Syriam. dolet ille paterna
Bithynos mutaſſe domo. ſuffixa patenti
Veſtibulo pretiis diſtinguit regula gentes.
Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.
Si Lyciam tenuiſſe velis, tot millia ponas:
Si Phrygas, adde parum. propriæ ſolatia ſorti
Communes vult eſſe notas, & venditus ipſe
Vendere cuncta cupit. certantum ſæpe duorum
Diverſum ſuſpendit onus: cum pondere judex
Vergit, & in geminas nutat provincia lances.

Non

194 aulæ *Cuj.* 195 non -- Peccet in o. manus? *Baſ.* liberiore *MS.*
201 potenti *Baſ. marg.* 202 cedula *MS. gloſſa.* 203 eant *conj. Heinſ.*
204 pendas *MS.* 205 adde, parum eſt: *MS.* fortis *vulg.*

194 *Vaſtare penum* aſteiſmo quodam, i. e. urbane dicitur, ut Hor. Epiſt. 1, 15. 3 *Pernicies & tempeſtas, baratbrumque macelli.*

196 Orientalis imperii terminos ſignat, hinc Hæmum Thraciæ montem, illinc Tigrim, ultra Euphraten.

202 *Regula* eſt tabella oblonga, anguſta, quales ſunt fabrorum regulæ, qua proſcripta pendent nomina rerum venalium. Graphice itaque pingit velut cauponis vel pigmentarii tabernam, atrium Eutropii, in quo penderet, quam *Taxam* dixeris Officiorum & Dignitatum non ſacri Palatii modo, ſed totius Imperii.

293 *Eat*, plenius *venum eat*, *veneat.* Nondum obſervavi hanc loquendi formulam cui plane geminam habet conſuetudo Germanorum, qui dicunt, rem tanti vel tanti in auctione *abiiſſe*, *ſie iſt ſo oder ſo theuer, binngegangen.*

205 Ut vulgo aiunt *Solamen miſeris ſocios babuiſſe malorum*: ita Eutropius minui putabat turpitudinem ſuam (hæc enim *nota* eſt) quod toties venum iſſet, ſi venale eſſet totum imperium. Quod *communes notas* dicit, ex antitheto acumen quærit, quod ad Oxymoron accedit: *nota* enim, ſi *communis* ſit, nota eſſe deſinit.

208 *Suſpendit*, velut in bilance *diverſum onus*, in oppoſitis lancibus. Phantaſia admodum lucida & vivida, quam, quia ſimul motum habet, vix ac ne vix quidem pictor aſſequatur.

Non pudet heu, Superi, populos venire ſub haſta?
Vendentis certe pudeat: quid jure ſepultum
Mancipium tot regna tenet, tot diſtrahit urbes?
Pollentem ſolio Crœſum victoria Cyri
Fregit, ut Eunucho fluerent Pactolus & Hermus?
Attalus heredem voluit te Roma relinqui,
Reſtitit Antiochus præſcripto margine Tauri,
Indomitos curru Servilius egit Iſauros,
Et Pharos Auguſto jacuit, vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quæſtus numeroſior eſſet?
In mercem veniunt Cilices, Judæa, Sophene,
Romanuſque labor, Pompejanique triumphi.
  Quo ſtruis hos auri cumulos? quæ pignora tantis
Succedent opibus? nubas ducaſve licebit:
Num-

210 num *Heinſ. ed. pri* veniſſe *vulg.* haſtam *al.*
211 quod *al.* quio *al.*

210 *Pudorem* Dis & Fortunæ tribuunt, melius forte ſentientes quam loquentes (ut in *Invidia* peculiari me ſcriptione memini declarare) antiqui. Ponamus Lucani quædam. primum illud 2, 568 *Teque nihil, Fortuna, pudet?* tum 5, 59 *Fortunæ, Ptolemæe, pudor, crimenque Deorum.* Et 8, 597 *Pro Superûm pudor!* Et 605 *Nunquam ſuperûm caritura pudore Fabula.* Sic noſter 19, 47 apoſtrophe ad Eutropium, *Vive pudor fatis.* Si figuram auferamus & ἀνθρωποπάθειαν, hoc relinquetur, hic eventus dabit occaſionem hominibus dubitandi de providentia deorum. Inſpiciat mihi aliquis principium libri in Rufinum prioris.

211 *Jure ſepultum Mancipium*, qui non magis numerari in hominibus dedebat, quam *cadaver*, ut illum vocat v. 38 & 147.

214 De Pactolo & Hermo dictum ad 3, 104. Hi *fluunt* illis, ad quos perveniunt divitiæ ex arenis eorum erutæ vel elutæ. Non ſatis commode hic Cyri de Crœſo victoriam commemorat. Debebat titulum indicare, quo ad Romanos pervenit Lydia: ſed hoc nempe ipſe vidit & cortexit poëta. Noluit perdere ſplendida Cyri & Crœſi nomina. Et ſæpe obſervamus intemperantes noſtri Exergaſias.

215 Enumerat a quibus, & quibus titulis provinciæ, quibus tum conſtabat imperium Orientale, in ditionem Romanorum pervenerint.

216 *Reſtitit* hic non habet illam notionem conſtantiæ impetum hoſtilem excipiendi; ſed idem eſt quod conſtitit vel ſubſtitit intra præſcriptos ſibi fines. Hic enim eſt *margo*, ut in vaſe.

217 *Iſauricus* ab hac victoria dictus Servilius. *Pharos* pro tota Aegypto ſolenni poëtarum uſu: *Metellus Creticus* nomine victoriæ dictus.

220 *In mercem veniunt*, inſtar alterius mercis ſunt venales. *Sophene* Armeniæ pars inter Taurum & Antitaurum ad Euphraten.

Numquam mater eris, numquam pater. hoc tibi ferrum,
Hoc natur a negat: te grandibus India gemmis,
Te foliis Arabes ditent, te vellere Seres:
Nullus inops adeo, nullum ſic urget egeſtas,
Vt velit Eutropii fortunam & membra paciſci.
Jamque oblita ſui, nec ſobria divitiis mens,
In miſeras leges, hominumque negotia ludit.
Judicat eunuchus. quid jam de Conſule miror?
Prodigium quodcumque gerit. quæ pagina lites

Femi-

226 ſpoliis *Baſ. marg.* 227 *pro* urget, cogit *vel* coget *MSS.* 231 miver *conj. Heinſ.* 232 prod. eſt *vulg.*

226 *Folia* Malabathri hodie, ut videtur quibusdam, incognita (nam quæ hodie in officinis folia Ind. ſ. Malobathri vocantur, ab illis diverſa ſunt) in pretio antiquis fuere propter *foliatum* unguentum, quod inde parabatur, de quo ſunt docta ad h. l. Barthii collectanea. Illud *folium* per excellentiam ita dictum, non nardum aut ſpicam nardi eſſe, ut ipſe putarit Plinius, ſed malabathrum, pugnat Salmaſ. in Solin. p. 749 ſq. Copioſe idem de illo & hodierna ejus apud Arabes appellatione diſputat Homon. hyles iatr. c. 87. *Vellera* de Serico etiam Virg. Ge. 2, 121 ſed ut appareat, illum xylinon intelligere ſ. goſſypium, arboream quam nos lanam vocamus.

228 Ut velit ſimul cum fortuna & divitiis Eutropii ſuſcipere etiam *membra* h. e. conditionem mutilati corporis. Hyperbole, cum non dubium ſit multos eſſe, qui tale pactum, ſi præſtari poſſet, inituri ſint.

230 Tmeſin puto, pro *illudit legibus & negotiis.* Maius, h. e. magis inauditum, abſurdiusque adeo videtur Poetæ quod *judicat eunuchus:* non tanquam Præfectus Prætorio, cujus rei nulla ſupereſt mentio, ſed tanquam ſummus cubiculorum Præfectus, jura etiam dictare auſus eſt. Zoſi. 5, 9. 4 Καὶ *ὁ μὲν βασιλεὺς προὐκάθητο δικαστής. Εὐτρόπιος δὲ παρεστὼς, ἐπειδὴ καὶ τὴν ἡγεμονίαν πάντων τῶν βασιλικῶν εἶχε κοιτώνων, τῆς πάσης ψῆφου κύριος ἦν.* Quin ipſe, ut eſt 5, 12. 2 *κυριεύων Ἀρκαδίου ὥσπερ βοσκήματος.* Ergo de dictatis ſubjectisque Arcadio privatim ſententiis potius hoc accipiendum. Et tamen ita loquitur Claudianus, cum *paginam* appellat, de qua ſtatim; dum *forum* commemorat, ut mirum non ſit, in eam veniſſe ſententiam Jac. Gothofredum, ut quæ de Eutropio qui ſub Theodoſio M. Præfectus Prætorii fuerat, ſunt in Codice Theod. ea ad hunc Eunuchum referret in Proſopographia, quod bene ut multa animadvertit emendauitque Ritterus V. C. Conſ. dicta ad 105 & infra 286.

232 Non ſcriptum omne eſt *pagina*, puto: ſed illa quæ *pagina honorum* vocatur a Juvenale 10, 58 quam ita declarat V. Schol. *Aenea pagina, quæ ante imaginem eorum* (nobilium) *ſtans, omnes eorum gradus honorum inſcriptos continet, quam nunc dicunt* tabulam patronatus. Sed quod *lites femineas* ponit pro litibus a femina (eunucho) deciſis, h. e. pro judicis munere a femina geſto, illud, fateor, duriuſculum eſt. *Lites* enim profecto *feminea* potius ſunt contentiones

Femineas meminit? quibus umquam ſæcula terris
Eunuchi videre forum? ſed ne qua vacaret
Pars ignominia, neu quid reſtaret inauſum,
Arma etiam violare parat, portentaque monſtris
Aggerat, & ſecum petulans amentia certat.
Erubuit Mavors, averſaque riſit Enyo,
Dedecus Eoum: quoties intenta ſagittis
Et pharetra fulgens anus exercetur Amazon:
Arbiter aut quoties belli, paciſque recurrit,
Alloquiturque Getas: Gaudet, cum viderit, hoſtis,
Et ſentit jam deeſſe viros. Incendia fumant.
Muris nulla fides. ſqualent populatibus agri,
Et medio ſpes ſola mari. trans Phaſin aguntur
Cappadocum matres, ſtabuliſque abducta paternis
Caucaſias captiva bibunt armenta pruinas,
Et Scythicis mutant Argei pabula ſilvis.
Extra Cimmerias Taurorum clauſtra paludes

233 ſic actas mem. *Baſ. marg.* 235 ignominiæ *MSS.* 237 aggregat *vulg.* aggerat *etiam Baſ. marg.* cernit *ap. Heinſ. ad Aen.* 12, 709. 238 adverſaque *vulg.* 245 in med. ſp. nulla *Cuj.* 248 Argeia *conj. Heinſ.*

tiones & rixæ muliebres. Ceterum res ipſa poſtulat ſententiam quam poſuimus. *Lites* hic in mentem venire poëtæ potuerunt ob illos *Decemviros Stilitibus judicandis* &c.

236 *Arma violare* ſ. polluere impuro contactu, ſummam ſibi bellicæ rei arrogare, quo conſilio adiutorem ſe in Rufino perdendo Stilichoni præbuit, Abundantium dejecit, Stilichonem ipſum excludere a rebus Orientis ſtuduit, quæ res horribilium turbarum occaſionem dedit, quas enarrat Zoſimus.

241 Verbo *recurrit* explicatur illud arbitri officium, huc illuc euntis inter belligerantes.

243 *Sentit hoſtis jam deeſſe viros imperio*, cum imperium mandetur Eunucho. Vix eſt, ut qui iſtam in Eutropium invectivam legunt, non cogitent de Narſete, qui exemplo docuit, poſſe Eunuchum eundem virum fortem eſſe.

245 *Spes ſola* evadendi hoſtes eſt mare, ut tutum ſe ille tantum putet, inter quem & hoſtem barbarum mare intercedit *Phaſis* Colchildis fluvius ad ſeptentrionem Cappadociæ. *Argei* ſunt Græci, ſed neſcio, utrum peculiariter Argivi, Argo ſua antiqua expulſi; an laxiore intellectu etiam Græce loquentes Aſiatici. Heinſiana conjectura facit *Argeia pabula* quæ mutent greges & armenta mitiori plagæ adſueta *ſilvis Scythicis* aſperiore ſub cœlo.

249 *Cimmerias paludes, Taurorum clauſtra*, intelligit illas Mæotidis propagines, quæ Tauricam, i. e. habitatam a Tauris populis, Cherſonneſum ambiunt, ipſum Boſporum Cimmerium præſertim.

Flos Syriæ ſervit: ſpoliis nec ſufficit atrox
Barbarus. in cædem vertunt faſtidia prædæ.
  Ille tamen (quid enim ſervum, mollemque pudebit?
Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?)
Pro victore redit. peditum vexilla ſequuntur,
Et turmæ ſimiles Eunuchorumque manipli,
Helleſpontiacis legio digniſſima ſignis.
Obvius ire cliens, defenſoremque reverſum
Complecti. placet ipſe ſibi, laxaſque laborat
Diſtendiſſe genas, fictumque inflatus anhelat,
Pulvere reſperſus tineas, & ſolibus ora
Pallidior, verbiſque ſonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis, & prœlia narrat,

Perque

250 Aſſyriis *MSS. Baſ. marg.* fervet ſpoliis *vulg.* ſævit *Cuj.* 251 vertit *vulg.* 253 ſuperare *vulg.* pudoris *al.* 254 *Pro* peditum, tunc cum *Ald.* & *MSS.* unum *MSS. Hinc Heinſ. conj.* truncum. 260 tunicas *Baſ. marg.* 262 fictis *MS. it. Vic.*

250 Tantum captivorum & prædæ corripiunt, ut faſtidiant denique, & perdant corpora, quæ abducere piget

252 *Molles*, impudici, iidem etiam aliis in rebus impudentes. In vultu Eutropii ab anili velut frigore exſangui & cadaveroſo flagrare rubor ille igneus pudoris non poterat.

254 *Pro victore*, tanquam viciſſet, ſimulationis genus antiquum, quod in Domitiano notat Plinius Pan. 11 ſub quo imperii *pulſi fugatique non aliud majus habebatur indicium, quam quod* Romæ ficto & ementito triumpho *triumpharetur.* Quod *peditum vexilla* dicuntur, recentioris ſub imperatoribus inſtituti eſt: libera rep. vexilla ſunt equitum: *turmæ* ſemper equitum, ut peditum *cohortes. Eunuchorum manipulos* cum dicit non truncatos corpore, ſed effeminatos & ignavos intelligit: eodem pertinent *Helleſpontiaca* (h. e. Priapeja) *ſigna*, quibus digniſſimam ait Legionem Eutropii, dignam, cui non tantum oſtenderetur *digitus impudicus*, *infamis*, *medius*, de quo Ramireſ. ad Martial. 1, 93 & viri docti ad Sueto. Cal. 56: ſed eadem etiam figura manus in ipſis ſignis militaribus pro alia manu, manipuli ſigno, ponatur. Eſt hic locus acerbiſſimæ turpitudinis: ſed nobis non licet eſſe tam diſertis quam Ramireſio.

258 *Laxas genas* dicit rugoſas, pendentesque, in quibus nihil duriuſculi, elaſtici, reſtituentis ſe a compreſſione in globoſitatem. Eutropius glorioſulus vellet inflare genas, ſed illæ tenorem non ſervant, collabuntur in rugas.

260 *Tineis* caput infeſtantibus (v. 114) admiſcetur, & eas auget pulvis. A ſolibus & æſtu, cutis non fit, ut in ſanis rubicundior, ſed *pallidior*, flava magis. Illud *plorabile*, illa verba *fracta* & ipſa Eunuchum deſignant: quod addit *ultra nequitiam*, indicat, non jam a ſola mollitie & conſuetudine blandiendi, ſed etiam a ſenectute, a morbo, a metu vocem extenuatam eſſe & tremulam.

Perque ſuam tremula teſtatur voce ſororem,
Defeciſſe vagas ad publica commoda vires:
Cedere livori, nec ſuſtentare procellas
Invidiæ, mergique fretis ſpumantibus orat.
Exoretque utinam. Dum talia fatur, ineptas
Detergit lacrimas, atque inter ſingula dicta
Flebile ſuſpirat. qualis venit arida ſocrus
Longinquam viſura nurum: vix laſſa reſedit,
Et jam vina petit. Quid te, turpiſſima, bellis
Inſeris, aut ſævi pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius ſtudiis hærere Minervæ;
Tu telas, non tela, pati; tu ſtamina neſſe;
Tu ſegnes operum ſollers urgere puellas,
Et niveam dominæ penſis involvere lanam.

266 ſpirantibus *ex vet. MS. legi vult Heinſ. ad Aen. 10, 291.* 271 turpiſſime *al. V. N.* 272 ſævis campis *vulg.* ſævi campi *etiam Baſ. marg.* mediis prælia *Baſ. marg.* 274 noſſe *vulg.* 276 et vinctam *MSS. it. Cuj.* victam *it.* junctam *al.* atque unctam *vel* & tinctam *conj. Heinſ. Cf. 20, 382.*

263 Mulier erat quam ſororem ſuam eſſe ferebat, cum qua etiam obſcene eum volutari putabatur, de qua noſter etiam 19, 41 & 20, 88.

264 *Vagae vires* quid ſibi velint, fateor me non ſatis intelligere. Amabo, ſi quis me νῦν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχοντα, doceat. In varietate lectionis nihil eſt præſidii. Quid? ſi *vagæ ad publica commoda* dicantur *vires*, quæ ſe facile impendunt & quaſi diſpergunt ubicunque, ad quæcunque negotia opus eſt: quid? ſi *defeciſſe* dicantur *ad publica commoda*, ut nihil in poſterum illa queant juvare. Poſterius malim, & fere poſtulant ea, quæ ſequuntur: ſed manet dubium, cur *vagæ* dicantur.

266 *Mergi fretis orat:* devovet caput ſuum: in metu naufragii ſolus vult mergi, ſi ſervari navis reip. poſſit. Videtur Barthio alluſiſſe poëta ad morem Romanum, monſtroſos partus, ut androgynos (quale animal pæne erat Eutropius) in mare abiiciendi.

267 Malignum epiphonema: Utinam fiat quod orat, utinam committatur devotio.

271 Modo cum bibula anu comparaverat, nunc alloquitur ut vetulam importunam. Sic Atys Catullianus, a quo momento *relicta ſibi ſenſit membra ſine viro -- Niveis* citata *manibus cepit leve typanum* & toto deinceps carmine loquitur ut femina. Alia dedit ad h. l. Heinſius. *Pallas*, in primis quatenus hoc nomen habet, bellica eſt dea. *Altera Minerva* eſt lanifica.

274 Alliteratio in *telas non tela*, hic minime reprehendenda, quia facit ad augendum contemtum ex illuſione.

276 *Penſis involvere*, eſt dividere & convolvere lanas in penſa, ut
ſiant

Vel ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybellen.
Rauca Celænæos ad tympana diſce furores.
Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.
Arma relinque viris. geminam quid dividis aulam,
Conariſque pios odiis committere fratres?

Te

277 ſi tela *MS.* 279 allidere *MS.* 280 abſcidere *MSS.* *Et eſt freqnens in bonis libris.*

ſtant penſa, ſua ſingulis nentibus ſ. quaſillariis tribuenda.

277 Si omnino vis Deæ alicujus ſacra celebrare, *Cybelen*, *Cybellen*, ſ. *Cybeben*, Matrem Deûm Phrygiam, cum aliis Gallis ſemiviris, abſciſſis, illius ſacerdotibus, ſequere. *Celænæi furores* ſunt Phrygii, cujus caput quondam fuere Celænæ. Gallorum illorum ſunt *Cymbala*, geſtant in ceremoniis truncos pineos, quibus ſe tundunt & percutiunt: in quam arborem Atys ille, ſive Attin, Cybeles amaſius, mutatus diceretur. Ovid. Met. 10, 104. Hinc ille apud Stat. Theb. 10, 172 *Phryx quatit ſacras in pectora pinus.* Affines huic furori Iſiaci: ſed non ſine fraude & fuco. Hinc Commodus apud Lampridium c. 9 Illos *pineis* (ſtrobilis pini, ut vult Caſaubonus) *uſque ad perniciem pectus tundere cogebat.* Hinc dicti ſunt *Dendrophori*, quaſi *tu arborigerulos* dicas, de quibus Reineſ. ad Inſcr. 1, 40 p. 75. Ceterum hæc de Cybele & Attine vel Atye & Gallis recentior fabula eſt, & a Gallogræcis demum orta, ut videtur non ſine cauſa Iſ. Voſſio ad Catullum p. 163. Convenit ſane illa narratio, quae de Dea Syria inter Luciani libellos habetur. Convenit barbaries ſumma illius gentis, quæ poſt cladem Delphicam in ſuperſtitionem exceſſiſſe putari poteſt: convenit quod ἄφρον φῦλον vocatur a Callimacho in Delum 184, quod comparant cum elogio Apoſtoli ὦ ἀνόητοι Γαλάται, 3, 1. Quid? quod hic de tenaci retentione circumciſionis ſermo eſt, quam ita exprobrat illis Paulus 5, 12 ut non ſine acrimonia dicat, ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς, quod proprium eſt in Gallis illis abſciſſis verbum, in quo etiam Mediæ vocis ratio apparet, non negligenda ſine magna ratione. Hæc jam ſatis diſputata a Chryſoſtomi, Hieronymi, Grotii ætate, qui in eadem ſententia fuere: ſed neſcio an ſenſerit quisquam, quam hæc oratio in Galatas præter ceteros conveniat. Etiam Vulgatus interpres, ut hodie eſt, *abſcindendi* verbo utitur, quod in hac re proprium eſſe, ut Græcis ἀποκόπτειν, & Hieronymus oſtendit, & hic ipſe Claudiani locus docet. Cf. ad 20, 97 & 261.

280 *Phrygiis cultris*, quibus uti ſolent illi Phryges Galli. Hi poſſunt eſſe de *teſta Samia*, qua ſola ad hanc rem uſos eſſe, tradunt. Vid. omnino Ramireſius ad Martial. 3, 81. 3.

281 *Geminam aulam* Conſtantinopolitanam & Romanam, vel Mediolanenſem adeo. Hunc certe obtentum, hanc materiem turbarum plerumque fuiſſe, quas excitarunt Rufinus, Eutropius, Stilicho, Gildo, Gaines, legenti illorum temporum hiſtorias obſcurum eſſe non poteſt. Obſervemus illud epitheton *pios* hic ſtudioſe adhibitum, ut opponatur *odiis*.

Te magis, ah demens! veterem ſi reſpicis artem,
Conciliare decet. Geſtis pro talibus annum
Flagitat Eutropius, ne quid non polluat unus;
Dux acies, judex prætoria, tempora Conſul.
 Nil adeo fœdum quod non exacta vetuſtas
Ediderit, longique labor commiſerit ævi.
Oedipodes matrem, natam duxiſſe Thyeſtes
Cantantur: peperit fratres Jocaſta marito,
Et Pelopea ſibi. Thebas ac funera Trojæ
Triſtis Erechthei deplorat ſcena theatri.
In volucrem Tereus, Cadmus ſe vertit in anguem.
Scylla novos mirata canes, hunc arbore figit,
Elevat hanc pluma, ſquamis hanc fabula veſtit,
Hanc ſolvit fluvio. Nuſquam ſpado Conſul in orbe,
Nec judex ductorve fuit. quodcumque virorum
Eſt decus, eunuchis ſcelus eſt. exempla creantur

285 flagitet *Heinſ. ex MSS. ſed editi omnes* flagitat. *Poëta narrat cum aſſeveratione.* 290 cantatur *vulg.* 291 labes *Baſ. marg.* 295 hanc *al.* 296 nunquam *al.*

284 *Conciliare* lenonum eſt & lenarum, quæ *conciliatrices* hinc vocantur. Vid. v. 78 ſqq.

286 *Judex prætoria* qui *polluat*, vix poteſt intelligi niſi Præfectus Prætorio. Vid. ad 105 & 230 itemque 297.

288 *Longi ævi labor* i. e. homines longo ævo hoc agentes.

289 *Oedipodes* forma etiam Statio adhibita, pro conſuetiore *Oedipus*. Thyeſtes ex Pelopea filia genuit Aegiſthum: Oedipus ex Jocaſta matre Eteoclen & Polynicen &c. Hæc ſunt ſcelera Tragica, materia Tragoediarum, quam una perpetua brevique narratione complexus eſt Guil. Canterus Novar. lectionum 5, 4 quod caput Tragicis ipſis ab illo editis Aeſchylo, Sophocli, Euripidæ, præfixum eſt.

292 *Erechtheum* eſt Athenienſe, ab antiquo Rege. Hic agebantur fabulæ Thebanæ de Oedipi familia, ac de Trojanis rebus, ut Iphigenia, Hecuba etc.

293 Poſt ſcelera Tragica enarrat portentoſas metamorphoſes, quas paucis verbis indicabimus: quibus hoc non ſatis eſt, facile poſſunt apud Ovidium requirere. Tereus in upupam mutatus perſequitur Procnen conjugem & Philomelam ejus ſororem: Cadmus ſociam ſui fati habuit Hermionen ſuam conjugem: Scylla ex pulcherrima puella a Circe in monſtrum mutata, canibus pluribus ſuccinctum: in arborem mutati Philemon cum ſua Baucide, Attin, Phaethontis ſorores; in aves Dædalus (in accipitrem) & Perdix; in piſces Delphinos nautæ Tyrrheni, Acis in fluvium. Hæc omnia admirabilia, nec tamen inaudita: hoc novum & maxime portentoſum eſt, ſpado Conſul, Prætorio Præfectus, Dux exercitus.

Quae ſocci ſuperent riſus, luctusque cothurni.
Quam pulcre conſpectus erat, cum tenderet artus
Exſangues onerare toga, cinctumque gravatos,
Indutoque ſenex obſcenior iret in auro!
Humani qualis ſimulator ſimius oris,
Quem puer arridens pretioſo ſtamine Serum
Velavit, nudasque nates ac terga reliquit,
Ludibrium menſis; erecto pectore dives
Ambulat, & claro ſeſe deformat amictu.
Candida pollutos comitatur Curia faſces:
Forſitan & dominus. Præbet miracula lictor
Conſule nobilior, libertatemque daturus,
Quam necdum metuit, ſcandit ſublime tribunal;
Atque inter proprias laudes Aegyptia jactat
Somnia,

300 pulcher *al.* ornare *al.* etiam *Raſ. marg.* onerante *Scalig. ap. Barth.* gravatos *conj. Heinſ.* 302 inductoque *vulg.* 309 dominis præbet *al.* domini. Præbet *conj. Heinſ.*

300 *Cum tenderet artus onerare*, Græca ratione, pro *onerandos*: in ipſo verbo autem videtur quæſiſſe alliterationem, quaſi diceret, non *ornatum* ſed *oneratum* honoris inſignibus. *Cinctum* conſularem jam vidimus 7, 3 & alias.

302 *Obſcenus* ad malum omen & auſpicium triſte pertinet: quamquam hic nec illa fœdæ impuritatis notio abeſt.

306 *Erecto pectore dives* geſtum & imitationem jactabundæ ſuperbiæ in ſimia exprimit,

309 *Forſitan* comitatus conſulem novum etiam eſt *dominus*, Arcadius, de quo nihil aſſeverat Claudianus, vel quod neſciret, vel quod nollet ponere reverentia principis.

310 Primus actus conſularis manumiſſio, de qua ad 8, 611 dictum.

312. Imitatus veteres magiſtratus in hoc videtur Eutropius, ut in prima oratione ſua, vel gratiarum actione, de ſuis etiam laudibus commemoraret, cujus rei exemplum in Pliniani Panegyrici parte ultima præclarum habemus: cumque Chriſtianus eſſet, de ſua humilitate, & viis providentiae, quædam commemoraſſe: illud vero præter cetera, quod ponemus ipſis verbis Sozomeni 7, 22 ubi in expeditione Theodoſii contra Eugenium narranda occupatus, ait; *Θεοδόσιος δὲ διανοούμενος — ἔγνω περὶ τούτου συμβαλεῖν χρηστηρίῳ Ἰωάννῃ τῷ ἐν Θηβαΐδι μοναχῷ — καὶ Εὐτρόπιον, ὃς πιστὸς ἦν αὐτῷ τῶν ἐν τοῖς βασιλείοις εὐνούχων, πέπομφεν εἰς Αἴγυπτον, — καὶ ὁ μὲν — ἐπανελθὼν ἤγγειλεν, εἰπεῖν, αὐτὸν νικήσειν τὸν πόλεμον, καὶ καθελόντα τὸν τύραννον, μετὰ τὴν νίκην ἐν Ἰταλίᾳ μεταλλάξαι τὸν βίον· ἀμφότερα δὲ ἀληθῆ τὸ τέλος ἔδειξεν.* Eo lubentius hæc verba poſuimus, quod ea ut hinc tenebras diſcutiunt Poëtæ, hinc ipſa fidem a Poëta hiſtoricam lucrantur. Viderat Claverius, ſed locum

Somnia, proſtratoſque canit ſe vate tyrannos.
Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
Dum ſpado Tireſias, enervatuſque Melampus
Reptat ab extremo referens oracula Nilo.
Obſtrepuere avium voces. exhorruit annus
Nomen, & inſanum gemino proclamat ab ore,
Eunuchumque vetat faſtis accedere Janus.
Sumeret illicitos etenim ſi femina faſces,
Eſſet turpe minus. Medis levibuſque Sabæis
Imperat hic ſexus, reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet. gens nulla probatur,
Eunuchi quæ ſceptra ferat. Tritonia, Phœbe,

316 reptet *ex uno MS. Heinſ.*

locum non ſignavit; tacent reliqui. Rem de Johanne notant, nihil de Eutropio, Aug. de Civ. Dei 5, 26 & Theodoritus H. E. 5, 24. Ceterum hic etiam locus oſtendit, Claudianum a ſacris Chriſtianorum abhorruiſſe.

314 Pingit poëta *ἑτεραλκέα νίκην* Homericam, quæ anceps pependerit; dum ab remotiſſima Ægypto oracula reptans tarduſque ab imbecillitate vates Eutropius afferret, quem irridet nominibus nobiliſſimorum antiquæ Græciæ Homericis carminibus vatum. *Spado & enervatus* eandem rem ſignificant: eſt enim *nervus* vel ſunt *nervi*, id quod ſpado amiſit.

317 *Obſtrepuere* aves, & quaſi obnunciarunt: invitis diis, vel certe malum parantibus imperio, Conſulem factum Spadonem. *Inſanum* proclamat *Janus*; ut *horrendum ſtridit Lernæ belua* apud Virg. Æn. 6, 288. *Inſanum* augendi tantum vim habere, alias obſervatum, quia, ut ait Varro de L. L. 5, 6 *inſani omnia faciunt vehementer. Geminum os Jani* neminem turbabit, qui vel ſemel caput illius in nummo vel alio monimento viderit.

319 Reſpicit eo, quod nomen Eutropii in ipſo Conſulatu dejecti in faſtos referri prohibitum, & annus ſolo Theodori Mallii nomine ſignatus eſt, ut jam admonuimus.

321 *Medis* proprie ita dictis quando & quæ feminæ imperitarint, equidem non dixerim. Puto laxius uti Poëtam hoc nomine pro toto imperio quod poſt Aſſyrios tenuere Medi, Perſæ, Parthi, Perſæ iterum. Deinde non hoc illum velle, poſt Semiramida fuiſſe aliam magnam reginam, illius magni imperii dominam: ſed hoc tantum viguiſſe in illo magno terrarum tractu etiam muliebria imperia, quale fuit illud Artemiſiæ Mauſoli, quale illud Adæ in eadem Caria, de quo Arrianus Alex. 1, 24 *Νενομισμένον ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἔτι ἀπὸ Σεμιράμεως, καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν.* Lege & uſu receptum a Semiramide inde adhuc Alexandri ætate ait fuiſſe in Aſia, non, *ut & virorum uxores regnent*, quod editum adhuc, ſed ut viris qui in regno ſunt imperent mulieres. De *Sabæa* regina notum etiam ex libris noſtris. *Barbariæ pars magna* Scythas forte ſignat, & Amazonas.

Veſta, Ceres, Cybele, Juno, Latona coluntur.
Eunuchi quæ templa Dei? quas vidimus aras?
Inde ſacerdotes: hæc intrat pectora Phœbus:
Inde canunt Delphi. Trojanam ſola Minervam
Virginitas Veſtalis adit, flammaſque tuetur.
Hi nullas meriti vittas, ſemperque profani.
Naſcitur ad fructum mulier, prolemque futuram.
Hoc genus inventum eſt, ut ſerviat. Herculis arcu
Concidit Hippolyte. Danai fugere bipennem
Pentheſilea tuam. Claras Carthaginis arces
Creditur, & centum portis Babylona ſuperbam
Femineus ſtruxiſſe labor. quid nobile geſſit
Eunuchus? quæ bella tulit? quas condidit urbes?
Illas præterea rerum natura creavit:
Hos fecere manus. ſeu prima Semiramis aſtu

Aſſy-

334 arces *al.* urbes *etiam Baſ. marg. no. ad* 271. *Sic et* 342

339 has *MS. eleganter Vid.*

327 *Inde* reſpicit ad perſonas, ut *unde* in formula *unde petitur*: & quidem remotiores, verbo ad mulieres. *Delphi canunt* h. e. vaticinantur a muliere, h. e. per Pythiam. *Trojanam Minervam*, Palladium Troja elatum ab Anchiſe, & Romam delatum commendatumque ſolis virginibus Veſtalibus.

330 Cybeles, ſ. Matris Deum Phrygiæ, Syriæque Deæ, quæ diverſa unius nomina ſunt, tamen ſacerdotes Galli, quorum Archigallus princeps. *Vittæ* ſacra quædam diademata a quibus *infulæ* dependent. Hanc quidem proprietatem ac differentiam horum nominum arbitror.

333 *Hippolyte & Pentheſilea* Amazonum reginæ: huic *bipennem* tribuit proprie, quod apparet ex imaginibus earum in nummis & monimentis aliis a Petito prolatis. Carthaginem Dido, Semiramis Babylona condidit.

339 Nondum, puto, inventus, qui hoc de Semiramide, præter Ammianum Marc. 14, 6 p. 30 Gron. cujus locum ponemus, quia Claudianum illuſtrat in re, cujus arbitrandæ oculis rara eſt plerisque lectorum noſtrorum poteſtas. Igitur in pompa beatorum hominum deſcribenda, *Poſtrema*, inquit, *multitudo Spadonum, a ſenibus in pueros deſinens, obluridi, diſtortaque lineamentorum compage deformes: ut quaque inceſſerit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, deteſtatur memoriam Semiramidis Reginæ illius veteris, quæ teneros mares caſtravit omnium prima* etc. Nihil, inquam, hac de re alii. Sed Herodotus 3, 48 narrat Periandrum Cypſeli F. Corinthium tyrannum, miſiſſe trecentorum principum Corcyræorum filios Sardes ad Alyattem, *ἐπὶ τῇ ἐκτομῇ*, ut ibi caſtrarentur. Nempe carius deinde vendi poterant: & videntur Græci illud artificium deteſtati.

Aſſyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, læveſve genæ ſe prodere poſſent,
Hos ſibi conjunxit ſimiles: ſeu Parthica ferro
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram,
Servatoque diu puerili flore coëgit
Arte retardatam Veneri ſervire juventam.
Fama prius falſo ſimilis, vanoque videri
Ficta joco. levior volitare per oppida rumor.
Riderique nefas: veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, corvo certante liguſtris.
Atque aliquis gravior morum, „*Si talibus*, inquit
Creditur, & nimiis turgent mendacia monſtris:
Jam teſtudo volat, profert jam cornua vultur:
Prona petunt retro fluvii juga: Gadibus ortum
Carmani texere diem: jam frugibus aptum
Æquor, & advectum ſilvis delphina videbo:

Jam

342 Parthia *MSS. Similia* Gallia, Scythia, Græcia, Italia, *obſervavit Heinſ.* 346 falſæ *conj. Heinſ.* 348 ſicut *MS.* ut ſi *conj. Heinſ.* 353 vada *vulg.* juga *Gron. & Heinſ. ex MSS. & ſic Baſ. marg.* 354 Armenii *vulg.* Arminii, Carminii, Querminii, Germani *al.* 355 aſſuetum *vulg.* aductum, adductum, adjunctum *al.* advectum *etiam Cuj. & Vic.*

ti. Certe idem Herodotus 8, 105 æternam notam inuſſit Panionio Chio, *ὃς τὴν ζόην κατεστήσατο ἀπ' ἔργων ἀνοσιωτάτων, ex operibus maxime nefariis victum & quæſtum ſibi conſtituit: qui quotieſcunque emiſſet pueros ſpecioſos, illos exſecaret & Sardes aut Epheſum deductos magno pretio venderet. Apud Barbaros enim pretioſiores ſunt Eunuchi* etc.

340 Conſilium hoc Semiramidis requirebat, ut nemo ſciret, illos formoſos tenui voce juvenes eſſe caſtratos.

342 Aliam narrationem adfert, in qua hoc certe conſentit cum hiſtoria, quod magno in pretio fuere in aula Perſica Eunuchi. Dedita opera argumentum de Eunuchis in aula Perſica tractauit Briſſo. 2, 163 ſqq. a p. 501 edit. Lederli. Conf. noſter 18, 415.

349 Didicit forte *alba liguſtra*, quibus *vaccinia nigra* opponuntur a Virgilio Ecl. 2, 18.

353 Ipſæ mundi plagæ pervertentur, ut Gades Hiſpaniæ extremæ ſint Orientales, Carmani autem, Parthici pars imperii, ad Occidentem ſolem a nobis referantur. Cf. 29, 53. Neſcio an ſtudioſe hic tempora miſcuerit Poëta, *teſtudo volat*, *Carmani texere diem*, *videbo delphina* etc.: omnia quidem tempore in hac rerum quæ fieri non poſſunt, & mendaciorum famæ enarratione ἀορίστως poſſe poni, dubium non habet.

355 Ex Horat. Art. 30 *Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum.*

Jam cochleis homines junctos, & quidquid inane
Nutrit, Judaicis quæ pingitur India velis.„
Subjicit & miſtis ſalibus laſcivior alter:
„Miraris? nihil eſt, quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius. ſemper nova, grandia ſemper
Diligit, & celeri deguſtat ſingula ſenſu.
Nil timet a tergo: vigilantibus undique curis
Nocte dieque patet: lenis facilisque moveri
Supplicibus, mediaque tamen molliſſimus ira.
Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.

Quid-

357 Indiacis *MS.* Lydiacis *conj. Grot. ap. Heinſ.* Niliacis *conj. Gyral. et Heinſ. Pro* velis *etiam* telis *malit Heinſ.*

356 *Cochleis homines junctos*, monſtroſa phantaſia ſimilis illis pictorum luſibus, quos Galli *Grotesques* vocare ſolent, tanquam aptas Grottis illis, h. e. Cryptis, vel Speluncis manufactis, quæ undique cochlearum quadam contextione, & in monſtroſas figuras compoſitione inductæ ſunt: quod genus deſcribit Vitruv. 7, 5 v. g. *coliculi teneri, habentes in ſe —— ſedentia ſigilla, non minus etiam ex coliculis flores dimidiata habentes ex ſe exeuntia ſigilla, alia humanis, alia beſtiarum capitibus ſimilia.* Videre me memini tales eminentes ex cochleis dimidiatos homines: ſed ubi viderim, negat memoria.

357 Laborarant in *Judaicis velis* homines eruditi: plurima dedit ad h. l. Barthius, multa Jo. Seldenus de I. N. & G. 2, 4. Breviter dicam, quid mihi ceteris videatur probabilius. Antiquitus floruit inter Judæos ars textoria, quod ipſa tabernaculi Moſaici conſtructio ſatis docet: placuere illis in hac re figuræ monſtroſæ, quod vel ſoli Cherubi, qualescunque illi demum fuerint, itemque Ezechielis, Joëlis, Amoſi, animalia poſſunt docere. Inter Babylonios & Ægyptios illam artem non dedidicerunt. Sed video hoc argumentum, et hunc locum pulchre tractatum eſſe ab Iſ. Voſſio ad Catullum p. 196 ſq. *India* abundat monſtris ſi non veris ut Africa, at Græculorum ingenio, Iſigoni, Megaſthenis, Cteſiæ, confictis. Vid. Plin. 7, 2. *Vela* ſunt hic aulæa ſ. tapetes, ut illa παραπετάσματα Μηδικὰ apud Ariſtoph. Ran. 969 in quibus Ἱππαλεκτρυόνες, τραγέλαφοι, quaſi tu equigallos & capricervos dicas.

358 *Miſtis ſalibus*, Ironia: nec enim placet, quod Barthio videbatur, quidquam hic deliteſcere obſcenæ ambiguitatis. Certe nolim ego hic acutum cernere, vel tenebris & ſilentio digna aperire. Cf. 20, 347.

362 *Nil timet a tergo*, propter prudentiam ut ille apud Perſium 1, 72 Janus, *a tergo quem nulla ciconia pinſit*: cui nemo vel a tergo deridendi cauſa longum digitum porrigere audeat. Barthius, *Nil timet*, inquit, quia cupit: *patet*, turpiſſimum ait, eodemque *facilis & molliſſimus*, & *tradit fruendum*, et *officio*, refert. Poteſt fieri. Nullum hic verbum non aliquando nequam. Et ſæculum erat, turpitudinem vel nudam proponere, quo magis fieret exoſa, quod Chryſoſtomi æqualis noſtri Claudiani, tum Hieronymi, aliorumque exemplis conſtat. Sed abeamus hinc ocius. *Vigilantibus curis* ablativos conſequentiæ puto, non dativos.

Quidlibet ingenio ſubigit, traditque fruendum.
Quidquid amas, dabit illa manus. communiter omni
Fungitur officio, gaudetque potentia flecti.
Hoc quoque conſiliis peperit meritoque laborum:
Accipit & trabeas argutæ præmia dextræ.„
Poſtquam vera fides facinus vulgavit Eoum
Gentibus, & Romæ jam certius impulit aures:
„Eutropiumne etiam noſtra dignabimur ira?
Hic quoque Romani meruit pars eſſe doloris?„
Sic effata rapit cœli per inania curſum
Diva potens, unoque Padum translapſa volatu
Caſtra ſui rectoris adit. tum forte decorus
Cum Stilichone gener pacem implorantibus ultro
Germanis reſponſa dabat, legeſque Caücis
Arduus, & flavis ſignabat jura Suëvis.
His tribuit Reges, his obſide fœdera ſancit

Indi-

366 quodlibet *vulg.* ſubicit *al.* truditque nocendum, *vel* novandum *al.* 367 ille *Gron. ap. Heinſ.* 369 meritumque laborum Accipit *conj. Heinſ.* 371 vulgarat *MS.* 375 rapit celerem *MS.* 377 fronte dec. *MSS.* 379 Cheruſcis, Chaucis *MS. Apud Græcos etiam* Κᾶυχοι, Κᾶυκοι, Χᾶυκοι *Heinſ.* 381 leges *vulg.* reges *etiam Baſ. marg. Barth.*

370 Hic quidem vix eſt, ut alicui non in mentem veniat ille apud Martialem 3, 82 *Eunuchus delicatæ ſuſcitator urinæ*, qui *Domini bibentis ebrium regit penem.* Hujus miniſterii præmium *trabeas Conſulares* eſſe, ſane acerbiſſimum eſt. Potuit hæc impune ſcribere in Honorii aula de Conſtantinopolitano dedecore, quod *facinus Eoum* ſtatim dicit, et Romæ Deæ indignationem gravi ethologia, ſed nimis longa, oſtendit. Nempe deſinere non poteſt Claudianus, in partibus præclarus, in hac œconomia intemperans.

378 *Ultro*, ne bello quidem petiti: ſed veneratione imperii Honoriani impulſi. *Cauci* hic diſſolute Caüci, qui et *Chauci* et *Cauchi*, Oceani litora accolebant, minores inter Amiſium et Viſurgin, majores inter Viſurgin et Albim. Hunc inter et Viadrum *Suevorum* late nomen patuit. *Detonſa Sygambria* eſt victa et ſubjugata, id quod pluribus Sidonii ſui et aliorum locis, etiam hoc noſtro, probat Savaro ad Sido. 2, 1 p. 67. Jucundus in primis locus Sido. 8, 9 p. 491 *Hic tonſo occipiti, ſenex Sicamber, poſtquam victus es elicis retrorſum Cervicem ad veterem novos capillos.* Ceterum utrum hæc hiſtoria ſit, ut quo tempore Eutropius Orientalis conſul erat, Honorius ſplendide adeo rem inter Germanicos populos gereret, non auſim neque affirmare neque abſciſſe negare. Metuo quidem, ne optaverit hic et vaticinatus ſit poëta potius, quam retulerit, quod actum eſſet.

Indicto: bellorum alios tranſcribit in uſus,
Militet ut noſtris detonſa Sicambria ſignis.
Læta ſubit Romam pietas, & gaudia pæne
Moverunt lacrimas, tantoque exſultat alumno.
Sic armenta ſuo jam defenſante juvenco
Celſius aſſurgunt erectæ cornua matri.
Sic jam terribilem ſtabulis dominumque ferarum
Creſcere miratur genitrix Maſſyla leonem.
Dimovit nebulam, juvenique apparuit ingens.
Tum ſic orſa loqui: „*Quantum te principe poſſim,*
Non longinqua docent, domito quod Saxone Tethys
Mitior, aut fracto ſecura Britannia Picto.
Ante pedes humili Franco triſtique Suëvo
Perfruor, & noſtrum video, Germanice, Rhenum.
Sed quid agam? diſcors Oriens felicibus actis
Invidet, atque alio Phœbi de cardine ſurgunt
Crimina, ne toto conſpiret corpore regnum.

Gil-

386 deſcendente (*pro* defendente) *it.* deſenſata *marg. Baſ.* 390 juvenisque *Cuj.* 392 nos *MS. ut* longinqua *referatur ad* Thetys *Heinſ.* 393 ſtrato *Cuj.*

584 *Romam*, matrem Honorii, ſubit affectus maternus ad conſpectum tam auguſtum filii ſui, ſ. alumni.

386 Neſcio, utrum tale quid obſervatum ſit in vaccis et leænis. Notius debet eſſe illud, cujus ſimilitudine aliquid illuſtrare volumus, eo, quod illuſtrandum eſt. Quod hic *Maſſylam* matrem dat juveni leoni, illa pars Numidiæ alias etiam aſſignatur huic animali patria, v. g. apud Stat. Silv. 2, 5. 8. Mart. 8, 55.

390 *Dimovit* Roma Dea *nebulam* ſ. aëra illum, quo veſtita ſ. potius tecta et occulta erat. Sic Virg. Aen. 1, 415 Ænean ſuum et *ſocios obſcuro gradientes aëre ſepſit, Et multo nebulæ circum Dea ſudit amictu.* Deinde cum ſe vult oſtendere v. 590 *Circumfuſa repente Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum* etc. Cui non notus *Nube candentis humeros amictus Augur Apollo?* Hor. Car. 1, 2. 31. Cf. dicta ad 1, 124.

392 Hi ergo *Saxones* maritimi, ex eorum genere, qui non ita multo poſt trajecere in Britanniam. Vid. ad 8, 31. De *Francis* 8, 447. de *Suevis* 8, 653 et 15, 37. Sed metuo, ne hæc omnia non tam poëtice ſint dicta, quam aulice, vel adulatorie potius: illud præſertim, quod Honorius hic vocatur *Germanicus*, quod nomen neque meruiſſe docet hiſtoria, neque monimentis idoneis conſtat eum geſſiſſe.

397 *Crimina* hic eſſe, quidquid objici ad laudem imminuendam poteſt, res ipſa oſtendit.

398 Hæc materia carminis de bello Gildonico. Aperte accuſat Eutro-

Gildonis taceo magna cum laude receptam
Perfidiam, & fretos Eoo robore Mauros.
Quam ſuſpecta fames, quantum diſcriminis urbi!
Ni tua vel ſoceri numquam non provida virtus
Auſtralem Arctois penſaſſet frugibus annum.
Invectæ Rhodano Tiberina per oſtia claſſes,
Cinyphiiſque ferax Araris ſucceſſit ariſtis.
Teutonicus vomer, Pyrenæique juvenci
Sudavere mihi. ſegetes mirantur Iberas
Horrea: nec Libyæ ſenſerunt damna rebellis
Jam Tranſalpina contenti meſſe Quirites.
Ille quidem ſolvit meritas, ſcit Tabraca, pœnas,
Ut pereat quicumque tuis conflixerit armis.
Ecce recens clades ab eisdem partibus exit,
Terrorisque minus, ſed plus habitura pudoris,
Eutropius Conſul. pridem tolerare fatemur
Hoc genus, Arſacio poſtquam ſe regia faſtu
Suſtulit, & noſtros corrupit Parthia mores.
Præfecti ſed adhuc gemmis, veſtique dabantur
Cuſtodes, ſacroque adhibere ſilentia ſomno.

Militia

401 quæ ſuſcepta *vulg.* ſuſpecta *etiam Baſ. marg.* quæ ſuſtenta *MS.* 403 penſaſſent *MS.* 404 Rhodani *it.* Rhodanum *MS.* 412 recens *vulg. quod etiam alias pro* repens *dant librarii Heinſ.*

Eutropium Zoſimus 5, 11 illum Gildonis ope, qui ſe Arcadii nomine rem gerere præ ſe ferebat, avertiſſe ab Honorio Africam.

401 De *fame* illa Romæ a Gildone illi indicta longa querela eſt Romæ 15, 27 ſq.

405 *Cinyphium* eſſe Africanum, jam monuimus ad 15, 9.

410 Ad *Tabracam*, Numidiæ maritimæ urbem periſſe Gildonem, noſter etiam memorat 19, 71 et 21, 358.

411 *Ut* vel poteſt optantis particula eſſe, ut in vulgato illo, *Ut illum DI Deæque omnes perdant!* vel ſimul comparandi vim habere, ſolvit Gildo pœnam, *ſicut* perire opto, & fas eſt, quicunque contra tua arma conflixerit. Referri etiam hic locus ad eos poteſt, in quibus una vox duplicem vim habere, duplicem velut perſonam ſuſtinere videtur: de quo ad 8, 288.

415 Vid. ſupra ad 348. Ceterum vicem reddidere Parthi Romanis. Olim enim, ſecundum Juvenal. 2 extr. *Prætextatos mores Romæ referebant Artaxata*, Parthorum regia.

418 *Sacro ſomno.* Hoc in primis in Conſtantinopolitanæ aulæ inſaniis

Militia eunuchi numquam transgreſſa cubile,
Non vita ſpondente fidem, ſed inertia tutum
Mentis pignus erat. ſecreta monilia ſervent,
Ornatus curent Tyrios: a fronte recedant
Imperii. tenera tractari pectore neſcit
Publica majeſtas. numquam vel in æquore puppim
Vidimus eunuchi clavo parere magiſtri.
Nos adeo ſperni faciles? orbisque carina
Vilior? Auroram certe, quæ talia ferre
Gaudet, & aſſuetas ſceptris muliebribus urbes
Poſſideant. quid belliferam communibus urunt
Italiam maculis, nocituraque probra ſeveris

Admi-

419 progreſſa cubili *MSS.* 420 iner. tantum *vulg.* 422 a forte *MSS.* 425 magiſtro *MS.* 427 aurora certe eſt *vulg.* auroram ſaltem *MS.* 428 gaudeat, aſſuetas *per appoſitionem MS.* 430 nocturnaque *Baſ. marg.*

niis deſpuendum erat, quod quid Auguſtos illos contingeret, *ſacrum* & *divinum* vocabant non aulici modo ſcurræ humiles, ſed ipſi in legum proœmiis ſic loquentes inducebantur. Videri poſſunt exempla in Jac. Gothofredi Gloſſario nomico Cod. Theod. vocibus *ſacer*, *ſacrilegus* etc.

419 *Militia* latius patet, ut *militare*, & officiorum laborumque omne genus complectitur. Ipſum hirundinum Ægyptiarum velut munus annuum, in aggere muniendo, Plin. 10, 33 *Militiam* vocat; & nota eſt *militia Togata, Curialis, Palatina, & militare in curia* etc. de quibus Jac. Gothofr. ad l. 63 C. Th. de Decurionibus, t. 4 p. 437. *Militia* omnis *Eunuchi* Palatina eſt, nec unquam *transgreſſa* ſ. egreſſa *cubile* ſ. cubiculum Principis: in hoc Eunuchi militant h. e. mandato ſibi officio funguntur: nunquam inde ad armatam militiam progrediuntur.

420 Cum non vita ante acta fidem illorum promitteret: ſed languor, inertiaque ablatæ virilitati debita, erat certum *pignus mentis* nihil molituræ novarum rerum.

422 *A fronte imperii*, ab ejusmodi muneribus, in quibus conſpicui ſunt, & oculos omnium incurrunt, qui ea adminiſtrant.

423 *Tenerum pectus* hic non ad laudem deliciasque pertinet, ſed ad imbecillitatem.

426 *Orbis carina* neſcio quid humile aut certe inconcinnum habere mihi videbatur. Si *orbis carina* eſt, quodnam eſt mare in quo ille fluctuat? *Navim reip.* intelligimus omnes: *carinæ* nomine indicari *navim*, & *orbem Ro.* eſſe imperium Ro. nemo ignorat. Sed, niſi vehementer fallor, *carina orbis* inſolenter pro imperio & adminiſtratione orbis terrarum ſ. generis humani ponitur.

427 *Auroram* pro Orientis regionibus dicit: an ad Zenobiam reſpicit?

Admiſcent populis? peregrina piacula forti
Pellantur longe Latio, nec tranſeat Alpes
Dedecus. in ſolis, quibus exſtitit, hæreat arvis.
Scribat Halys, famæ ſcribat contemtor Orontes.
Per te, perque tuos obteſtor, Roma, triumphos,
Neſciat hoc Tibris, numquam poſcentibus olim
Qui dare Dentatis annos Fabiisque ſolebat.
Martius eunuchi repetet ſuffragia campus?
Æmilios inter, ſervatoresque Camillos
Eutropius? jam Chryſogonis tua, Brute, poteſtas,
Narciſſisque datur? natos hoc dedere pœnæ

Pro-

434 formæ cont. *Baſ. marg.* quid natos *MS.* 438 repetit, repetat *al.* natos quo *conj. Heinſ.* 441 natis *al.*

434 *Scribat* nomen Eunuchi ſuis in faſtis atque hiſtoriis Lydia, Crœſi regnum, quam *Halys* ſignat, ad quem etiam Phrygia, & Peſſinus, & Gallogræci: *ſcribat* hoc nomen etiam *Orontes* Syrorum, Deæ Syriæ cultorum (vid. ad 277) fluvius. Nominat regiones, per quas in primis illa abſciſſorum Gallorum ſacra impura & effeminata celebrabantur. Quam præſertim Orontes male audierit olim Romæ, oſtendit illa Juvenalis querela 3, 62 *Jam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes*, i. corrupti Syrorum mores Romanos infecere.

435 Ne quis hunc locum a contexto orationis abruptum legens in errorem incidat, aut hæreat, meminerit, Romam loqui & compellare Honorium. Obteſtor ego *Roma* etc. *Tibris* hic populum Romanum in campo collectum notat. Antiquis moribus ad neſcio quem ornatum utuntur poëtæ ſequioris ævi. Olim nullæ campi, nullæ populi in magiſtratibus eligendis partes: ſolemnia quædam, pro ingenio principum inſtituebantur: forte ætate Claudiani in campo certe *repetebantur ſuffragia*, h. e. pronunciabantur tanquam data, ut primo ſtatim tempore ſublatæ libertatis a Cæſare factum oſtendit Luca. 5, 393 *non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis Decantatque tribus.* C. Curio *Dentato* tres *anni*, h. e. conſulatus, *Fabio* Cunctatori quinque non petentibus delati ſunt. Et jam ille *Martius*, non vano nomine, campus repetet, recitari audiet, ſuffragia Eunucho data?

440 Chryſogonum Sullæ libertum notat, de quo multa conqueritur in Roſciana Cicero: et Claudii Narciſſum.

441 Brutus ille Tarquiniorum expulſor admonuit poëtam, ut quæ duræ virtutis Romanæ per illam occaſionem exempla exſtitere, ea hic commemoret, cum aſpera exprobratione, quæ eo tandem exit, ut videant lectores, quam indignum ſit, in ea rep. quæ tantos *viros*, immo tam fortes *mulieres* habuit, conſulem fieri *eunuchum & mollem.* *Natos pœnæ dedidit* Brutus, cum ipſe Conſul de duobus filiis conjuratis contra remp. ſupplicium ſumſit. Res notiſſima ex Liv. 2, 4 ſq. Alludit poëta ad illa verba Livii, *eminente animo patrio inter publicæ pœnæ miniſterium.*

Profuit, & miſero civem præponere patri?
Hoc mihi Janiculo poſitis Etruria caſtris
Quæſiit, & tantum fluvio Porſenna remotus?
Hoc meruit vel ponte Cocles, vel Mucius igne?
Viſceribus fruſtra caſtum Lucretia ferrum
Merſit, & attonitum tranavit Clœlia Tibrim?
Eutropio faſces adſervabantur ademti
Tarquiniis? quemcunque meæ vexere curules,
Laxato veniat ſocii ſpectator Averno.
Impenſi ſacris Decii prorumpite buſtis,
Torquatique truces, animoſaque pauperis umbra
Fabricii, tuque o ſi forte inferna piorum
Jugera & Elyſias ſcindis, Serrane, novales.
Pœno Scipiadæ, Pœno præclare Lutati,

Sicania

447 merſerit *MS. Hinc Heinſ. conj.* merſerit? attonitum tranarit. 448 an ſervabantur *MS.* obſervabantur *MSS.* 550 ſocium averſatus *ex uno MS. Heinſ.* ſocii ſpeculator *MS.* ſocci ſpectator *conj. viri magni (Scaligeri) ap. Heinſ. Credo, voluiſſe poſitum* ſoccum *pro* ſcena, *vel* fabula. 455 Scipiadæ *plurali jam Baſ. & Plant. & probat Heinſ. Sed Barth. & Elzev.* 1665 *revocarunt* Scipiade.

444 *Tantum fluvio remotus*, non niſi Tiberi ſolo intercedente inter ipſius caſtra & urbem. Si quis junior annis vel doctrina hic adhæreſcat, legat Livianam narrationem 2, 9 ſqq. deinde ad Poëtam redeat.

448 *Faſces ademti Tarquiniis.* Nihil enim Conſulare imperium diverſum erat a regio, niſi quod inter duo diviſum eſſet, & annuum. Formula *vexere curules* videtur inde orta, quod ſella curulis proprie eſſet ἁρμάτιος, in qua, in currum impoſita, ſedentes veherentur. Invitat omnes qui magiſtratum curulem geſſere, ut ab inferis redeuntes videant, quem ſocium honoris acceperint.

451 Proprie tus, oleum, ſal, hoſtiæ ipſæ, impenduntur ſacris ſ. ſacrificiis. Tres Decii, Pater, filius, nepos, ſe tanquam hoſtias pro publica ſalute ſacris devotionis impenderunt.

452 *Torquati truces*, imperioſi, ſeveri. Trux erat V. G. ille L. Manlius Imperioſus, cujus & filii non minus trucis memorabilis hiſtoria eſt Liv. 7, 5. De Fabricio dictum ad 8, 414.

453 De Attilio Serrano jam 8, 415. Dat illi negotium, quo vivus delectabatur, doctus a Virgilio Æn. 6, 642 ſqq. E. G. 653 *Quæ gratia currûm Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentis Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.*

455 C. *Lutatius Catulus*, qui finem bello primo Punico impoſuit Liv. 28, 38. M. *Claudius* Marcellus Syracuſarum victor Liv. 25, 24. *Gens Claudia* nobiliſſima & virorum magnorum ferax. De M. *Curio* Dentato dictum ad 437. Sed quam illius *ſeriem* dicat, vellem oſten-

Sicania Marcelle ferox, gens Claudia ſurgat.
Et Curii ſeries; & qui ſub jure negaſti
Vivere Cæſareo, parvo procede ſepulcro
Eutropium paſſure Cato. Remeate tenebris
Agmina Brutorum, Corvinorumque catervæ,
Eunuchi veſtros habitus, inſignia ſumunt
Ambigui Romana mares. rapuere tremendas
Hannibali Pyrrhoque togas. flabella peroſi
Adſpirant trabeis. jam non umbracula geſtant
Virginibus, Latias auſi vibrare ſecures.
Linquite femineas infelix turba latebras,
Alter quos pepulit ſexus, nec ſuſcipit alter.
Exſecti Veneris ſtimulos, & vulnere caſti.
Miſta duplex ætas. inter puerumque ſenemque
Nil medium. falſi complete ſedilia patres.
Ite novi proceres, inſecundoque ſenatu
Eutropium ſtipate ducem. celebrate tribunal
Pro thalamis. verſo jam diſcite more curules,

R 2 *Non*

457 Curii veteres *vulg.* ſenes *ex MSS. Heinſ. & habet Cuj.* 462 verendas *Baſ. marg.* 464 tollunt *MSS.*

oſtendiſſet Heinſius, qui *ſeriem* pro gente vel familia poni, pulchre docuit. Certe quos Glandorplus Curios habet, eos hic memorare non valde ad conſilium poëtæ videtur pertinuiſſe. Sed ſatis eſt fuiſſe familiam hoc ipſo viro inſignem.

457 Summa hic acerbitas: qui Cæſaris beneficio noluiſti, Cato, vivere, jam patere Eutropium, eunuchum, Conſulari ſpecie tyrannum.

463 *Flabella*, Eunuchorum geſtamen. Ter. 3, 5. 47 *Heus tu, Dore, Cape hoc flabellum, & ventulum huic ſic facito* etc.

466 Plurium numero alloquitur Eunuchos. Nam videtur illos Eutropii exemplum erexiſſe, ut ſimilia & ipſi ſperarent, ii præter ceteros, qui, ut ex Suidæ loco vidimus ad titulum huius carminis prolato, ob id ipſum ſe exſecari curarunt, ut ſic felicius in aula Theodoſii procederent, in qua hæc *optima ſummi* Tum *via proceſſus*, ut apud Juvenal. 1, 39 *Vetulæ veſica beatæ.*

470 *Falſi patres*, qui vere & natura patres fieri non poteſtis, ob id ipſum non digni, qui *Patres Conſcripti* vocemini. *Tribunal celebrare* eſt frequentare, ſubinde adire, juris dicendi vel alloquendæ concionis cauſa.

473 Præfertur curuli magiſtratui curulis ſella, & ubi is imperat ponitur, ſequitur is ergo curules ſuas, ut ſua imperator ſigna. Videri

Non matrum pilenta ſequi. Neu priſca revolvam,
Neu numerem: quantis injuria mille per annos
Fit retro ducibus? quanti fœdabitur ævi
Canities? unam ſubeant quot ſæcula culpam?
Inter Arinthæi faſtus, & nomen herile,
Servus erit, dominoque ſuos æqualis honores
Inſeret. heu, ſemper Ptolemæi noxia mundo
Mancipia! en alio lædor graviore Pothino
Et patior majus Phario ſcelus. ille cruorem
Conſulis unius Pellæis enſibus hauſit.:
Inquinat hic omnes. Si nil privata movebunt,
At tu principibus, veſtræ tu proſpice cauſſæ,

Re-

476 ſit *vulg.* fit *conj. Heinſ.* 477 ſubeant *al.* 478 faſtos *al.* faſtus *etiam Vic. Vien. Baſ.* 479 æquabit *Baſ. marg.* 480 inferet Ptolemæus *Cuj.* 483 Lageis *MSS. eodem ſenſu.* 484 movebant *al.* 485 noſtræ *vulg.* conſpice *MSS.* circumſpice *MSS.* proſpice *MS.*

deri poteſt hiſtoria de Flavio Ædile curuli apud Liv. 9 extr. Ita Prætor cum vel in plano vel pro tribunali jus dicit, ſellam ſibi jubet poni.

476 Roma loquitur de ſe ut una perſona, quæ ſupra mille annos vixerit, & loquitur, ut ſolent ſenes. Putant hi canis ſuis fieri injuriam, & dedecore illos affici, ſi quid patiantur ſe indignum. *Unam culpam* et turpitudinem, Eunuchi conſulis, plura *ſæcula* ſubeunt, ſuſcipiunt, eaque maculantur.

478 *Arinthæus*, quem memoravit v. 63 Conſul fuit cum Modeſto A. V. 1124. Chriſti 372 ex rationibus Relandi, apud quem omnis memoria illius conſulatus ex legibus et faſtis. Eutropius igitur xxv annis poſt olim herum ſuum conſul fuit. Indignatur poëta, in iisdem *faſtibus* ſ. faſtis eſſe herum et ſervum illius, cum heri nomine in eadem quaſi linea honoris legi nomen ſervi.

480 *Ptolemæus* v. 61 inter heros Eutropii nominatus, hic comparatur cum Ptolemæo Ægypti R. cujus *pueri nutricius* fuit *eunuchus Pothinus*, ut ait Cæſ. Civ. 3, 108: ille, cujus (Lucа. 10, 103) *facinus meritumque* fuit interfectus ipſius conſilio, Achillæ manu, Pompejus. Hoc *Pharium ſcelus* vocat noſter, i. Ægyptium, quemadmodum *Pellæum*, quidquid ad Macedonis Alexandri, (cujus ſedes imperii Pella) ſucceſſores pertinet, in quibus vel primi Ptolemæi *Lagidæ*: ad quos reſpicit altera lectio *Lageum*.

484 *Privata* hic, ut ſæpe in omni hiſtoria Auguſta opponuntur primo faſtigio, ut omnes una formula, qui non ſunt Principes et Auguſtorum faſtigii complectatur. *Noſtræ* ſi dicit Roma, ſe Deam fatetur, cujus filii Auguſti. Sed magis placet altera, quam Heinſius etiam probabat lectio, *veſtræ*, familiæ regnatricis. Romæ cauſa etiam agebatur in reliquis.

Regaleſque averte notas. hunc aſpicit unum
Aula magiſtratum. vobis patribuſque recurrit
Hic alternus honos. in crimen euntibus annis
Parce, quater Conſul. contagia faſcibus, oro,
Defendas ignava tuis, neu tradita libris
Nomina, veſtituſque meos, quibus omne, quod ambit
Oceanus, domui, tanta caligine mergi
Calcarique ſinas. nam quæ jam bella geramus
Mollibus auſpiciis? quæ jam connubia prolem,
Vel frugem latura ſeges? quid fertile terris,

486 adverte *vulg.* averte *etiam Baſ. marg.* accipit *vulg.* 489 faſtibus *MS. quod placet Heinſ.* 491 omina *vulg.* omnia *al.* nomina *MSS.* 493 feramus *al.* 494 aut quæ con. *vulg.* 495 aut *al.* laturus ager *vulg.* latura ſeges *etiam Baſ. marg.*

486 *Regales notæ*, quæ *regibus* Romanis, (jam enim non amplius invidiam habet hoc nomen) inuruntur per turpem adeo collegam conſulem. Vix auſim dicere utra lectio ſit melior, *accipit* an *adſpicit?* utraque certe convenit, et eandem parit ſententiam.

488 *In crimen eunt omnes anni*, ſubeunt probrum illud omnes conſules, omnibus poteſt objici, turpe omnibus eſt, conſulem fuiſſe Eunuchum. Quot formas loquendi ſimiles ſubeat verbum *eo*, alias explicamus.

489 Arcadius A. C. 396 quartum Conſul fuit: Eutropius A. 399.

491 *Veſtitus* vehementi metonymia dixit, ad ſignandum munus conſulare: nempe ſic *Togam*, et *Coronam* et *Sceptra* dicunt omnes.

494 *Auſpicia* habent conſules Romani, hoc eſt ſuo nomine auſpicantur, hoc eſt, precantur Deos, ut bene ſibi et reip. evenire hunc magiſtratum, hæc comitia, hoc bellum jubeant. Principium orationis, quam Conſul Tullius pro Murena conſule deſignato habuit, hoc eſt: *Quæ deprecatus ſum a Dis immortalibus*, MORE INSTITUTOQUE MAJORUM, *illo die quo* AUSPICATO, *comitiis centuriatis*, *L. Murenam conſulem renunciavi; ut ea res* MIHI, *magiſtratuique* MEO, *populo plebique Ro. bene ac feliciter eveniret* etc. Hæc eſt, ut mox addit, *illa ſollemnis Comitiorum precatio conſularibus auſpiciis conſecrata.* Tales formulas, vel ſenſu communi judice, magna et virili voce pronunciari, dignitas poſtulat, non tenui et muliebri fractaque eunuchi vocula cantillari. Quod ſi fiat *molle* ſit ipſum auſpicium, quod robur et fiduciam conciliare debet animis. Porro in principiis et auſpiciis omen ineſſe vulgo putabant homines, felicitatis vel infelicitatis ſignificationem. Felicitas eſt reip. quam precatur in carmine ſæculari Horatiano chorus puerorum ac puellarum v. 29 *Fertilis frugum pecoriſque Tellus Spicea donet Cererem corona.* et v. 47 *Romulæ genti date remque prolemque* etc. Quam male ominatum eſt, ſi primus reip. homo ſit talis, ex quo ne naſci quidem poſſit quidquam?

Quid plenum ſterili poſſit ſub Conſule naſci?
Eunuchi ſi jura dabunt, legesque tenebunt,
Ducant penſa viri, mutatoque ordine rerum
Vivat Amazonio confuſa licentia ritu.
Quid trahor ulterius? Stilico, quid vincere differs,
Dum certare pudet? neſcis quod turpior hoſtis
Lætitia majore cadit? piratica Magnum
Erigit: illuſtrat ſervilis laurea Craſſum.
Annuis, agnoſco fremitum, quo palluit Eurus,
Quo

499 ſiſtro *duo MSS. & valde probat Heinſ.* 500 differt *vulg.* differs *correxit. Cuj. quoque.* 504 at vix agnoſcit *Baſ. marg.* Ebrus *forte leg. V. N.*

498 *Penſa*, appenſa lanæ pondera *ducant* in fila. Ad hæc penſa & colum magno malo imperii Narſetem eunuchum et ipſum revocavit Sophia Auguſta, ſi fides eſt, quam illi hic negat Baronius, Paullo Diac. de geſtis Longob. 2, 5.

499 *Amazonio ritu* imperium penes mulieres eſt. Sed dicendum aliquid de altera lectione, *ſiſtro.* Miror potuiſſe adſcribere Heinſium, *optime!* & laudavit tanquam unice huc convenientem locum Iſid. Orig. 3, 21 fin. *Unde & apud Amazonas ſiſtro ad bellum feminarum exercitus vocabatur.* Addere poterat & alterum 18, 4. ubi eadem pene verba habentur. Sed adhæſit olim ad hanc boni Epiſcopi traditionem Petitus de Amazonib. c. 27 p. 199, & ſuſpicatur hauſiſſe hoc ſomnium Hiſpalenſem ex illa Virgiliana Cleopatræ deſcriptione Æn. 8, 696 *Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro.* Videtur non ineruditus deſcriptor Claudiani, quales bonam partem contigiſſe poëtæ apparet, *ſiſtrum* Amazonium Iſidori hic inculcaſſe.

500 *Quid trahor* ea ratione dictum, quod qui *trahit ſermonem*, quæ ſolemnis formula eſt, ille antea ipſe argumenti vel dulcedine, vel moleſtia, quæ ſemper vellicat & pungit, trahitur, & provehitur.

501 *Certare pudet* virum cum femina, cum ſervo liberum. Ceterum cum non obſervarim in noſtro, *τὴν quod ἀφηγηματικὴν* poni cum conjunctivo, ubi recta conſuetudo accuſativum cum infinito poſtulat: puto hunc locum ita legendum, *neſcis? quo turpior hoſtis* eſt, eo *Laetitia majore cadit.* Quam facile potuit ex prima litera vocis ſequentis *d* adhæreſcere ad præcedentis ultimam? Quod ad ipſam rem pertinet, tractat idem argumentum Cic. Fam. 7, 2 *De Burſa* judicio a me victo *te gaudere certo ſcio. Sed nimis verecunde mihi gratularis. Putas enim, ut ſcribis, propter hominis ſordes minus me magnam illam lætitiam putare* etc.

502 *Piraticum* bellum quam gloriam Pompejo Magno attulerit, quam illum *erexerit*, poteſt intelligi e Ciceronis Maniliana c. 11 ſq. Floroque 3, 6. De bello ſervili Spartaci, quod Craſſus tandem delevit, Flor. 3, 20.

504 *Eurus* quomodo palluerit a fremitu Arcadii, difficile dictu fuerit, ſi etiam Orientis unum aliquem

Quo Mauri Gildoque ruit. quid Martia ſigna
Sollicitas? non eſt jaculis, haſtisve petendus.
Conſcia ſuccumbent audito verbere terga.
Ut Scytha poſt multos rediens exercitus annos,
Cum ſibi ſervilis pro finibus obvia pubes
Iret, & arceret dominos tellure reverſos,
Armatam oſtenſis aciem fudere flagellis.
Notus ab inceptis ignobile reppulit horror
Vulgus, & adductus ſub verbera torpuit enſis. „

513 addictus *vulg.* adſtrictus *MSS.* abductus *al.* adductus *jam Vien. marg. & Baſ. marg.* ſub verbera *MS. quod plac. Heinſio.* verbere *al.*

quem populum intelligamus. Sed *Ebrum* vel *Hebrum* ſi legamus cum Burmanno ad Æn. 1, 317, Thraces dicentur palluiſſe, vicinus populus, & motibus frequentibus agitatus. Hi cum *Gildone & Mauris*, quos ille alienarat, bene conjungentur.

505 Vetat Roma Dea, contra Eunuchum moveri arma, hoc enim eſt *ſolicitare*, ſolo, quo fixa eſſe ſolent, movere *ſigna Martia:* tractandum eſſe ut ſervum, ut olim a Scythis in nativam conditionem ſuam redacti ſunt armati in dominos vernæ, ex adulterio conjugum cum ſervis nati. Hiſtoria eſt apud Herodotum 4, 1 quem ſecutum eſſe noſtrum apparet, quod *ſervilem pubem* vocat. Corrupta eſt narratio apud Juſtinum 2, 5.

513 *Adductus enſis* eſt jam ad feriendum ſublatus & impetus ictusque vehementioris cauſa reductus. Ovid. Faſt. 1, 575 *Occupat Alcides, adductaque clava trinodis Ter quater adverſi ſedit in ore viri.* Id. Triſt. 4, 2. 5 *Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri Victima purpureo ſanguine tinguat humum.* Igitur finit hunc librum poëta imagine ſplendida, quæ poſſit bonum pictorem exercere. Juvenum ab una parte manus ſtrictis gladiis jam ſublato altero pede irruere parata in ſeniores flagella ſibi intentantes, *ſub* ipſo *verbere* jam ingruente, obſtupeſcit in rigorem oculorum et manuum etc.

XIX

CL. CLAUDIANI

IN LIBRUM II

IN EUTROPIUM

PROLOGUS

Qui modo ſublimes rerum flectebat habenas
Patricius, rurſum verbera nota timet,
Et ſolitos tardæ paſſurus compedis orbes,
In dominos vanas luget abiſſe minas.
Culmine dejectum vitæ fortuna priori
Reddidit, inſano jam ſatiata joco.
Scindere nunc alia meditatur ligna ſecuri,
Faſcibus & tandem vapulat ipſe ſuis.
Illatas Conſul pœnas ſe Conſule ſolvit.
Annus qui trabeas, hic dedit exilium.
Infauſtum populis in ſe quoque vertitur omen.

Sævit

8 ille *vulg.* 9 illicitas *vulg.* illicitus *Barth. conj.*
11 in ſe convertitur *MS.*

2 *Patricius* quo ſenſu fuerit Eutropius, dictum 18, 109.

3 *Tardas compedes* Metonymia eadem, qua pallida mors, quæ tardos reddunt: *Orbes* vocat, ut Martialis *annulos* 3, 29 & 11, 38.

4 Vanæ abierunt minæ Eutropii *in Dominos* ſuos, quos plurimos habuit (vid. 18, 60 & hic v. 29) quibus minatum credibile eſt, ſi quis illum cum ſerviret, paullo tractaſſet ſeverius.

7 Sed ſupra 18, 127 dixerat, *Cædere ligna culinæ Membra negant.* Poëtam oportebat eſſe memorem. Sed aliud eſt nempe *meditatur ſcindere*, i. exercet ſe, tentat, licet infeliciter.

8 Illud *tandem* habet hanc vim, diu hoc fieri debuiſſe, ſero factum.

9 *Se conſule* habet niſi fallor alluſionem, eamque mordaciſſimam ad illud magnificum Pompeii reſponſum, qui interrogatus a Cenſore an ſtipendia legitima confeciſſet? illud factum & quidem ſe imperatore, affirmavit. Vid. Plut. in vita p. 630, B.

10 *Trabeam* vel *trabeas* ſolet noſter de inſignibus conſulatus dicere, ut 8. 640.

11 *Infauſtum*, obſcenum *omen* Eunuchus conſul, quod late perſequi-

Sævit in auctorem prodigioſus honos.
Ablato penitus reſpirant nomine faſti,
Maturamque luem ſanior aula vomit.
Diſſimulant ſocii, conjuratique recedunt.
Procumbunt pariter cum duce tota cohors,
Non acie victi, non obſidione ſubacti,
Ne pereant ritu, quo periere viri.
Concidit exiguæ dementia vulnere chartæ.
Confecit ſævum littera Martis opus.
Mollis feminea detruditur arce tyrannus,

14 aura *editt. primæ: ſed* aula *jam Baſ.* 16 procumbit *vulg.* 17 ſeditione coacti *vulg.* deditione *MS.* 18 nec pereunt *MSS.* 21 arte *vulg.* arce *ex MSS. melioribus Heinſ. vid. ad* 8, 293.

ſequitur noſter carminis prioris principio. Vid. quæ ponemus ad v. 19.

13 Deletum ex Faſtis nomen Eutropii, quæcunque ſuperſunt eorum particulæ ad hunc annum pertinentes declarant, cum ſolum Theodori Mallii nomen habeant.

14 Maturitatem hodiernorum etiam conſuetudo medicorum morbis quibusdam, nominatim purulentis tribuit. *Sanior aula:* inſaniebat enim, quam diu ſuſtinuit, quin conſulem fecit Eutropium. Liberius de Conſtantinopolitana aula et Arcadio loqui ſolet noſter.

18 Ne cadant in prælio, aut ferro certe militari, ut viri. Non enim poſſum probare, quod manu, quæ Cujacii putatur, adſcriptum eſt Baſileenſi exemplo, *Ne pereant ferro, quo evirati ſunt.*

19 *Charta exigua* eſt epiſtola Imperatoris, ad Præfectum Prætorii, quæ exſtat in C. Th. cujus eſt (L. 9 t. 40) l. 17 de Pœnis. Reſcribit nempe Arcadius Aureliano Præf. Præt. *Omnes res Eutropii, qui quondam Præpoſitus ſacri cubiculi fuit, ærarii noſtri calculis adjunximus, erepto ſplendore ejus, & conſulatu a tetra illuvie, & a commemoratione nominis ejus, & cœnoſis ſordibus vindicato, ut ejusdem univerſis actibus antiquatis, omnia muteſcant tempora, nec ejus enumeratione ſæculi noſtri labes appareat: nec ingemiſcant, aut qui ſua virtute ac vulneribus Romanos fines propagant, vel qui eosdem ſervanda juris æquitate cuſtodiunt, quod divinum præmium conſulatus lutulentum prodigium contagione fœdavit. Patriciatus etiam dignitate, atque omnibus inferioribus, ſpoliatum ſe eſſe cognoſcat, quos morum polluit ſcævitate.* Deinde ſtatuæ ejus aboleri jubentur, de quo ad 20, 7: & relegatur Cyprum, 19, 60.

21 *Arx feminea*, cubiculum, cui præfectus fuerat Eutropius, qui ſtatim vocatur *thalamus. Feminea arte* interpretari licebat de Eudoxia uxore Arcadii, de qua Philoſtorg. H. E. 11, 6 refert, ipſam ab Eutropio injuria affectam, contra illum ſupplicaſſe marito, duas puelles ſuas Pulcheriam & Arcadiam in ſuis ulnis ei offerentem (ἀγκαλισαμένη - προτεινομένη) eaque re incitaſſe ignavum alias maritum in perniciem Eutropii. Sed nihil tale

Et thalamo pulſus perdidit imperium.
Sic juvenis, nutante fide, veterique reducta
Pellice, defletam linquit amica domum.
Canitiem largo raram de pulvere turpat,
Et lacrimis rugas implet anile gemens.
Suppliciterque pias humilis proſtratus ad aras
Mitigat iratas voce tremente nurus.
Innumeri glomerantur heri, ſibi quiſque petentes
Mancipium ſolis utile ſuppliciis.
Quamvis fœdus enim, mentemque obſcenior ore,
Ira dabit pretium. pœna meretur emi.
Quas, ſpado, nunc terras, aut quem tranſibis in axem?
Cingeris hinc odiis, inde receſſit amor.
Utraque te gemino ſub ſidere regia damnat.
Heſperius numquam, jam nec Eous eris.
Miror cur, aliis qui pandere fata ſolebas,
Ad propriam cladem, cœca Sibylla, taces?
Jam tibi nulla videt fallax inſomnia Nilus.
Pervigilant vates nec, miſerande, tui.
Quid ſoror? audebit tecum conſcendere puppem,
Et veniet longum per mare fida comes?

An

22 ut *malit Barth.* 23 fluitante *MSS. ut* 15, 247. 25 carpit *Vien. marg. it. Baſ. marg.* 27 ſubſiſtit *Baſ. marg.* ſubſtratus *Vic. Vien.* 30 vivere *Cuj.* 32 dabat *al.* addit *conj. Heinſ.* 40 miſeranda *MS. tanquam feminam appellaret.*

tale in ipſo carmine ſuo Claudianus, qui inter crimina Eutropii non omiſſurus videtur fuiſſe, nec inter cauſas ruinæ, Eudoxiam; ſed potius eum locum ſplendide illuſtraturus.

23 *Juvenis* ſecundo caſu accipiendum.

25 *Pulvere turpare canitiem*, cineribus ſpargere crines, antiquiſſima ratio ſignificandi luctus, in ſacris ut 2 Sam. 13, 19. apud Homerum Il. Σ, 23 etc.

27 Confugerat in Eccleſiam tanquam in aſylum. Diximus ad 18 pr.

33 *Quem in axem*, i. regionem. V. ad 15, 458.

39 Lucem hæc accipiunt ex his, quæ ad 18, 312 obſervata ſunt. De *ſorore* dictum ad 18, 263. De *pervigiliis* eorum qui ſe ad vaticinandum pararent, dixi quondam ad Luciani Philopatr. c. 26 ſ. T. 3 p. 615, 4.

An fortaſſe toros eunuchi pauperis odit,
Et te nunc inopem dives amare negat?
Eunuchi jugulum primus ſecuiſſe fateris.
Sed tamen exemplo non feriere tuo.
Vive pudor fatis. en quem tremuere tot urbes!
En cujus populi ſuſtinuere jugum!
Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras principis eſſe pater.
Improbe quid pulſas muliebribus aſtra querelis,
Quod tibi ſub Cypri litore parta quies?
Omnia barbarico per te concuſſa tumultu.
Crede mihi, terris tutius æquor erat.
Jam non Armenios jaculis terrebis & arcu,
Per campos volucrem non agitabis equum.
Dilecto caruit Byzantius ore ſenatus,
Curia conſiliis æſtuat orba tuis.
Emeritam ſuſpende togam, ſuſpende pharetram.
Ad Veneris partes ingeniumque redi.
Non bene Gradivo lenonia dextera ſervit.
Suſcipiet famulum te Cytherea libens

Inſula

44 fugit *MS.* 46 et tamen *Plant. marg.* 47 faſtis *conj. Scip. Gentil. ap. Heinſ. Magis pie quam ad mentem poëtæ.* 48 cujus tot *Baſ. marg.* 52 quid ſibi *Baſ. ſed in marg.* quod tibi. Quid tibi *Plant.* 54 terra *MS.* erit *al.*

45 De hac hiſtoria nihil aliunde adhuc allatum eſt. Scriptum apparet eſſe hunc Prologum, cum mors Eutropio nondum decreta eſſet.

47 De *Pudore* Deorum & Fatorum vid. ad 18, 210.

50 Nempe ut indicavimus ad 18, 109 *Patricius* eſt quem patris honore dignatur Princeps.

53 Hic certe obtentus erat Tribigildi, quicum occulta ſocietas erat Gaini, removendum ab aula & vita eſſe Eutropium.

55 Hæc ſumta videntur ex eorum vocibus, qui adularentur florenti & rerum potienti Eutropio.

60 *Ad Veneris partes*, quæ *Diva potens Cypri* (Hor. Car. 1, 3. 1) nunc etiam ut locat Numen in tutelam te recipit, cum ſuum propter ea quæ paſſus es, ut Eunuchus, et quorum miniſter tanquam leno fuiſti. Verba legis vel privilegii potius ad v. 19 laudati ſunt, *Adhibiti fidis cuſtodibus ad Cyprum inſulam perducatur, in qua Tua ſublimitas relegatum eſſe cognoſcat, ut ibidem pervigili cura vallatus, nequeat cogitationum ſuarum rabie cuncta miſcere.*

Inſula læta choris, blandorum mater amorum.
  Nulla pudicitiæ cura placere poteſt.
Proſpectant Paphiæ celſa de rupe puellæ,
  Sollicitæ, ſalvam dum ferat unda ratem.
Sed vereor ne te teneant Tritones in alto
  Laſcivas doctum fallere Nereidas:
Aut iidem cupiant pelago te mergere venti,
  Gildonis nuper qui tenuere fugam.
Inclita captivo memoratur Tabraca Mauro.
  Naufragio Cyprus ſit memoranda tuo.
Vecturum moriens fruſtra delphina vocabis.
  Ad terram ſolos devehit ille viros.
Quiſquis adhuc ſimiles eunuchus tendit in actus,
  Reſpiciens Cyprum deſinat eſſe ferox.

65 ſede *Baſ. marg.* 69 demergere *MS.* 70 Gildoni *MS.* fidem *MS. Hinc conj. Heinſ.* Gildoni nuper qui renuere fidem. 74 mares *Cuj.* 75 in actus *Cuj.*

67 *Tritones Nereïdas*que peculiariter in Veneris, mari ortæ, tutela eſſe, œconomia etiam carminis de nuptiis Honorii et Mariæ docet. Vid. ad 10, 127.

70 Videntur venti adverſi tenuiſſe Gildonem poſt victoriam: ſi enim potuiſſet fugere, non ſua manu mortem quæſiſſet. Vid. Zoſim. 5, 11. *Tabraca*, ad quam periit Gildo, fuit maritima. Vid. ad 18, 410.

73 Ad Arionis fabulam alludit, de qua Herodoti dulciſſima narratio 1, 23 pulchre reddita a Gellio 16, 19.

75 Etiam hic videtur Claudianus præ oculis habuiſſe Herodotum 2, 141 ubi refert de Regis Arabum et Aſſyriorum Sanacharibi ſtatua, murem manu tenentis, quo animali omnia e corio nervisque et chordis facta per unam noctem corrodente, ipſe cum exercitu inermis in poteſtatem Ægyptiorum quos invaſiſſet, venerat, cum elogio, Ἐς ἐμέ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔςω. Plane ſimile illud Euripideum Bacch. 1324 Εἰ δ' ἐςιν, ὅςις δαιμόνων ὑπερφρονεῖ, Εἰς τῦδ' ἀθρήσας θάνατον, ἡγείθω θεούς. Forte ex eodem fonte eſt illud Virgilianum, *Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.*

Google

XX

CL. CLAUDIANI

IN EUTROPIUM

LIBER II

Mygdonii cineres, & ſi quid reſtat Eoi,
Quod pereat, regni, certæ non augure falſo
Prodigii patuere minæ, fruſtraque peracto
Vulnere monſtriferi præſagia diſcitis anni.
Cautior ante tamen violentum navita Corum
Proſpicit, & tumidæ ſubducit vela procellæ.
Quid juvat errorem merſa jam puppe fateri?
Quid lacrimæ delicta levant? ſtant omnia veſtri
Conſulis. immotis hæſere piacula fatis.
Tunc decuit ſentire nefas, tunc ire recentes

Deter-

2 certe *vulg.* 6 conſulit *MSS.* 8 cum l. d. luant *MS.*

1 Principium libri parallelon eſt quodammodo & reſpondet principio primi. Ibi ille horribile prodigium & triſtiſſimum omen canebat eſſe Conſulem eunuchum. Hic experiiſſe dicit illas minas fatorum. Alloquitur non ſine πάθει *Mygdonios cineres* h. e. Phrygiam vaſtatam a Tribigildo, quem Ταρβιγγίλδον Sozomenus, noſter v. 175 ſqq. *Targibilum* ſoni & numeri forte cauſa vocat. Hiſtoriam perſequitur Zoſimus 5, 13 ſqq. Brevior eſt Socr. H. E. 6, 6 & Sozom. 8, 4. Summa hæc eſt: rebellavit aperte Tribigildus Comes barbarus, qui Arcadio militaverat, excitatus a Gaine ejuſdem conditionis viro: qui ad ſpeciem illi ſe objecit, ſed tanto majore cum clade imperii. Utrique cauſa irarum, obtentus certe, peſſima adminiſtratio Eutropii. Ab his vaſtata præter Phrygiam magna pars *Eoi regni* h. e. imperii Orientalis, cum ipſius clade Conſtantinopoleos. Hi ad pœnam depoſcebant Eutropium.

3 *Fruſtra* ideo diſcitis, quod *peracto* demum *vulnere* diſcitis, quam fatalis fuerit annus Eutropio Conſule notatus: ut fruſtra monuit Caſſandra Trojanos, qui non prius didicere, quantum mali ſibi ferret equus, quam urbe jam incenſa.

8 *Stant omina*, durant mala, quæ ſignificavit infauſtum præſagium, eunuchus Conſul: idem ſibi vult formula *piacula hæſere*, i. flagitia, quæ expiari debebant, atque elui, tanquam macula, adhuc inhærent.

10 *Tunc*, ſtatim Kalendis Januariis, vel ſtatim poſtquam deſignatus eſt flagitioſus Conſul. Ellipſis durior,

Deterſum maculas. veteri poſt obruta morbo
Corpora, Pæonias nequidquam admoveris herbas.
Ulcera poſſeſſis alte ſuffuſa medullis,
Non leviore manu, ferro ſanantur, & igni,
Ne coëat fruſtra mox eruptura cicatrix.
Ad vivum penetrant flammæ, quo funditus humor
Defluat, & vacuis corrupto ſanguine venis
Areſcat fons ille mali. Truncantur & artus,
Ut liceat reliquis ſecurum degere membris.
At vos egregie purgatam creditis aulam,
Eutropium ſi Cypros habet, vindictaque mundi
Semivir exſul erit. quis vos luſtrare valebit
Oceanus? tantum facinus quæ diluet ætas?
Induerat necdum trabeas: mugitus ab alto

Reddi-

12 artes *al. etiam Baſ. marg.* 15 noceat *vulg.* coëat *debetur Barthio. Idem conj.* irruptura. 18 areſcat *vulg.* exundet *ex MSS. Heinſ. qui conj.* exſudet. ſecure *al.* vivere *al.* 24 axe-inferno *Vien. Baſ.* alto *Vic. & MSS.* infernas *etiam Cuj. & MSS. Heinſ.*

durior, ſed neceſſaria, niſi ponamus, quod pene eſt ut malim, aut ſcriptum eſſe editumque (ſub clipeo Stilichonis) priorem librum, aut ſcriptum certe editumque fingi, cum primum in Italia et in aula Honorii innotuit, Orientalem ſ. Conſtantinopolitanum Conſulem factum eſſe Eutropium. Sic illud *non augure falſo* pertinuerit ad ipſum poëtam, qui glorietur, ſe ea prædixiſſe mala, quæ hoc anno, hoc conſule acciderint.

18 *Areſcat*, cur mutarent critici vel antiqui vel recens, non videtur idonea cauſa fuiſſe. Nihil magis vel fonti vel cauterio convenit, quam *Areſcere*. Si tamen cui placeat *Exundet*, hic non erit, ut plerumque, redundet; ſed plane effluat & exhauriatur: *exudet*, ſ. *exſudet* ad fontem relatum nimis tenue, cauterio plane non convenit.

19 *Securum* adverbii inſtar hic videtur habere, cujus forte gloſſa eſt, quod habent quidam *ſecure*: *membris* autem tertio caſu intelligam, ut *reliquis membris* contingat etc.

20 Ironia utitur: hoc enim vult, Erratis, Conſtantinopolitani, ſi creditis etc. Totus mundus violatus ac pollutus eſt, pro hoc crimine vindicta nimis tenuis eſt eunuchus in exilium actus. *Oceanus* h. e. in univerſum *mare*, luſtrare vos non poterit, quo *cetera*, *quæ violata ſunt expiari putantur* (Cic. pro Roſc. Am. c. 26) in quod deportari jubebant aruſpices Etruſci androgynos ſ. ſemimares & portenta ſimilia (Liv. 27, 37. Jul. Obſ. c. 56)

24 Nunc alia prodigia vel fingit, vel, poſt alios narrat, indignantis velut naturæ rerum & malum minantis imperio Orientali. Mugitus ſubterranei prænuncii & comites terræ motuum, iidem portendunt mala alia. Hunc mugitum *ab axe inferno* reddi, mihi placet, cum ita frequens ſit noſtro

unam-

Redditus. infernas rabies arcana cavernas
Vibrat, & alterno confligunt culmina lapſu.
Bacchatus per operta tremor Chalcedona movit,
Pronus & in geminas nutavit Boſporus urbes.
Concurrere freti fauces. radice revulſa
Vitant inſtabilem rurſum Symplegada nautæ.
Scilicet hæc Stygiæ præmittunt ſigna ſorores.
Et ſibi jam tradi populos hoc conſule gaudent.
Mox oritur diverſa lues. hinc Mulciber ignes
Sparſerat, hinc victa proruperat objice Nereus.
Hæc flagrant, hæc tecta natant. quam, Numina, pœnam
Servatis ſceleri, cujus tot cladibus omen
Conſtitit? incumbas utinam, Neptune, tridenti:
Pollutumque ſolum toto cum crimine mergas.
Unam pro mundo Furiis concedimus urbem.
Utque ſemel patuit monſtris iter, omina tempus
Nacta

26 conſtringunt *Cuj.* 33 Mulcifer *MS. & ſæpe alias alii, Heinſ.* 34 victo *al. it.* rapto, rupto, vincta *al.* 35 hinc -- hinc *al.*

unamquamque regionem *axis* nomine ſignare. V. ad 15, 458. Sed nec auſim loco movere lectionem Heinſianam, cum *ab alto* etiam ſit idem quod e profundo.

26 *Confligunt* proprie dictum, irruunt in ſe invicem & ſe pulſant *culmina* & faſtigia vicina. *Boſporus* hinc in Chalcedona tendit, hinc Conſtantinopolin. Hæ ſunt *geminæ urbes.*

30 *Symplegades* (vid. 3, 173) poſt Argonautarum tranſitum ſtabiles, nunc, radice a terræ motu revulſa, denuo periculoſæ ſunt & vitandæ nautis.

31 *Stygiæ ſorores*, Parcæ, vitæ ac necis mortalium, felicitatis ac infelicitatis regnorum dominæ.

33 Incendia pariter & eluviones infeſtæ ſolent eſſe Conſtantinopoli. *Obiicem* vocat aggerem fluctui oppoſitum.

36 Illa incendia, illæ eluviones, nondum ſunt ipſæ pœnæ, ſed pœnam denunciant adhuc *ſervatam* ſ. reſervatam imminentemque ſceleri, quo pollutus eſt mundus. Hoc per interrogationem enunciat poëta, Quam poenam ſervatis, Dii, cujus pœnæ ipſa denunciatio (hoc enim hic eſt omen) jam tot ſtragibus conſtitit?

37 Pingit Neptunum tridente ſuo utentem & nitentem tanquam vecti, ut Aen. 2, 61 idem *Neptunus muros magnoque emota tridenti Fundamenta quatit, totamque e ſedibus urbem Eruit.*

39 Paciſci cupit cum Furiis, quæ, ut eſt v. 32, *ſibi tradi populos* univerſos *hoc conſule, gaudent*: urbem dominam offert pro toto mundo h. e. imperio, cui minantur fata.

40 Morem vulgi deſcribit, ubi ſemel conſternati & tacti religione ſunt

Nacta ſuum properant. naſci tum decolor imber,
Infantumque novi vultus, & diſſona partu
Semina. tum lapidum fletus, armentaque vulgo
Auſa loqui, mediiſque feræ ſe credere muris.
Tum vates ſine more rapi, lymphataque paſſim
Pectora terrifici ſtimulis igneſcere Phœbi.
Fac nullos ceciniſſe Deos. adeone retuſi
Quiſquam cordis erit, dubitet qui partibus illis
Affore fatalem caſtrati Conſulis annum?
Sed quam cœcus ineſt vitiis amor! omne futurum,
Deſpicitur, ſuadentque brevem præſentia fructum,
Et ruit in vetitum damni ſecura libido.
Dum mora ſupplicii lucro, ſerumque, quod inſtat,
Creditur.

41 diſcolor *al.* 46 fatidici *vulg.* terrifici *etiam Baſ. marg.*

ſunt animi, narrantur prodigia ſubinde plura. Hoc ita eſſe intelliget, ſi quis attenderit ad Liviana illa, quæ partim in libris ſuperſtitibus exſtant, partim ab Obſequente ex deperditis excerpta ſunt. Indicat ipſe Liv. 27, 37 *Sub unius*, inquit, *prodigii*, UT FIT, *mentionem*, *alia quoque nunciata*. Comparari poteſt hic locus cum principio libri ſuperioris, ad obſervandas divitias ingenii poëtæ.

43 *Lapidum fletus*, ſtatuarum, credo. Liv. 40, 19 *Lanuvii ſimulacrum Junonis Soſpitæ lacrimaſſe* nunciatum eſt. Forte huc referas etiam 28, 11 *Ara Neptuni in circo Flaminio multo ſudore manaſſe dicebatur*.

45 Furore correptos *vates* & veros in gente Hebræorum, & hos, qui apud alias memorantur, notum eſt, & *μάντεις* eſſe dictos ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι &c. Sed etiam naturali quadam ratione accidit, ut in magnis terroribus hominibus ſana mens excutiatur, atque, quod narrat Plin. Epiſt. 6, 20. 19 de incendio Veſuvii, *Tremor terræ perſeverabat*, *& plerique lymphati terrificis vaticinationibus*, *& ſua & aliena mala ludificabantur* h. e. mendacibus & monſtroſis exaggerationibus ita augebant, ut ridicula videri poſſent.

47 Negat opus fuiſſe inſpiratis divinitus vatibus. Naturali & civili divinatione potuit ſuſpicari vnusquiſque non ſtupidus homo, infelicem fore civitatem tali conſule. Si volumus Poëtam ipſum non inſanire, in omni hoc genere invectivarum in Eutropium totus cogitandus eſt, ſuis cum vitiis & vita Eunuchus, non ſolum truncati corporis infortunium, in quo bonam mentem & fortitudinem adeo poſſe reſidere, ne longe abeamus, Narſes & Abælardus ſatis docent.

50 Sapiens & philoſopha ſententia. Ut remota quæ ſunt parua videntur oculis: ita futuri vel dolores vel gaudia non recte æſtimantur. *Fructum* meminiſſe debemus & hic & alias non ſubſtantiæ aut corporis alicujus nomen eſſe, ſed affectionis, verbo *fruitionem*.

Creditur. haud equidem contra tot ſigna Camillo
Detulerim faſces; ne dum, proh ſexus! inerti
Mancipio, cui cuncta licet reſponſa juberent,
Hortanteſque licet ſponderent proſpera Divi,
Turpe fuit ceſſiſſe viros. Exquirere retro
Crimina continui lectis annalibus ævi.
Priſca recenſitis evolvite ſæcula faſtis.
Quid ſenis infandi Capreæ, quid ſcena Neronis
Tale ferunt? ſpado Romuleo ſuccinctus amictu
Sedit in Auguſtis laribus. vulgata patebat
Aula ſalutantum ſtudiis. huc plebe ſenatus
Permiſta, trepidique duces, omniſque poteſtas
Confluit. advolvi genibus, contingere dextram
Ambitus. & votum deformibus oſcula rugis
Figere. præſidium legum, genitorque vocatur
Principis, & famulum dignatur regia patrem.
Poſteritas, admitte fidem. monumenta petuntur
Dedecoris, multiſque gemunt incudibus æra
Formatura nefas. hæc judicis, illa togati.

Hic

64 hinc *Cuj.* 71 mutisque *MS.*

54 *Contra tot ſigna*, ſiniſtra auſpicia quæ commemorauit. Illud *proh ſexus!* indignationem debet exprimere, quaſi dicat, pudeat nos, qui viri ſumus!

61 Modum tenere non ſolet noſtri ingenium. Ea narrat Suetonius de Tiberii ſeceſſu Capreis, de Neronis furoribus, quæ horrorem incutiunt, ad quæ ludus ſunt, quæ referuntur de Eutropio. Sed vitium proprium Claudiani & ſæculi illius eſt paratragœdare, & fluctus movere in ſimpulo.

63 *In auguſtis laribus*, tanquam pars aulæ, Præpoſitus ſacri cubiculi Arcadii.

65 *Trepidi duces* facundiſſimum epitheton, qui nihil meruere, ne mortem quidem præſentem horrere debebant, *trepidant*, dum ſalutant Eunuchum.

68 *Genitor principis*, Patricius v. ad 18, 109.

70 Statuas aereas & omnis generis imagines factas Eutropio, apparet ex l. 17 C. Theod. de Pœnis, cujus partem ad 19, 19 dedimus: *Omnes ſtatuas, omnia ſimulacra, tam ex ære, quam ex marmore, ſeu ex fucis* (pigmentis, coloribus) *quam ex quacunque materia, quæ apta eſt effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis, locisque privatis ac publicis, præcipimus aboleri: ne tanquam nota noſtri ſæculi obtutus polluat intuentum.*

72 *Judicis*, Præfecti Prætorio, *Togati*, Præpoſiti cubiculo, *Armati* ducis, quo etiam *eques* pertinet, id eſt ſtatua equeſtris: in *Curia* imago clipeata vultus.,

Hic nitet armati ſpecies: numeroſus ubique
Fulge eques: præfert eunuchi Curia vultus.
Ac veluti caveant, ne quo conſiſtere virtus
Poſſit pura loco, cunctas hoc ore laborant
Inceſtare vias. maneant immota precamur,
Certaque perpetui ſint argumenta pudoris.
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Vel maribus laudes: claro quod nobilis ortu;
Cum vivant domini? quod maxima prælia ſolus
Impleat; & patitur miles? quod tertius urbis
Conditor, hoc Byzas, Conſtantinusque videbunt?
Inter quæ tumidus lleno producere cœnas
In lucem, fœtere mero, diſpergere plauſum
Emturas in vulgus opes, totoſque theatris
Indulgere dies alieni prodigus auri.
At ſoror, &, ſi quid portentis creditur, uxor
Mulcebat matres epulis, & more pudicæ
Conjugis eunuchi celebrabat vota mariti.

Hanc

75 conſidere *MSS.* 76 pulchra, *it.* tuta *MS.* hæc ora laborent *vulg.* 77 inſtaurare *MS.* *Hinc conj. Heinſ.* cunctis hæc ora Inſtaurare viis. 79 ſubtus *MSS.* 81 convivant *vulg.* conviva & *Claver.* *Heinſiana lectio ab ipſo transſcribitur Gronovio & Barthio.* 82 pariter *vulg.* patitur *jam Cuj.* 85 plauſtrum *Baſ. marg.*

77 Invidioſum votum: quaſi gaudeat turpitudine Conſtantinopolitanæ urbis, & Orientalis Imperii, aut certe metuat, ne carmini ſuo fides non habeatur, ſi non maneant argumenta rerum.

79 *Subter* in ea, quæ *honorum pagina* vocatur Juvenali 4, 122 & ſcholiaſtæ ad eum locum *tabula patronatus*, de qua ad 18, 230.

83 *Byzas* Heros, Neptuni filius, Byzantii primus conditor, neſcio an alio nomine notus. Nomen ejus & caput modo juvenile modo barbatum eſt in numis. Quæ traduntur de illo ſunt apud Stephanum Byzant. v. Βυζάντιον, & quæ ibi VV. DD.

85 *Diſpergere* proprie dictum videtur de miſſilibus, quæ ſpargi per talem occaſionem ſolebant. vid. 24, 231. Prohibuit Juſtinianus Nov. 105 c. 2 *aurum ſpargere.* Vid. Jac. Gothofr. ad l. 7 C. Th. de falſa moneta. Et tandem *Conſulari magnificentia -- in abjectam ſpeciem transformata*, Leo Nov. 94 totam rem abrogavit. Sed poteſt etiam univerſim omnem illam liberalitatem munerum, ludorum, viſcerationum, ſportularum &c. notare. *Alienum* aurum vel ſurreptum principi, vel per injuriam extortum aliis.

88 Hic locus in primis indicat, quam ſororem ferebat ſuam Eutropius, cum illa etiam obſcenam conſuetudinem habuiſſe. Vid. 18, 263.

Google

Hanc amat, hanc ſumma de re, vel pace vel armis,
Conſulit, huic curas & clauſa palatia mandat,
Ceu ſtabulum vacuamque domum. ſic magna tueri
Regna nihil? patienſque jugi deluditur orbis?
Mitior alternum Zephyri jam bruma teporem
Senſerat, & primi laxabant germina flores.
Jamque iter in gremio pacis ſolenne parabant
Ad muros Ancyra tuos, auctore repertum
Eutropio, pelagi ne tædia longa ſubirent,
Sed vaga laſcivis flueret diſcurſibus æſtas:
Unde tamen tanta ſublimes mole redibant,
Ceu vinctos traherent Medos, Indumque bibiſſent.
Ecce autem flavis Gradivus ab uſque Gelonis
Arva cruentato repetebat Thracia curru.
Subſidunt Pangæa rotis, altæque ſonoro
Stridunt axe nives, ut vertice conſtitit Aemi,

S 2 Femine-

92 ceras *MS.* 93 viduamque *MSS.* 97 e gremio *MS.*
100 ætas *vulg.* 101 laude *vulg.*

93 An forte ad *ſtabulum* illud reſpicit, de quo 18, 61? ut ſit ſenſus, Eutropius mandat ſorori curam palatii, ut ipſi quondam ſtabuli curam injunxerat Ptolemæus.

96 *Gremium pacis* eſt etiam 15, 51. Plin. Pan. 56, 4 *Intimus ſinus pacis.*

97 *Ancyra* metropolis Galatiæ ſ. Gallogræciæ, unde Gallos illos caſtratos ſ. ſemiviros arceſſunt viri docti. Vid. ad 18, 277. Videtur igitur Claudianus hoc indicare velle, placuiſſe Eutropio Ancyram, ut metropolin Gallorum etiam ſui ſimilium. Colligo hoc e verbis, *auctore repertum Eutropio.* Hic nempe, cum amaret Ancyram, ſuaſit illud iter Imperatori. Sed etiam alias conſtat, Byzantinos Imperatores, & præſertim Arcadium, ſolitos eſſe Ancyræ commorari: quod oſtendit Jac. Gothofr. ad l. 3 C. Th. ad L. Corneliam de Sicariis, quæ Ancyræ data eſt ab Arcadio A. 397, To. 3 p. 98, b.

99 *Pelagi tædia* ad Conſtantinopolin pertinet: ne ipſa illa ſpecies, quantumvis formoſa, maris, quotidie obverſata oculis, tædium crearet.

101 *Sublimes mole* poterat repugnans videri, cum deprimi ſoleamus mole & onere, non erigi, ſeu fieri ſublimes. Scilicet *moles* hic *ὄγκος* eſt, & tumorem etiam inflationemque a ſuperbia profectam, ſignificat.

103 Martem ſ. *Gradivum* patrem alias etiam *Gelonis* apponit & Thraciæ. Vid. 1, 109 ſq. De Thracia & Pangæis 3, 336 ſq. Illud *ſtridunt nives* magnum frigus indicat, quod Alexandrinus poëta in patria ſua obſervaſſe nequit.

Femineaſque togas preſſis conſpexit habenis.
Subriſit crudele pater, criſtiſque micantem
Quaſſabat galeam. tunc implacabile numen
Bellonam alloquitur, quæ ſanguine ſordida veſtem
Illyricis pingues pectebat ſtragibus hydros.
„Nec dum mollitiæ, nec dum, germana, mederi
Poſſumus Eoæ? numquam corrupta rigeſcent
Sæcula? Cappadocum tepidis Argæus acervis
Aeſtuat. infelix etiamnum pallet Orontes.
Dum pereunt, meminere mali. ſi corda parumper
Reſpirare ſinas, nullo tot funera ſenſu
Prætereunt, tantique levis jactura cruoris.
Adſpicis obſcenum facinus? quid crinibus ora
Protegis? en quales ſeſe diffundat in actus
Parva quies! quantum nocuerunt otia ferri!

Qui

108 triſtisque *vulg.* criſtisque *jam Cuj.* 109 quaſſavit *al.* concuſſit *al.* 110 aggreditur *MS. quod placet Heinſio.* 111 paſcebat, ſpectabat *al.* pexebat *conj. Heinſ.* ſtragibus *etiam Cuj.* cladibus *al.* 115 ſquallet *malit Heinſ.* 120 haec quales *vulg. Forte fuit* eu. diffundat *MS.* artus *al.*

107 *Femineas togas* dicit Eutropii & delicati agminis, quod comitabatur Arcadium, non tantum greges eunuchorum & feminarum, ſed viros etiam molliter veſtitos & viventes.

111 *Illyrium* turbatum erat bellis Gothicis Alarichi. Vid. ad 15, 453, præſertim Zoſim. 5, 26. *Hydros pectebat* Bellona i. implicitos ſibi diſcriminabat digitis. (cf. 3, 42). Hac pictura Furiarum unam facit Bellonam, quod neſcio an aliis placuerit: certe nemini eorum, quos laudat Cerda ad Aen. 8, 703. *Tartaream* tamen *Divam* vocat Sil. 5, 222.

114 *Argæum* Cappadociæ montem nominavit etiam 5, 31. *Ἀργαῖον* Græci. *Orontes* Syriam ſignat. *Orontes pallet*, Syria adhuc habet ſigna terroris, luctus &c. Sic 29, 76 *flumina pallent.* Quia infra v. 164 *exſanguem Iſtrum* dicit. In omnibus nempe ad illam Proſopopœian reſpicitur, qua humanam ſpeciem fluuii accipiunt. Et Cappadociam & Syriam bellicis turbis vexatam, indicatur.

119 *Obſcenum facinus* cum reſpectu ad turpitudinem Veneream, qua diverſis modis pollutus eſt Eutropius: & ad malum omen ſ. auſpicium, quod auſpicatur annum, & nomine ſuo ſignat eunuchus, cujus vel occurſus obſcenum & deſpuendum omen eſt. Vid. ad 18, 125 & 19, 11. *Crinibus ora protegit* Bellona, quod illam pudet. Vehemens id quidem: neſcio tamen, quomodo mihi non placeat Bellona, Furia, quam pudor cogat tegere faciem.

Qui caruit bellis, eunucho traditur annus.
Actum de trabeis eſſet, ſi partibus una
Mens foret Heſperiis: rueret deriſa vetuſtas,
Nullaque calcati ſtarent veſtigia juris,
Ni memor imperii Stilicho, morumve priorum
Turpe relegaſſet defenſo Tibride nomen,
Intactamque novo ſervaſſet crimine Romam.
Ille dedit portum, quo ſe pulſata referret
Majeſtas Latii, deformatæque ſecures.
Ille dedit faſtos, ad quos Oriente relicto
Confugeret ſparſum maculis ſervilibus ævum.
Quam ſimiles hæc aula viros! ad mœnia viſus
Dirige. Num ſaltem tacita formidine muſſant?
Num damnant animo? plaudentem cerne Senatum,
Et Byzantinos proceres Grajoſque Quirites.
O patribus plebes, o digni Conſule patres.
Quid, quod & armati ceſſant, & nulla virilem
Inter tot gladios ſexum reminiſcitur ira?
Huccine noſtrorum cinctus abiere nepotum?

123 patribus *MS. forte non male, de ſenatu.* 125 faſtigia *conj. Heinſ. hic & 1, 6.* 127 a Tibride *vulg.* 129 referrent *MSS.* 133 habet aula *Barth.* 134 & 135 non *pro* num *vulg.* 138 virilis -- ſexus *vulg.*

122 Niſi pax eſſet in imperio, non traditus eſſet conſulatus in hunc annum eunucho, ſed viro militari. *Actum eſſet de trabeis* h. e. de dignitate & majeſtate adeo conſulari, conculcata eſſet illa ab turpibus aulicis, ſi in Occidente idem ſenſiſſent homines. Hinc arripit occaſionem laudandi Stilichonis ſui, qui non paſſus ſit nomen Eutropii Romæ ſcribi in faſtis, ſed ſolum Theodori Mallii. Nomen ergo Eutropii Romæ non ſcriptum in faſtis (l. faſtibus) Conſtantinopoli deletum, de quo ad 19, 19.

133 *Quam ſimiles* (ironice) *hæc* Conſtantinopolitana *aula viros*, intell. *habet*, quod pulchre illuſtravit Heinſius ex illo Lucani 8, 544 ubi cum indignatione, *O ſuperi! Niluſne barbara & Memphis, Et Peluſiaci tam mollis turba Canopi Hos animos?*

136 Contumelioſe dictum in *Byzantinos*, Thracas, barbaros, & in *Graios*, Græculos, leves, mendaces, qui Romanæ Quiritium grauitati atque fidei opponuntur. Sub Martis Romanorum patris nomine deliteſcere putavit poëta; ſed forte neque Thracem unde ſolet advocare Martem noſter, decebat Byzantinorum nomen, ut notam vel contumeliam ponere.

140 *Cinctum* de conſulari veſte ſolet noſter ponere. Vid. v. g. 18, 27.

Digitized by Google

Sic Bruti deſpectus honos? ignoſce parenti
Romule, quod ſerus temeratis faſcibus ultor.
Advenio. jam jam largis hæc gaudia ſaxo
Compenſent lacrimis. quid dudum inflare moraris
Tartaream, Bellona, tubam? quid ſtringere falcem,
Qua populos a ſtirpe metas? molire tumultus,
Excute delicias. Thracum Maccetumque ruinæ
Tædet, & in gentes iterum ſævire ſepultas.
Damna minus conſueta movent. trans æquora ſævas
Verte faces: aliis exordia ſume rapinis.
Non tibi Rhipæis hoſtis quærendus ab oris.
Non per Caucaſias accito turbine valles
Eſt opus. Oſtrogothis colitur miſtisque Gruthungis
Phryx ager. hos parvæ poterunt impellere cauſſæ
In ſcelus. ad mores facilis natura reverti.
Sic eat: in noſtro quando jam milite robur
Torpuit, & molli didicit parere magiſtro.

Vindicet

143 laxis *Cuj.* 146 metis *vulg.* meos *al.* 147 Macedum *vulg.* 148 repulſas *MSS.* 151 Rhiphæis *al.* 152 excito *conj. Heinſ.*

141 *Bruti* Junii liberatoris, expulſoris Regum, Conſulis primi, & auctoris ejus dignitatis quæ polluta eſt per Eutropium.

145 Neſcio utrum pingere voluerit Bellonam poëta armatam falce meſſoria, quæ eſſet ſymbolum ſtragis: an metaphorice *falcis* nomine gladium notarit, cui magis verbum *metat* congrueret. Falx quidem Bellonæ, qua metit populos, eſt gladius & univerſim arma militum quibus cadunt hoſtes.

152 An hi *Oſtrogothi* & *Gruthungi* Gallogræcis ſe admiſcuere? Colonos fuiſſe, videbimus v. 193. Sed nec hiſtoricis hæ barbararum gentium res expeditæ ſunt. Barthius pro *Gruthungis* (de quibus dictum nobis ad 8, 623) *Gothunnos* defendit, miſcellum genus ex Gothis & Hunnis. Hoc apparet, de coloniis barbarorum ſermonem eſſe, quæ in Phrygia ut quondam Galli, conſederint, & quidem pacatæ, & imperio Romano parentes, quia dicit *colitur*, & *ad mores reverti.* Cf. infra 576.

155 *Sic eat*, formula ſucceſſum optantis vel probantis certe. Pulchre contulit Heinſius Luca. 2, 304 *Sic eat! immites Romana piacula divi Plena ferant.* Et 5, 297 *Sic eat, o Superi, quando pietasque pudorque Deſtituunt.* Conf. ad 26, 550.

157 *Arctous advena*, non qui modo ex Septentrione advenit; ſed qui jam aliquamdiu inter noſtros habitat, verbo Gruthungi, Oſtrogothi v. 152.

Vindicet Arctous violatas advena leges.
Barbara Romano ſuccurrant arma pudori.„
Sic fatus, clipeo, quantum vix ipſe Deorum
Arbiter, infeſto cum percutit ægida nimbo,
Intonuit. reſponſat Athos, Aemuſque remugit;
Ingeminat raucum Rhodope concuſſa fragorem.
Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
Hebrus, & exſanguem glacie timor alligat Iſtrum.
Tunc adamante gravem nodiſque rigentibus haſtam,
Telum ingens nullique Deo jaculabile, torſit.
Fit late ruptis via nubibus. illa per auras
Tot freta, tot montes, uno contenta volatu
Tranſilit, & Phrygiæ mediis affligitur arvis.

161 æthera *vulg.* aëra *al.* ægida *ex MSS. Heinſ.* perculit *MS.* 164 excutit *vulg.* extulit *etiam Baſ. marg.* 170 affligitur *MSS.* oris *vulg.* arvis *etiam Baſ. marg.*

160 Fingit illum ſonum fragoremque tumultuoſum tonitru inde eſſe, quod ægida, ſcutum illud ſuum, *nimbo* h. e. vehementi grandine percutiat Jupiter. Pulchre deinde phœnomena tonitru perſequitur. Athos, Hæmos, Rhodope reſponſant, i. appulſum fragorem, auctum multiplicatumque reddunt.

163 *Cornua* tribuit *Hebro* ex illa conſuetudine poëtarum & numiſmatum cornua, taurina præſertim, fluviis adſcribendi, quæ orta videtur ab illis, qui non uno oſtio, ſed pluribus velut cornibus in mare exeunt. Conf. 1, 220. 8, 652 it. 29: 176.

164 Ludit phyſice: gelu & glaciem Iſtri paſſim commemorant, Ovidius præſertim in eo multus eſt: terror & timor gelidi apud poëtas, *gelidus per dura cucurrit Oſſa tremor.* Ergo timor eſt, non gelu aliud, qui torpere, qui glaciari facit Iſtrum. Hunc *exſanguem* vocat, ut alias v. 114 eadem ratione *pallere* Orontem dixit, et 29, 176 *truncato cornu pallere ſumina.*

165 *Adamante gravis haſta* h. e. ferro, ut 15, 203.

169 *Contenta*, acta contentione nervorum, qua violenta illa emiſſio haſtæ peragitur. Ut quo magis contenditur arcus, eo ſagitta volat majore impetu. Ceterum videtur haec phantaſia habere reſpectum ad Romanum illum ritum, quem ſic deſcribit Feſtus, *Bellona dicebatur Dea bellorum, ante cujus templum erat columella, quæ bellica vocabatur, ſupra quam haſtam jaciebant.* Conf. Serv. ad Aen. 9, 53 ubi inter alia, *Poſt clarigationem haſta in hoſtium fines miſſa, indicabatur jam pugnæ principium.* Plura habet Barthius. Mars hic, tanquam ipſe Fetialis munere fungens, haſtam jacit in Phrygiam, et ita hoſtes excitat imperio.

171 *Nyſæus* eſt Bacchicus. Vid. 8, 604. Et fuit etiam Lydiæ urbs Nyſa, ubi ſunt *Hermus* et *Pactolus* fluvii auriferi. Sicut Nyſæ nomen Baccho cognatum, ita *Dindyma* montana Phrygiæ, Troadis et Gallogræciæ in cultu matris Deûm, quæ inde vocatur *Dindymene*, celebrantur.

Senſit humus. gemuit Nyſæo palmite felix
Hermus, & aurata Pactolus inhorruit urna:
Totaque ſubmiſſis fleverunt Dindyma ſilvis.
Nec Dea præmiſſæ ſtridorem ſegnius haſtæ
Conſequitur, centumque vias meditata nocendi,
Tandem Targibilum (Geticæ dux improbus alæ
Hic erat) aggreditur. Viſo tum forte redibat
Eutropio vacuus donis, feritaſque dolore
Creverat, &, teneris etiam quæ crimina ſuadet
Ingeniis, Scythicum pectus flammabat egeſtas.
Huic ſeſe vultu ſimulatæ conjugis offert,
Mentitoque ferox incedens barbara greſſu,
Carbaſeos induta ſinus. poſt terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula veſtes:
Inque orbem tereti mitra redimente capillum
Struxerat, & virides flaveſcere juſſerat angues.
Advolat, ac niveis reducem complectitur ulnis,

Infun-

176 Trabigilum *Vic.* Tabrigilum *Vien.* Tarbigilum, Turbigalum *&c. al.* Trigibulum *ſe probare ait Heinſ. ſed* Targibilum *expreſſit utraque Elzevir. quod a Pulm. inde, puto, obtinet.* 181 ſimulato *MSS. quod placet.* mentitæ *MS.* 182 incedens *MS.* incendia *MS.* 85 redeunte -- ſtrinxerat *vulg. quod pene prætulerim.*

176 Hic eſt, quem Tribigildum vocat Zoſimus. Summam hiſtoriæ diximus ad principium libri.

180 Scythicæ originis facit illos Getas, Gothos, Oſtrogothos, Gruthungos, de quibus v. 152.

182 *Ferox* natura ſua Bellona inſuper tanquam *barbara*, uxor Tribigildi, *incedit*. Sed quod *carbaſeos* illi *ſinus*, veſtem linteam dat Poëta, non pelliceam, neſcio quam commode factum ſit. Forte mitior plaga ſuaſit illis mulieribus etiam veſtes delicatiores. Sed *veſtes poſt terga reductas* ſi *mordebat fibula uberibus propior*, oportet, bene laxam intelligere ſtolam, ſeu pallam malis dicere, quod etiam *ſinus carbaſei* loquuntur, cujus pallæ, inſtar hodierni pallii injectæ humeris, utraque ala reiiceretur in tergum, et ne retro defluere a vento præſertim adverſo poſſet, infra collum connecterentur ope fibulæ: qui habitus eſt equitum, chlamydas ita reiicientium, ut brachiis ad pugnam expeditis uti poſſint.

186 Nempe diſſimulat *angues* ſ. hydros, quos ante illi tribuerat v. 110, et mutat eos in *flavum*, qualis eſſe ſolebat ſeptentrionalium populorum, crinem. *Teres mitra* ſignificat non latam tæniam, ſed tortilem inſtar funiculi. *Niveas ulnas* merito tribuit mulieri arctoæ,

Infunditque animo furiale per oſcula virus.
„*Principe quam largo veniat, quas inde reportet*
Divitias„ aſtu rabiem · motura requirit.
Ille iter ingratum, vanos deflere labores.
Quos ſuper eunuchi faſtus, quæ probra tuliſſet.
Continuo ſecat ungue genas, & tempore pandit
Arrepto gemitus: „*I nunc, devotus aratris*
Scinde ſolum, poſitoque tuos mucrone ſodales
Ad raſtros ſudare doce. bene rura Gruthungus
Excolet, & certo diſponet ſidere vites.
Felices aliæ, quas debellata maritis

192 quem Roma *Baſ. marg.* 193 prodit *MS.*

191 ***Ingratum iter***, cui gratia non relata eſt, proprie. Plane vt Servius interpretatur illud Aen. 2, 101 *Sed quid ego hæc autem necquidquam ingrata revolvo? nec vobis placitura, nec mihi gratiam conciliantia.* ***Deflere*** non proprie ſumitur, ſed ita ut viri docti intelligunt illud Sueto. Calig. 38 *Julii & Augusti diplomata ut vetera & obſoleta deflebat*, cui convenit, quod c. 30 poſuit, *Hanc ut crudeliſſimam cædem deflevit edicto.* Hoc noſtro loco magis quadrat, quia de vera ſeriaque querela ſermo eſt, licet lacrimas dare barbaro duci vix conveniat.

192 ***Super*** eſt inſuper, ut Aen. 2, 71 *Cui neque apud Danaos usquam locus, & ſuper ipſi Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt:* quod ibi probat et confirmat Heinſius.

193 ***Secat ungue genas*** ſuas perſonata uxor Tribigildis (ne quis cogitet, quod quædam forte facilius faciant, involaſſe in genas viri) fecitque, quod ſuam facere vetat Ovid. Triſt. 3, 3. 51 *Parce tamen lacerare genas.* Sunt hæc talia adnotanda in frigidioribus regionibus, ubi vix intelligantur alias. Equidem ſeptuagenario proximus non memini me videre mulierem notas unguis habentem in facie, quas diceretur ipſa impreſſiſſe. Familiarius hoc fuiſſe debet Ciceroni, qui inter *varia genera lugendi* refert *muliebres lacerationes genarum* Tuſ. 3, 26. Scilicet in omni genere affectuum ſumus, qui magis ad Septentrionem colimus, frigidiores.

193 ***Arrepto tempore*** plus eſt quam capto: notat celeritatem conſilii: *pandit gemitus*, prorumpere adhuc clauſos, velut remotis valvis, patitur. Ceterum hic locus declarat, colonos, fuiſſe in Phrygia et Lydia hos barbaros. Vid. mox 204 et conf. 152.

196 ***Certo ſidere***, quod in re ruſtica temporum diligenter habenda eſt ratio: tempora autem ortu et occaſu ſiderum ſignantur. Sic Columella 11, 2 habet Kalendarium ruſticum, et totum opus Palladii per menſes diſpoſitum eſt. Didicere hoc a Græcis. Heſiodus *Opera & dies* deſcripſit: in Conſtantini Imperatoris Geoponicis liber tertius quid quoque menſe faciendum ſit præcipit.

198 ***Felices aliæ***: invidiæ tormentum, et quam vim habeat ignaviæ exprobratio, pulchre pingit poëta.

Oppida, quas magnis quæſita viribus ornant
Exuviæ: quibus Argivæ pulchræve miniſtrant
Theſſalides, famulas & quæ meruere Lacænas.
Me nimium timido, nimium junxere remiſſo
Fata viro, totum qui degener exuit Iſtrum,
Qui refugit patriæ ritus, quem detinet æqui
Gloria, conceſſoque cupit vixiſſe colonus,
Quam dominus rapto. quid pulcra vocabula pigris
Prætentas vitiis? probitatis inertia nomen,
Juſtitiæ formido ſubit. tolerabis iniquam
Pauperiem, cum tela geras? & flebis inultus,
Cum pateant tantæ nullis cuſtodibus urbes?
Quippe metus pœnæ? Pridem mos ille vigebat,

Ut

201 ſibi quæ *MSS.* 204 quem ref. *MS. probante Heinſio.* 207 pertentas *vulg.* prætentas *etiam Vien. Baſ. marg.* prætendis *MSS.* 210 arces *al.* ædes *al.* 211 metu *conj. Barth.*

200 Pulchræ mulieres bello captæ jam Homericis temporibus præmia fortium. Sic conſolatur ſe et Aenean maritum umbra Creuſæ Aen. 2, 785 *Non ego -- Graiis ſervitum matribus ibo.* Vaſtabant eo tempore Græciam barbari.

203 Audax figura, *Iſtro* indicat patriam, & ingenium, quod putatur patriæ deberi. Solo igitur Iſtri nomine indicat illam ferociam atque fortitudinem populis ad Iſtrum colentibus ingenitam.

204 *Detinet*, proprie in humili loco tenet, nec emicare ſinit vel emergere aut eniti, juſtitia: cum reſpectu ad antiquam Sophiſtarum perverſitatem, qui Juſtitiam *generoſæ* cujusdam *ſtultitiæ Γενναίας εὐηθείας* nomine infamabant apud Plato. de rep. 1 p. 418, E. Quem reſpectum mox declarat apertius.

205 *Conceſſo* ſibi agro ſub lege ſolvendi canonis *vivit colonus. Cupit -- quam*, omiſſa particula *potius*, exemplo ipſius Homeri Iλ. A, 117 *βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.* tum Valerii Flacci 7, 427 *Occumbere tandem Poſſumus, idque ſedet, quam non quæcunque ſubire Patris juſſa tui.* Sequioris ævi poëtarum plura dedit Barthius: aliorum Grammatici ubi de Ellipſi agunt.

207 Corrumpit nomina virtutum plane appoſite ad excitandam barbari ferociam. *Inertia* eſt, quam tu *Probitatem* vocas; *Formido* eſt, quam *Juſtitiam* vis videri. De illo genere *ὑποκορισμοῦ*, quo rerum corrumpuntur vocabula in utramque partem, pluſcula habet Plutarchus de diſcrim. amici & adulat. p. 56. Vid. quæ adnotavi ad Horat. Ser. 1, 3. 38.

209 *Flebis inultus*, quod pueris neceſſarium facit imbecillitas. Hor. Epod. 6, 16 *An ſi quis atro dente me petiverit, Inultus ut Flebo puer?*

211 *Quippe*, occupantis objectionem vox, ut *ſcilicet*.

Ut meritos colerent, impacatiſque rebelles
Urgerent odiis. at nunc, qui fœdera rumpit,
Ditatur: qui ſervat,„ eget. vaſtator Achivæ
Gentis, & Epirum nuper populatus inultam
Præſidet Illyrico. jam, quos obſedit, amicus
Ingreditur muros, illis reſponſa daturus,
Quorum conjugibus potitur, natoſque peremit.
Sic hoſtes punire ſolent. hæc præmia ſolvunt
Excidiis. Cunctaris adhuc? numerumque tuorum
Reſpicis, exiguamque manum? tu rumpe quietem.
Bella dabunt ſocios. Nec te tam prona monerem,
Si contra paterere viros. nunc alter in armis
Sexus, & eunuchis ſe defenſoribus orbis
Credidit. hos Aquilæ Romanaque ſigna ſequuntur.
Incipe barbaricæ tandem te reddere vitæ.
Te quoque jam timeant, admirenturque nocentem,
Quem ſprevere pium. ſpoliis prædaque repletus,
Cum libeat, Romanus eris.„ Sic fata, repente
In diram ſe vertit avem, roſtroque recurvo
Turpis,

215 adultam *MSS.* opimam *MSS.* 216 poſſidet Illyricos *vulg.* præſidet Illyrico *jam Plant. marg.* præſ. Illyricis *Claver.* amictus *Baſ. & in marg.* amicos. 221 deſpicis *MS.* 223 raperere *MS.* 228 repleri *MS.* repertus *MS.* *unde Heinſ. conj.* refertus.

214 *Vaſtator Achivæ gentis* Alaricus eſt. Vid. 26, 535.

222 *Bella dabunt ſocios:* Cum primum bellum exortum erit, ad te colligentur, qui eadem ſentiunt, quibus nunc non voluntas reſiſtendi, ſed caput deeſt. *Pronus monet*, qui vehementer hoc agit, ut auriga, qui pronus imminet & velut incumbit equis.

223 *Patimur* hoſtem, quem excipere cogimur, qui nos opprimit. *Si contra paterere viros*, ſi viros hoſtes experireris, ſi patereris viros contra te ſtare apud Arcadium, ut *pati pauperiem, famem ſitum*, quæ velut inimicæ nos oppugnant. Luca. 10, 438 *Paſſuri comminus arma Laturique ruunt.*

224 Eunuchos computari *alteri* ſ. muliebri *ſexui*, hi ipſi libri ſatis exemplorum habent. v.g. 18, 269 ſq. it. infra 552.

228 *Pium* in principem, in imperium tanquam patriam, in deos, per quos juratum eſt. *Pius* æque late patet atque *Pietas* in illo, *Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia Violandum, aliis in rebus pietatem colas.* Cic. Offic. 3 c. 21.

229 *Cum libeat* poſitum pro *cum libuerit.* Vel dicemus *cum* poſitum pro *ſi*.

Turpis, & infernis tenebris obſcurior alas
Auſpicium veteri ſedit ferale ſepulcro.
 Ille, pavor poſtquam reſoluto corde quievit,
Et rigidæ ſedere comæ, non diſtulit atrox
Juſſa Deæ: ſociis, quæ viderit, ordine pandit,
Invitatque ſequi. conjurat barbara pubes
Nacta ducem, Latiiſque palam deſcivit ab armis.
Pars Phrygiæ, Scythicis quæcunque Trionibus alget
Proxima, Bithynos: Solem quæ condit, Ionas:
Quæ levat, attingit Galatas: utrimque propinqui
Finibus obliquis Lydi, Piſidæque feroces
Continuant auſtrale latus: gens una fuere
Tot quondam populi, priſcum cognomen & unum,
Appellata Phryges. ſed quid non longa valebit
Permutare dies? dicti poſt Mæona regem
Mæones. Aegæos infedit Græcia portus.
Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur.
Nuper

231 internas *primæ editt. ſed. Baſ. marg.* infernis. 236 irritatque *MS.* 238 Phrygiam *conj. Scal. it.* Bithyno *vel* Bithynis. Bithyno *etiam Baſ. marg.* 240 læva *vulg.* 247 erant *vulg.*

233 *Reſolutum cor* fuerat a terrore, cum irruens retro ſanguis, ut milites in præſidium ſuum recurrentes, illud nimis dilataret: donec pavor ille retro agens ſanguinem quievit. Sic comæ fuerant *rigidæ* ab horrore, quem mutata ſubito in avem feralem putaticia conjux incuſſerat: hæ horrore ceſſante *ſederunt*. *Atrox* natura ſua, ut barbarus, tanto minus *diſtulit* etc.

238 Pulchra finium deſignatio, quæ prodeſſe poterat G. Wernsdorfio, viro docto, in opere de rep. Galatarum c. 5. *Scythici Triones* eſt ipſa Arctos ſ. urſa major, quam *ſeptem trionum* ſ. boum aratorum nomine deſignabant primi Romanorum, qui iſta curarunt.

240 Pars Phrygiæ, *quæ levat ſolem*, uno verbo Orientalis, quemadmodum *quæ condit*, Occidentalis eſt. Ab ætate igitur Claudiani, ſiquis velit, arceſſere queat Italorum conſuetudinem, qui *Levantem* vocant Aſiam ad Orientem ſibi proximam, *Natoliam* ſ. ἀνατολὴν Græcorum.

242 *Gens una fuere*. Certe e Thracia colonos omnes eas gentes facit Strabo l. 10 p. 324. it. 12 p. 388 & 394 ubi etiam populorum illorum fines diſtinguere, cur difficile ſit, docet.

246 *Aegeos*, ad Aegeum mare, *portus* hujus Phrygiæ antiquæ, quæ ſecundum hæc totam pene Aſiam minorem complectebatur, *inſedit Græcia* h. e. coloniis ſuis occupavit. Antiqua hæc ſententia, quam ponit etiam, ut notam, Cic. pro Flacco c. 27.

247 *Thyni Thraces*, ut ſecundum Strabonem, quod modo vidimus, Phryges reliqui. Thynos Bithynis adjungit Herodot. 1, 28.

Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis ante vagus tandem regionibus hæſit,
Geſaque depoſuit jam Grajo mitis amictu,
Pro Rheno poturus Halyn. dat cuncta vetuſtas
Principium Phrygibus; nec rex Aegyptius ultra
Reſtitit, humani poſtquam puer uberis expers
In Phrygiam primum laxavit murmura vocem.
Hic cecidit Libycis jactata paludibus olim
Tibia,

253 *pro* uberis, Iſidis *MS. de quo Heinſ. Latet, inquit, aliquid.* 255 cecinit *Baſ. marg. & MSS. ap. Heinſ qui hac lectione difficultatem omnem ait tolli.* V. N.

248 *Nuper*, comparatione illarum e Thracia Græciaque coloniarum; ceterum DC amplius ante Claudiani ætatem annis, Aſiam, nominatim Phrygiam invaſere Celtæ, vulgatiore nomine Galli, qui poſtquam ſedes denique hic fixerunt, Græcis Galatæ, Romanis fere Gallogræci dicti ſunt. Multum ætate noſtra de inſigni illa migratione diſputatum eſt. Certiſſima & ex ipſis fontibus breviter ſimpliciterque conſtituta, dedit, vir Germanogallus, Germaniæ Galliæque, non modo Alſatiæ, quam illuſtrat, verum decus, Jo. Dan. Schœpflinus libro aureolo, quem inſcripſit Vindiciæ Celticæ, Argentorati 1754 edito.

249 *Geſa* vel *Gæſa* Gallica jacula, ut Cæſ. B. G. 3, 4: quamquam & aliis tribuuntur. Multa de voce viri docti ad Heſychium.

250 *Principium* i. gloriam primæ antiquitatis. Reſpicit autem poëta ad fabulam Aegyptiam ab Herodoto narratam 2, 2 de Pſammeticho, qui pueros nutriri caprarum uberibus juſſerat in ſolitudine, ubi vocem nullam humanam audirent: qui cum primam ipſi ederent vocem βεκὸς (al. βέκκος) quæ panem notat Phrygibus, hinc intellexit rex, horum primam eſſe antiquitatem, alteros demum ab his, ſed ceteris populis antiquiores, Aegyptios. Si, ut fit, aliquid veri ſit in fundo velut fabulæ, poſſis putare, vocem eam caprinam fuiſſe, cui adhæſerit Græcula terminatio a narrantibus. Sed video totum hoc in mentem jam veniſſe Scholiaſtæ Apollonii ad 4, 272.

255 *Hic cecidit.* Minerva tibiam, inventum ſuum abiecit, cum in aqua videret (hæc eſt *umbra* noſtri) deformari vultum ſuum inflatione genarum: quam deinde ſuſtulit Marſyas etc. Pervulgata fabula, cujus auctores laudantur a Bartholino de tibiis vett. c. 3 et Brouckh. ad Prop. 2, 23. 85 qui facit cum noſtro, quod tibiam ita alloquitur, *Quæ non jure vado Mæandri jacta nataſti, Turpia cum faceret Palladis ora tumor.* Suaviter ipſa narrat apud Ovid. Faſt. 6, 697. Sed quid *Libycæ paludes* hic ſibi volunt? Incommodæ ſane viſæ debent eſſe his, qui *Lycias* vellent ſubſtituere. Doctus poëta reſpicit ad primam inventionem in Libya, poſt Meduſam ope illius a Perſeo interfectam. Quam cum ſorores Gorgones lugerent, ſerpentium, quibus crinitæ erant, ſibilos imitatura Pallas primum excogitarat tibias, ſi fides Pindaro Pyth. 12 pr. Factum hoc ad *Libycas paludes*, ad lacum Tritonidos, quod ipſum quoque Minervæ cognomen eſt. *Tritoniaca arundo* itaque vocatur illa tibia Ovid. Met. 6, 384 ubi totam fabulam refert. Si ſequamur alteram lectionem *cecinit*, ſenten-

Tibia, fœdatam cum reddidit umbra Minervam.
Hic & Apollinea victus testudine paſtor
Suſpenſa memores illuſtrat pelle Celænas.
Quatuor hinc magnis procedunt fontibus amnes
Auriferi: nec miror aquas radiare metallo,
Quæ toties lavere Midan. diverſus ad Auſtrum
Curſus & Arctoum fluviis mare. Dindyma fundunt
San-

259 hic *vulg.*

ſententia facilior etiam erit: hic ad Mæandrum *cecinit*, Marſya inflante, *tibia*, *quæ* olim *jactata* eſt a Minerva *paludibus Libycis*. Et reponerem *cecinit*, niſi Propertius l. c. etiam in Mæandro nataſſe tibiam diceret.

256 Marſyas Satyrus vel Silenus infelicis cum Apolline certaminis hoc præmium tulit, ut ab eo excoriaretur. Herodoto prodente (7,26) oſtendebatur Celænis, Phrygiæ urbe ad fontes Mæandri, illius cutis in utrem formata, *ἀσκὸς τοῦ σιληνοῦ Μαρσύεω, τὸν ὑπὸ Φρυγῶν λόγος ἔχει ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἐκδαρέντα ἀνακρεμασθῆναι.* Obſervata Barthio Statii imitatio, qui Theb. 4, 186 *illuſtres Satyro pendente Celænas* dixit. *Teſtudine victus* Marſyas, qui ſuæ tibiæ cantu ſperaret citharam ſ. teſtudinem Apollinis ſuperare. Hygi. f. 165 ideo ſuperatum ait, quod *citharam verſare* (intentionem illius & ſonos adeo mutare) poſſet Apollo, tibiam Marſyas non poſſet. Qui volet cognoſcere, quidquid de tota fabula ſcriptum eſt, ille ſatis negotii inveniet requirendis et conferendis locis, quos indicant ad Hyginum viri docti. Unum addo. Cum de Silenis hoc ipſo tempore diligenrius quærerem, deprehendiſſe mihi videor, utricularium fuiſſe Marſyam, & quo inſtrumento ſuperare voluit Apollinem, in illud pellem illius mutatam.

261 Lepide pingit fabulam Ovid. Met. 11, 137 ubi Baechus miſerum divitiis ſuis Midam ad ortus Pactoli ire jubet, *ſpumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit, Subde caput, corpusque ſimul, ſimul elue crimen* etc. *Crimen* ſtultitiæ intelligit, quo inductus petiit aurum fieri, quidquid contingeret &c.

262 *Arctoum mare* hic eſt Euxinus Pontus, quem ſtatim *Amazonium* vocat, quod ad eum vbi Thermodonta recipit collocari ſolent Amazones: *Dindyma* juga, a quibus Phrygia Dea *Dindymene* vocatur. *Gallus* fluvius, a quo *Gallos* dici volunt illos Phrygiæ Deæ ſ. Cybeles caſtratos. Vid. Ovid. Faſt. 6, 361 ſq. & ibi Neapolis. Quid ſi a Galiogræcis & appellatio fluvii, & omne illud furoris crudelis atque obſceni genus? Certe neque fluvii nomen, neque rei ipſius h.e. cultus illius per Gallos ſemiviros antiquiorem mentionem illa expeditione Gallica adhuc inveni. Favet, quod peſſime audiunt turpitudinis naturam violantis nomine illi Galli barbari, de quo Weſſel. ad Diod. Sic. 5, 32 extr. favet, quod antiquiſſima Cybele rudis *lapis* fuit, Liv. 29, 11: favet denique praeter ea, quæ diximus ad 18, 277, cultus Matris Peſſinuntiæ bello Punico ſecundo demum Romam translatus etc.

Sangarium, vitrei qui puro gurgite Galli
Auctus Amazonii defertur ad oſtia Ponti.
Icarium pelagus Mycalæaque litora juncti
Marſya Mæanderque petunt: ſed Marſya velox
Dum ſuus eſt, flexuque carens, jam flumine miſtus
Mollitur, Mæandre, tuo, contraria paſſus,
Quam Rhodano ſtimulatus Arar: quos inter aprica
Planities Cererique favet, denſiſque ligatur
Vitibus, & glaucæ fructus attollit olivæ,
Dives equi, felix pecorum, pretioſaque picto
Marmore, purpureis cui cedit Synnada venis.
Talem tum Phrygiam Geticis populatibus uri
Permiſere Dei. ſecuras barbarus urbes
Irrumpit, facileſque capi. ſpes nulla ſalutis:
Nulla fugæ. putribus jam propugnacula ſaxis
Longo corruerant ævo, paciſque ſenecta.

Interea

267 flexusque *MSS. venuſte, judice Heinſio.* 271 glaucæ *MS. concinnius ut vid. Heinſ.* fluctus *MSS. eleganter eod. judice.* 273 cui cedant *conj. Heinſ. Et ſane* Synnada *plurale eſt.* 275 promiſere *Baſ. marg.*

265 *Icarium pelagus*, ubi & Icaros ſ. Icaria Inſula: *Mycalen* promuntorium, *Mæandrum* fluvium, & omnem topographian poëtæ, illuſtrat aſpectus tabulæ Cellarianæ. Illud *dum ſuus eſt* ſignificat, quam diu nihil aliud eſt quam Marſyas. Sic Plin. 33, 4 *Aurum -- non coquitur; ſed ſtatim ſuum eſt.* Et 33, 8 *ſuæ venae arena* de Cinnabari puro.

268 *Rhodano ſtimulatus Arar.* Nam *Rhodanus velox*, *Araris tardior* ſecundum noſtrum poëtam 2, 111.

269 *Vitibus -- ligatur.* Credo ad juga & pergulas reſpici, quæ alligatis ad perticas vitibus conſtituuntur.

272 *Pictum marmor* arte infectum videtur ſignare. Plin. 35, 1 *Neronis principatu inventum* ait, *ut purpura diſtingueretur* lapis *Synnadicus.* Strabo 12 p. 397 Synnada (*τὰ σύνναδα*) Phrygiæ urbem, ejusque oliveta laudat, & marmoris fodinas, e quibus *κίονες μονόλιθοι* columnæ uno lapide conſtantes magnæ, variæ, alabaſtritæ ob varietatem ſimiles, Romam vehantur etc. Vid. Brouckh. ad *Phrygias columnas* Tibulli 3, 3. 13.

277 *Putria ſaxa* ſunt fragilia, cum quorundam lapidum ea ſit natura, ut a libero aëre celerius tardiusve ſolvantur. Tractat hoc argumentum Vitruv. 2, 7 & fatetur, quædam ſaxa *in apertis & patentibus* locis *friari & diſſolvi.* Hoc autem eſſe *putre* quod facile diſſolvitur, in Lexico noſtro ruſtico demonſtratum eſt. V. G. Col. 1 pr. 24 *In Africa putres arenæ fecunditate vel robuſtiſſimum ſolum vincunt.*

279 *Ida* Phrygiæ mons vel tractus montanus, *gelida* propter altitudinem. Hic mater Deorum Cybele,

Interea gelidæ ſecretis rupibus Idæ
Dum ſedet, & thiaſos ſpectat de more, Cybelle,
Curetumque alacres ad tympana ſuſcitat enſes;
Aurea ſanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, ſummoque volutus
Vertice crinalis violatur pulvere murus.
Obſtupuere truces omen Corybantes, & uno
Fixa metu tacitas preſſerunt Orgia buxos.
Indoluit genitrix. tunc ſic commota profatur:
„Hoc mihi jampridem Lacheſis grandæva canebat
Augurium: Phrygiæ caſus veniſſe ſupremos
Delapſus teſtatur apex. heu, ſanguine qualis
Ibit Sangarius, quantaſque cadavera lenti
Mæandri paſſura moras! immobilis hæret
Terminus. hæc dudum nato placuere Tonanti.
Par & finitimis luctus: fruſtraque Lyæi
Non defenſuros implorat Lydia thyrſos.
Jamque vale Phrygiæ tellus, perituraque flammis
Mœnia,

279 partibus *vulg.* rupibus *Baſ. marg. & MSS.* 285 imo *vulg.* 287 irata *vulg. quæ fuit gloſſa.* 288 longæva *vulg.* 292 quantasque cadavere lentus Mæander paſſure moras *conj. Heinſ.* 294 parat *vulg. ſine ſenſu.*

Cybele, Cybelle, Cybebe, & alias Rhea dicta, ſedet, & *thiaſos* h. e. choros ſaltantium ſibi, & motus tumultuoſos ac furibundis ſimiles agentium *Curetum* videt, qui iidem *Corybantes* ſunt, nec non Idæi Dactyli, quorum tumultuoſa cum gladiis & clipeis ſaltatio obſcuraverat olim vagitus Iovis, ne illos exaudiret Saturnus, & puerum devoraret. In memoriam ejus rei illos tumultus continuare fingebatur, & nunc *ſuſcitat enſes* illorum, quibus clipeos percutiant, *ad tympana*, quæ ipſa pulſat, & ipſius miniſtri.

283 *Turris*, corona turrita, geſtamen & δεῖγμα Cybeles, Deorum matris.

286 *Orgia*, *οἱ ὀργιάζοντες*, qui orgia, ſacra, thiaſos illos, obeunt, & utuntur in illis, ad animandam ſaltationem *buxis*, tibiis, Phrygio invento, de quo ad 254 dictum eſt. Has *premunt*, quo verbo in ſilentio ſignificando, vel generatim in ceſſatione indicanda uti ſolent.

290 *Sanguine qualis*, quam decoloratus & rubens, quam tabo corruptus ac turbidus! *Mæander lentus* eſt, qui tot flexus habeat, qui in proverbium ivere. vid. 265.

292 *Nato Tonanti.* Meminerimus, loqui matrem Jovis.

295 *Lydia* & Phrygia confines: termini ſæpe indiſcreti: vini ferax, & Baccho cara utraque. *Thyrſi* haſtæ vitium

Mœnia, conſpicuas quæ nunc attollitis arces,
Mox campi nudumque ſolum. dilecta valete
Flumina; non veſtris ultra bacchabor in antris:
Nec juga ſulcabit noſter Berecyntia currus.„
Dixit, & ad triſtes convertit tympana planctus.
Labentem patriam ſacris ululatibus Atys
Perſonat, & lacrimis torvi maduere leones.
Eutropius, quamvis nequeat metuenda taceri
Clades, & trepidus vulgaverit omnia rumor,
Ignorare tamen fingit, regnique ruinas
Diſſimulat. parvam latronum errare catervam:
Ad fontes tormenta magis, quam tela, parari,
Nec duce frangendas jactat, ſed judice, vires.
Vaſta velut Libyæ venantum vocibus ales

Cum

299 non iſtis *Baſ. marg.* 307 in ſontes *vulg.* ad *etiam Cuj.* 310 vallibus *Baſ. marg.*

pampinis circumplexæ, arma Bacchi & bacchantium, quibus Orientem peragravit & ſubegit.

296 *Jamque vale* cum dicit Cybele, diſceſſuram ſe indicat. Tale quid imminente Hieroſolymarum fato factum Joſephus commemorat de B. Jud. 7, 31 audita etiam voce μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. Hoc efficere volebant Romani illa Evocatione ſua, cujus exemplum eſt Liv. 5, 21: de qua egregia diſputatio eſt Henr. Cocceji, & altera Jo. Guil. Bergeri; locus claſſicus Macrob. Sat. 3, 9. Noſter reſpexit illud Aen. 2, 351 *Exceſſere omnes adytis arisque relictis DI, quibus imperium hoc ſteterat.*

299 Si *veſtris* refertur ad flumina, ponendum eſt, fontes illorum ad radices montium ut ſolent, & partim ex antris prorupiſſe, in quibus auditos a motu aëris & aquarum ſtrepitus ac tumultus videntur accolæ magnæ matri Deûm tribuiſſe.

302 *Atys* ille vel *Attis*, aut *Attin* adeo amaſius Cybeles, de quo ad 18, 277. *Leonibus* junctum eſſe currum Cybeles antiquæ imagines loquuntur, quæ paſſim extant in marmoribus ac nummis. His lacrimas dat, ut equis Homerus ac Virgilius. Vid. Cerda ad Aen. 11, 90.

310 Struthionem hodie vulgo vocant hanc avem, rarum æque nobis ſpectaculum, quam quotidianum ſunt illius pennæ, Plinius 10, 1 *ſtruthiocamelum*, quaſi tu camelum inter paſſeres appelles: nempe *marinum* quoque *paſſerem* dixit Plautus Perſa 2, 2. 17. Sed nec invidemus lectoribus deſcriptionem Plinianam, quatenus præſertim illud *pulverulenta volat* poëtae noſtri pulchre explicat: *Altitudinem equitis inſidentis equo excedunt, celeritatem vincunt, ad hoc demum datis pennis, ut currentem adjuvent: cetero non ſunt volucres, nec a terra tolluntur. Ungulæ iis cervinis ſimiles, quibus dimicant, biſulcæ, comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra ſequentes ingerunt pedibus.*

Cum premitur, calidas curſu tranſmittit arenas,
Inque modum veli ſinuatis flamine pennis
Pulverulenta volat; ſi jam veſtigia retro
Clara ſonent, oblita fugæ ſtat lumine clauſo
Ridendum revoluta caput, creditque latere,
Quem non ipſa videt. Furtim tamen ardua mittit
Cum donis promiſſa novis, ſi forte rogatus
Deſinat. Ille ſemel notæ dulcedine prædæ
Se famulo ſervire negat: nec grata timentum
Munera. militiam nullam, nec prima ſuperbus
Cingula dignari: nam quis non Conſule tali
Vilis honos? Poſtquam precibus miteſcere nullis,
Non auro ceſſiſſe, videt, creberque recurrit
Nuntius incaſſum, nec ſpes jam fœderis exſtat:
Tandem concilium belli confeſſus agendi,
Ad ſua tecta vocat. Juvenes venere protervi,
Laſcivique ſenes, quibus eſt inſignis edendi
Gloria, corruptaſque dapes variaſſe decorum:

Qui

314 fugam *MSS.* 315 velata caput *MS.* 316 quæ *vulg.* quem *etiam Baſ. marg.* 318 notæ *MSS.* 325 conſilium *al.* confiſus *MS.*

315 Plin. l. c. huic ſimilem & *miram* ſtruthiocamelorum *ſtoliditatem* prædicat, *in tanta reliqui corporis altitudine, cum colla frutice occultaverint, latere ſe exiſtimantium.* Commoda eadem imago eorum, qui nolunt de Deo cogitare.

316 *Ardua promiſſa*, alta, magnifica, ſed eadem ob id ipſum difficilia, δυσέφεκτα.

319 Pro muneribus, quæ timor expreſſit, nemo gratias ſe debere putat: hoc enim *ingratum* eſt. Poteſt aliquis etiam ingrato munere gaudere, & eo magis gaudere, quod nihil ſe pro illo debere putat. Cf. 22, 150.

321 *Cingulum* de omni honore militari ponitur, quod luculenter docet Gloſſarium nomicum Jac. Gothofredi. *Summa cingula* igitur magiſteria militiæ notant, de quibus multa mentio in Notitia Dignitatum utriusque Imperii. Hujus igitur generis dignitates reſpuit Tribigildus, quia omnis honos vilis videtur in imperio, in quo Conſul, Collega Imperatoris, eſt eunuchus. Itaque cauſa, certe obtentus ſeditionis Tribigildi erat Eutropius.

324 *Exſtat ſpes federis*, ſupereſt, conſpici poteſt: *fedus* compoſitionem omnem & pacificationem ſignificat.

325 *Confeſſus* ſimpliciter poni puto, uti tollat, quod 306 dixerat, *ignorare fingit.*

328 *Corruptas dapes* dicere videtur ab arte coquorum & conditura nimis,

Qui ventrem invitant pretio, traduntque palato
Sidereas Junonis aves, &, ſi qua loquendi
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæſitos trans regna cibos: quorumque profundam
Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotia piſcibus æquent.
Veſtis adornatæ ſtudium, laus maxima riſum
Per vanos moviſſe ſales, minimeque viriles
Munditiæ, comti vultus, onerique vel ipſa
Serica. ſi Chunus feriat, ſi Sarmata portas,

T 2 Solli-

329 Venerem *Baſ. marg.* irritant *malit Heinſ.* 332 quæſitus-cibus *vulg.* 335 adornatæ *MSS.* adoratæ *al.* 336 varios *vulg.* 338 ſin Hunnus *vulg.* ſic hunus *MS.*

nimia, quibus efficitur, ut divinatione opus ſit, quid edas? ut *faciant* quidem tales cibi *orexin rabidam* (Juvenal. 6, 428) ſed eadem incendant ſanguinem, nervos ſolvant.

329 Stultitia humana non nunquam eo meliores judicat cibos, eo cupidius appetit, quo majori pretio ſunt parati. Vid. Hor. Sat. 2, 2. 81. Juvenal. 11, 120 ſqq. Petro. c. 55 & ibi viri docti.

330 *Siderei* pavones, vel ob oculos illos Argi in cauda collocatos a Junone, qui ſtellarum inſtar micant: vel ob id ipſum, quod Junoni ſacri ſunt, & in nummis Auguſtarum, quæ *ſideribus receptæ* ibi dicuntur, conſecrationis ſymbolum. *Ova pavonum* prodente Varrone R. R. 3, 6. 4 *denariis venibant quinis, ipſi facile quinquagenis. Primus*, quod ibid. Varro docet, *hos Q. Hortenſius augurali aditiali cœna poſuiſſe dicitur.* Quod autem de pſittacis adjungit, neſcio an credibile ſit, non magis, quam quod de Elagabali portentoſo luxu habet Lamprid. c. 20 *Exhibuit & Palatinis dapes —— refertas —— cerebellis phœnicopterûm —— et capitibus pſittacorum, et faſianorum et pavonum* etc. *Coloratos Indos* debet noſter Virgilio Ge. 4, 293.

335 *Veſtis odoratæ ſtudium* antiquiſſimum eſſe, Homero poſſumus credere, apud quem εἵματα θυώδεα pene ſolemni epitheto dicuntur Od. E, 264 & Φ, 52. Quem odorem θύῳ h. e. citro interpoſito conciliatum veſtibus, docet Oppius apud Macrob. Sat. 2, 10 & hinc *citroſam veſtem* dictam Nævio, quæ Homero θυώδης eſt. Idem Homerus Calypſus ſpeluncam & Helenæ thalamum θυώδεις facit. Et notæ ſunt unguentorum deliciæ: & hodie ars eſt odoratas pelles concinnandi. Hieron. ad Demetriad. de ſervanda Virginit. fol. 32, B Frob. *Peregrini muris olentes pelliculas* memorat.

337 *Comti vultus* ad capillorum cultum maxime pertinent, quos unguentis curarent, & calamiſtris ac pectinibus: *oneri* cui ſunt *ipſa Serica*, illum egregie delicatum ac mollem eſſe oportet. Comparavit Barthius Juvenal. 6, 259 *Hæ ſunt, quæ tenui ſudant in cyclade, quarum Delicias & panniculus bombycinus urit.*

338 *Chunos* eosdem eſſe, qui *Hunni* frequentius dicuntur, & ſupra Mæotin paludem collocandos,

Sollicìti ſcenæ, Romam contemnere ſueti,
Mirarique ſuas, quas Boſporus alluit, ædes:
Saltandi dociles, aurigandique periti.
Pars humili de plebe duces: pars compede ſuras,
Cruraque ſignati nigro liventia ferro,
Jura regunt, facies quamvis inſcripta repugnet,
Seque ſuo prodat titulo. Sed prima poteſtas
Eutropium præfert, Hoſio ſubnixa ſecundo.
Dulcior hic ſane cunctis, prudenſque movendi
Juris, & admoto qui temperet omnia fumo
Fervidus; accenſam ſed qui bene decoquat iram.
Conſidunt apices gemini ditionis Eoæ,

Hic

339 cœnæ *MSS.* 340 obruit *Vic. Baſ. Claver. Plant.* abluat *Vien.* abluit *Baſ. marg.* obluit, obſtruit, horruit *al.* 341 aurigarumque *vulg.* 346 ſubjecta *Vien. & Baſ. ſed* ſubnixa *marg.* ſecunda *Barth. e ſphalma, puto.* 347 doctior *MSS. quod præferendum videtur Heinſ. Pro* ſane, juris *Cuj.* novandi *Claver.* 348 temperat *vulg.* naſo *vulg.* fumo *etiam Baſ. marg.*

dos, non improbabile eſt, ſed nec exploratum Geographis. Cf. 21, 110.

339 Conſtantinopolitani populi univerſim mollitiem hic videtur accuſare, quæ Græculis & Aſiaticis adeo moribus Romanam gravitatem corruperit. Magno ſtudio curaverat Conſtantinus, ut ſpecioſis & commodis ædificiis ſua urbs exculta Romanos cives alliceret ac detineret.

341 *Dociles* hic ſunt magiſtri, διδακτικοὶ, ad docendum apti, certe principes artis ſuæ. Hoc genus enim florere in talibus aulis ſolet. Magnam vim nominum verbalium in *lis* productorum activa ſignificatione poni, poſſum longa inductione probare. *Indocilem uſus diſciplinam* ipſe Cicero Acad. 2, 1 dixit, quæ difficulter & tarde docet. Sic puto; licet non ignorem, quid alii.

344 *Facies inſcripta* eſt ſtigmate notata. Hiſtoricum ne hoc ſit, ut Præfectus Prætorii fuerit eo tempore ſtigmaticus, non liquet. Certe voluiſſe hoc poëtam, apparet e verbis, *ſeque ſuo prodat titulo.* Quamquam illud tanto minus probabile eſt, quod illo tempore jam diu inventa ars erat ſtigmata delendi. Vid. quæ diſputata ſunt ad Colum. 10, 125 & ad Plin. Pan. 35, 3.

346 *Oſium*, neglecta adſpiratione, habent inſcriptiones legum Codicis Theod. & hinc Proſopographia Gothofredi, unde tituli dignitatum illius peti poſſunt. Magiſter officiorum fuit ad A. C. 398 quæ hic *ſecunda poteſtas* dici videtur. Sequitur nunc figuratum & ambiguum viri elogium cum perpetua alluſione ad primam conditionem hominis, quem coquum fuiſſe ait. Eſt ſimilis hic ludus illi, quem ſuſpicatur Barthius ſubeſſe 18, 358 ſqq. Nam *dulcior*, *juris* mentio, *fumus*, *fervidus*, *decoquere*, de coquorum artificio ſunt.

350 *Apices*, capita, perſonæ primæ. Ita loquebatur illud ſeculum, ſed potius de dignitatibus,

quam

Hic coquus, hic leno, defeſſi verbere terga,
Servitio, non arte, pares. hic ſæpius emtus,
Alter ad Hiſpanos nutritus verna penates.
Ergo ubi collecti proceres, qui rebus in arctis
Conſulerent, tantiſque darent ſolatia morbis;
Obliti ſubito Phrygiæ, belloque relicto
Ad ſolitos cœpere jocos, & jurgia Circi
Tendere. nequidquam magna confligitur ira,
Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet? verrat quis marmora crine ſupino?
Quis magis enodes laterum detorqueat arcus?

351 hinc-hinc *conj. Heinſ.* defeſſi *MS.* deſciſſi *MS.* perfoſſi *conj. Heinſ.* vulnere *Baſ. marg.* 356 bellisque relictis *al.* 360 vertat *vulg.* verrat *etiam Cuj.* ſoluto *MS.* 361 procerum *Baſ. marg.* artus *vulg. ſed* arcus *Heinſii prior ex MSS. quam ſequimur.*

quam de perſonis, quod oſtendit laudatum ſæpe Gloſſarium nomicum Gothofr. De epiſcopis & epiſcopatu poſitum illuſtrat Savaro ad Sido. 4, 24.

351 *Defeſſi* ex ea ſignificatione accipiendum, ut *fodere latus* dicitur, qui digito admonet; vel fortius etiam, ut *ſtimulo latus foditur*, ut *calcaribus armi* equorum.

352 *Sæpius emtus* Eutropius, quia ſæpe venditus, cum ipſius pœniteret dominos. Vid. 18, 52.

357 *Jurgia circi* & aliorum ſpectaculorum, antiqua in liberis rebus publicis querela. Excogitata videntur ab earum rectoribus ad hoc ipſum, ut homines in iis occupati, de iis contendentes, publicæ rei curam omitterent. Verum hæc ipſa ludicrarum rerum ſtudia in periculoſas non nunquam coërcendasque legibus factiones erumpebant. Sed tamen

358 *Magna ira* hic jocoſe dictum videtur: neque enim de præſentibus in circo populi ſtudiis, ſed de procerum aliud agentium ſ. garrientium in Conſiſtorio frigidis ſermonibus loquitur. Niſi tamen ſummum ſtultitiæ gradum illis objicit, qui ſerio de quæſtione *Threx eſt Gallina Syro par* (Hor. Ser. 2, 6. 44) calide contenderint. De Domitiani furore in hoc genere vid. Sueto. 33, 3.

359 De ſaltatoriis artibus ſermo eſt, quas ſingula verba velut pingunt. *Supinus crinis* proprie eſt, qui erigitur, ut extrema illius quantum poteſt a cute removeantur, ſed hoc etiam fit, ſi quis in caput incedat, ut illi κυβιστητῆρες Homerici, certe ita ſe præcipitem ubi abiecit, excipiat manibus, ut caput quidem terram non tangat, ſed tamen crines inter illam rotationem *verrant marmora*: marmora augent artem, quia majus periculum hic κυβιστᾶν, quam in xyſto gramine vel pulvere polito.

361 *Enodes* intelligo molles h. e. mobiles in omnem partem & flexiles. *Nodi* in ligno durum illud faciunt rigidumque & flecti prohibent. Sed *artus* ne an *arcus* legamus? Poſterius placet, quia adjunctum eſt *laterum*. *Laterum arcus*, coſtæ, quas *detorquere* poſſe & flectere varie, ſummum forte mobilitatis & mollitiæ, de qua hic agitur, faſtigium eſt. *Exoſſa* atque

Quis voci digitos, oculos quis motibus aptet?
Hi tragicos meminere modos: his fabula Tereus,
His nec dum commiſſa choro cantatur Agave.
Increpat Eutropius: „*Non hæc ſpectacula tempus*
Poſcere: nunc alias armorum incumbere curas.
Se ſatis Armenio feſſum pro limite cingi,
Nec tantis unum ſubſiſtere poſſe periclis.
Ignoſcant ſenio: juvenes ad prœlia mittant.„
Qualis pauperibus nutrix inviſa puellis
Aſſidet, & tela communem quærere victum
Rauca monet. feſtis illæ luſiſſe diebus
Orant, & poſitis æquævas viſere penſis,

Iratæ-

363 Nereus *Baſ. marg.* 364 thoro *Baſ. marg.* 366 altas *placuit aliquando Heinſio.* annorum *Baſ. marg.*

que *enerva* ſaltatio Apuleji Met. 1 p. 104, 3, & *exoſſatum pectus* Lucretii 4, 1266, ad declarandam illam mobilitatem facere poſſunt, de quibus in Theſauro. Si *artus* omnino placeant, intelligamus ſpinæ dorſi vertebras, ut vocant Anatomici, quæ *artus* quin vocari poſſint, haud dubium eſt. Hi *enodes* ſi ſint, reddent ſpinam eo mobiliorem inſtar anguillæ val ſerpentis adeo. Similis varietas eſt Val. Fl. 4, 310 *qua primo cervix committitur artu.* Heinſius, *arcu.*

363 *Tragicos modos* dicit rhythmos & cantum: ut ille Virgilianus paſtor, *numeros*, inquit, *memini, ſi verba tenerem.*

364 *Tereus* ille tyrannus Procnes maritus, raptor Philomelæ, argumentum fabulæ, novæ tum fortaſſe: *Agave* Penthei mater fabulæ ejus argumenti necdum choro hiſtrionum a poëta tradita ad agendum, ſed in privato tantum auditorio recitationum more acta, ubi interſunt elegantiores homines, & ſententias vel clauſulas inde arreptas cantillant deinde & minuriunt. Sumſit, puto, ex Juvenali 7, 87 *Intactam Agaven*, nondum actam in publico.

367 *Cingi* cum reſpectu ad militare cingulum v. 320, in armis eſſe, excubare, pro finibus imperii ad Orientem ubi Armenii male parentes, vid. 18, 47. *Subſiſtere* verbum venatus eſt, cum ſtans venator irruentem in ſe feram excipit. Tertium caſum adhibuit in ſimili metaphora ipſe Cic. Fam. 11, 10 *Non, ſi Varronis theſauros haberem, ſubſiſtere ſumtui poſſem.*

370 *Inviſa nutrix*, quia urget, & inſtat pigris: ſic mox *rauca* a ſenio & a perpetuo clamore.

372 *Luſiſſe orant* pro ludere neſcio quam commode dicatur. Certe malim cum Horatio dicere, *ſunt quos curriculo pulverem Olympico Collegiſſe juvat* Car. 1, 1. 4. Et *Amet ſcripſiſſe ducentos Ante cibum verſos* Ser. 1, 10. 60: in his enim intelligitur vis Præteriti. Sed an *orare* poſſunt puellæ *luſiſſe* h. e. ut luſerint? Metuo ne certe hoc inter ea ſit, ubi rationem vincit uſus.

Iratæque operi jam laſſo pollice fila
Turbant, & teneros detergunt ſtamine fletus.
Emicat extemplo cunctis trepidantibus audax
Craſſa mole Leo, quem vix Cyclopia ſolum
Æquatura fames, quem non jejuna Celæno
Vinceret. hinc nomen fertur meruiſſe Leonis.
Acer in abſentes linguæ, jactator, abundans
Corporis, exiguuſque animi, doctiſſimus artis
Quondam lanificæ, moderator pectinis unci.
Non alius lanam purgatis ſordibus æque
Præbuerit calathis; ſimilis nec pinguia quiſquam
Vellera per tenues ferri producere rimas.
Tunc Ajax erat Eutropii lateque fremebat,
Non ſeptem vaſto quatiens umbone juvencos:
Sed, quam perpetuis dapibus pigroque ſedili

T 4 Inter

374 intentæque *Vien. marg. Baſ. marg.* uncti *Heinſii prior. Cf.* 18, 276.

382 unci *it.* unci *MSS.*

385 decucere *MSS.*

377 *Leo* hic a Zoſimo 5, 14 ita deſcribitur, *ἀρετῆς μὲν οὐδ' ἧστινος ἂν μεταλήψει κ. τ. λ.* nihil plane imperatoriæ virtutis aut dignitatis habuiſſe, *πλὴν ὅτι πρὸς Εὐτρόπιον ἦχεν οἰκείως*, niſi quod Eutropio familiaris & amicus eſſet. c. 16 extr. *ἀνειμένος ὢν φύσει καὶ τρυφῇ πάσῃ τὸν βίον ἐκδεδωκὼς, ὅμως ἐποίει τὸ κελευόμενον*, negligens & omiſſus ingenio & luxuriæ deditus, qui tamen imperata faceret. Denique c. 17 Gainæ perfidia a barbaris auxiliorum ſpecie ſubmiſſis ſuo cum exercitu conſumtus eſt. *Cyclopia* fames, quæ vel ſolidos homines devorare, Polyphemi illius exemplo, poteſt: *Celæno* Harpyjarum una.

382 *Uncum pectinem* intelligo illud inſtrumentum, quod mille parvos ex aciculis uncos tabulæ affixos habet, inter quos tractæ lanæ explicantur, diſtribuuntur que in paginas æquabiliter. Noſtri vocunt *carætſchen*: Romani forte *carmen*, a *carendo* ſ. *carminando*. Juvenal. 7, 224 *Qui docet obliquo lanam deducere ferro*: qui locus movit Heinſium, ut ſuam priorem emendationem retractaret.

384 *Calathi*, quaſilla, corbes in quibus penſa ſua reponunt inter opus lanificæ, quæ inde vocantur *Quaſillariæ*. *Rimæ ferri*, deſcriptio pectinis compoſiti ex bacillis ferri acutis et politis, quorum ope lanæ vel lina diſcriminantur et diriguntur ad lineas quantum poteſt rectas et parallelas, quo facilius deinde et æquabilius in fila torqueri poſſint. (Noſtris *Kæmme*, it. *Hecheln*). *Pinguia vellera* vocat ex diſciplina illa, quia pingui vel animali, vel olivo molliuntur lanæ.

387 Septemplex, *ἑπταβόειον*, erat Aiacis ſcutum: Leoni pro ſcuto eſt aqualiculus, venter prominens.

Inter anus interque colos oneraverat, alvum.
Exſurgit tandem, vocemque expromit anhelam
„*Quis novus hic torpor, ſocii? quonam uſque ſedemus*
Femineis clauſi thalamis, patimurque periclum
Gliſcere deſidia? graviorum turba malorum
Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis.
Me petit hic ſudor, numquam mea dextera ſegnis
Ad ferrum. faveat tantum Tritonia cœptis,
Inceptum peragetur opus. jam cuncta furore
Qui gravat, efficiam leviorem pondere lanæ
Targibilum tumidum, deſertoreſque Gruthungos
Ut miſeras populabor oves, & pace relata
Priſtina reſtituam Phrygias ad ſtamina matres.„
His dictis iterum ſedit. fit plauſus, & ingens
Concilii clamor. qualis reſonantibus olim
Exoritur caveis, quoties crinitus ephebus
Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada, fingit.
Protinus excitis iter irremeabile ſignis
Arripit, infauſtoque jubet bubone moveri
Agmina, Mygdonias mox impletura volucres.
Pulcher & urbanæ cupiens exercitus umbræ,

Aſſi-

399 timidum *MSS.* 403 conſilii *al, parvo etiam ad rem diſcrimine.* 407 infeſtoque *vulg. ſed* infauſtoque *jam Baſ. marg.*

394 *Texitur.* Utitur verbo artis ſuæ, quod olim ad res majores & periculoſas adhibitum a Cic. de Orat. 3 c. 60 ex perſona Craſſi, male ominantis reip. *Ea tela texitur & ea incitatur in civitate ratio vivendi.*

395 *Hic ſudor me petit,* hic labor me exſpectat, mihi deſtinatus eſt. Paſſim poëtæ hæc permutant. Vid. Drakenb. ad Sil. 4, 435.

396 *Tritonia* Minerva non bellica tantum Dea, ſed telæ auctor, & textrinorum præſes ac lanificii. Eodem pertinet formula *leviorem pondere lanæ*, & *oves*, & *ſtamina.*

405 *Rigidam Nioben*, dum dirigeſcit inter fletus in lapidem; *Troada* lugentem calamitates patriæ. Perſonas femineas agunt *ephebi* ob id ipſum *criniti* ſ. comati.

406 *Irremeabile iter*, a quo non erat rediturus, interfectus, ut antea dicebamus, cum ſuis.

407 *Infauſtus bubo*, avis feralis, malum auſpicium.

Aſſiduus ludis, avidus ſplendere lavacris,
Nec ſoles imbreſve pati, multumque priori
Diſpar, ſub clipeo Thracum qui ferre pruinas,
Dum Stilicho regeret, nudoque hiemare ſub axe
Sueverat, & duris haurire bipennibus Hebrum.
Cum duce mutatæ vires. Byzantia robur
Fregit luxuries, Ancyranique triumphi.
Non peditem præcedit eques: non commoda caſtris
Eligitur regio. vicibus cuſtodia nullis
Advigilat vallo. non explorantur eundæ
Vitandæque viæ. nullo ſe cornua flectunt
Ordine. confuſi paſſim per opaca vagantur
Luſtra, per ignotas anguſto tramite valles.
  Sic vacui rectoris equi, ſic orba magiſtro
Fertur in abruptum caſu, non ſidere, puppis.
Sic ruit in rupes amiſſo piſce ſodali
Bellua, ſulcandas qui prævius edocet undas,
Immenſumque pecus parvæ moderamine caudæ
Temperat, & tanto conjungit fœdera monſtro.
Illa natat rationis inops, & cæca profundi

 Jam

414 diris *Baſ. marg.* 416 Amphyranique *Baſ. marg.* 421 ſparſim *MS.* operta *MS.* feruntur *MS.* 422 anguſtas ignoto *vulg.* ignotas anguſto & *Baſ. marg.* ignotos-calles *ſuſp. Heinſ.* 423 magiſtri *MSS.* 426 cui præv. *vulg.* 428 fœdere monſtra *Vien. marg. Baſ. marg.* fœdere monſtrum *MS. hinc conj. Heinſ.* tantum conj. fœdere monſtrum. *Sed nihil mutandum.* Muſculus *conjungit fœdera* balenæ.

414 *Haurire Hebrum bipennibus*, non modo dictum puto ut *haurire latus enſe* i. perfodere: ſed bibere de fruſtis glaciei bipennium ope excifis.

416 De *Ancyranis triumphis* vid. ad v. 98.

421 *Per opaca luſtra*, per umbroſas ſilvas, ubi minus incommodi a ſole & pulvere, ſed plus periculi ab inſidiis, præſertim in reliquo omnis diſciplinæ & cautionis neglectu.

424 *Sidere* boreali, helice obſervanda regitur curſus navis.

425 *Amicitiæ exempla ſunt balæna & muſculus: quando prægravi ſuperciliorum pondere obrutis ejus oculis infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumque vice fungitur.* Hæc laudatus Barthio Plin. 9 extr. ubi Græcos indicat Harduinus.

Jam brevibus deprenſa vadis, ignara reverti
Palpitat, & vanos ſcopulis illidit hiatus.
Targibilus ſimulare fugam, flatuſque Leonis
Spe nutrire leves, improviſusque repente,
Dum gravibus marcent epulis, hoſtique catenas
Inter vina crepant, largo ſopita Lyæo
Caſtra ſubit. pereunt alii, dum membra cubili
Tarda levant: alii leto junxere ſoporem:
Aſt alios vicina palus ſine more ruentes
Excipit, & cumulis immanibus aggerat undas.
Ipſe Leo dama cervoque fugacior ibat
Sudanti tremebundus equo: qui pondere poſtquam
Decidit implicitus limo, cunctantia pronus
Per vada reptabat cœno ſubnixa tenaci.
Mergitur, & pingui ſuſpirat corpore moles,
More ſuis; dapibus quæ jam devota futuris

Turpe

430 defenſa vadis *Baſ. marg.* ignara natandi *MS.* 431 vacuos *MS.* 433 levis *MSS.* levi *MS.* *hiatu non inſolito, de quo Heinſ. ad* 24, 167.

432 *Flatus* dicit, ut ſpiritus. Solent vel ſerio irati, vel jactatores irarum & fortitudinis, celerius & vehementius ducere ſpiritum, *inflare ambas buccas*, ut ille Heratianus Jupiter Serm. 1, 1. 21. Vid. noſter 74, 19. Sed præſertim Silius 17, 120 & quos magno ibi numero laudat Drakenb. Hos Leonis flatus *leves*, ſine cauſa ortos *nutrit* Targibilus, alit, occaſiones illis, parva re male gerenda, ſimulato timore, ſuppeditat.

435 *Crepant*, cum ſtrepitu quodam & clamore denunciant, *hoſti catenas*.

439 *Aggerat palus undas cumulis immanibus* audacter dictum, ut indicetur tot cadaveribus ingeſtis expreſſam aquam, ut altius ſurgeret & ſuperaret ripas.

443 Etiam hæc audax metaphora. *Subnixus* aliquis dicitur ea re, quæ illum ſuſtinet & nixum conatumque illius ipſa, quam phyſici appellant, reactione & repulſu adjuvat. Vada hæc nihil ſolidi fundi habent, qui vadentem ſuo renixu ſublevet, ſed tenax cœnum retinet & mergit veſtigia.

445 Hinc velut duo de una fidelia parietes dealbare incipit noſter. Deſcribit interitum Leonis, quem in luto hærentem facit gemitus grunnientem inſtar ſuis, cui coquus vel lanio jam cultrum intentat. Hic pro coquo nominat Hoſium illum, alterum Conſtantinopoleos & imperii Orientalis cum Eutropio apicem, de quo v. 345 ſqq. cujus alioqui in hac Leonis fabula extrema nullæ fuere partes.

Turpe gemit, quoties Hoſius mucrone coruſco
Armatur, cingitque ſinus, ſecumque volutat,
Quas figat verubus partes, quæ fruſtra calenti
Mandet aquæ, quantoque cutem diſtendat echino.
Flagrat opus: crebro pulſatus perſtrepit ictu.
Contexit varius penetrans Chalcedona nidor.
Ecce levis frondes a tergo concutit aura:
Credit

446 quoties aliquis *Vic.* 449 echine *Vic.* 450 cultri cos perſt. ictu, *vel* pulſu eos perſtr. icta *Barth. conj.* 451 texitur & varius *MS.* contexit verubus *conj. Barth.* contexitur *Cuj. forte pro gloſſa.*

447 *Cingit ſinus* pro more coquorum ſemicinctio vel manteli facit ſibi ſinum, quo gerere aliquid, quo mundare ſubinde manus detergendo poſſit. In hac imagine Hoſii, qui forte magiſterio coquorum aliquando functus fuerat, vel in culina dederat operam, qualem de magno in Petri Magni Ruſſorum Imperatoris aula Viro Menzicovio relatam legimus, moratur poëta diutius quam deceret, ſi hoc epicum Carmen eſſet, non ſatira.

449 Nondum pœnitet eorum, quæ ante complures annos de hoc *echino* ad Stephanianum theſaurum commentatus an commentus ſum: niſi quod fartum Barthii non amplius ad palatum meum eſt. Scilicet, ut omnes *echini* ſignificationes pendent vel ab animali aculeato, vel ab aculeatis illis caſtanearum tegminibus: ſic tale quid etiam hic in animo habuiſſe noſtrum veriſimile eſt. Quid autem magis appellationem illam mereatur quam fruſtum porcinæ carnis, ut perna, trajectum ſurculis herbarum quarundam, ut ſalviæ, majoranæ, aut ſpicis aliii, ulpicive? Deliberat enim *quanto echino cutem diſtendat*, quam partem & quantam porci jam jam mactandi trajecta, quo modo dictum eſt, ac diſtenta cuti formet in echinum.

450 *Pulſatus*, ſi audimus Heinſium, pro *pulſu* atque adeo ſubſtantive ponitur. Sumamus hoc, etſi nondum alias inventum eſt, quod ſciam: ſed quomodo diſtinguemus *pulſatum* ab *ictu*? An poteſt ictus pulſu, vel pulſus ictu perſtrepere? Forte ita intelligamus, ut *pulſatus* ſit collectivum nomen, (ſicut *ſtrepitus*, *tumultus*, *cantus*) cujus partes ſint *ictus*? Si nihil aliud, ingenioſa certe eſt conjectura Barthii, *crebro pulſu eos perſtrepit icta.* Solent coqui & macellarii ſubinde inter opus cultros coti vel chalybi cum ſono quodam impingere acuendi cauſa.

451 Ad hunc verſum illuſtrandum pulchre adhibuit Heinſius uſum verbi cognati *ſubtexere* it. *obtexere*. V. G. Æn. 3, 582 *Trinacria cælum ſubtexere fumo* dicitur. Nempe in *texendi* verbo ineſt notio continuandi. Fumus ille de Sicilia ſurgens continuat illam & jungit cœlo. Ita *nidor varius*, ex multiplici genere carnium ortus, culinæ quam regit Hoſius *penetrans* a Byzantio trans Propontidem, *contexit* & continuat Byzantio oppoſitam in altero litore Chalcedona.

452 Antiqua & fere communis gentibus deſcriptio nimii metus, uti dicatur a motis vento foliis excitatus, ut ille hinnulei Horatiani Car. 1, 23 pr.

Credit tela Leo. valuit pro vulnere terror,
Implevitque vicem jaculi, vitamque nocentem
Integer, & ſola formidine ſaucius, efflat.
  Quis tibi tractandos pro pectine, degener, enſes,
Quis ſolio campum præponere ſuaſit avito?
Quam bene texentum laudabas carmina tutus,
Et matutinis pellebas frigora penſis!
Hic miſerande jaces: hic, dum tua vellera vitas,
Tandem fila tibi neverunt ultima Parcæ.
  Jam vaga pallentem denſis terroribus aulam
Fama quatit: ſtratas acies, deleta canebat
Agmina, Mæonios fœdari cædibus agros,
Pamphylos Piſidaſque rapi. metuendus ab omni
Targibilus regione tonat. modo tendere curſum

In

458 carmine *vulg.* ludebas carmine *Raphel.* 459 menſis *vulg.* penſis *e conjectura Rubenii etc.* 464 Mygdonios *MS.* Chaonios *MS.* 465 Pamphilios *vel* Pamphylios *vulg.*

457 *Solio avito* ne quid forte majeſtatis aut dignitatis certe ineſſe putemus: ſumit hic tantum ex etymologia, quum a *ſedendo* derivent Grammatici, ut *ſellam*.

458 *Carmina texentum*, quibus ſolari vel fallere laborem atque horas ſolent. Laudatus Heinſio Ovid. Tr. 4, 1. 13 *Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis Fallitur ancillæ decipiturque labor.* Hoc facilius videtur, quam *carmina* intelligere inſtrumentum, quo caruntur & colo parantur lanæ: quamquam negari non poteſt, illum hic humilitati hominis illudere verbis ab opere lanifico acceptis.

459 Ambiguum videtur, agatne de frigoribus, quæ penſis atque operis lanificarum, dum veſtes parant, pellenda ſint: an de ſuis frigoribus & inopia, quam pelleret matutinis penſis, i. majuſculis, in quibus mane incipiendum eſſet. Sed Barthius curis ſecundis revocat vulgatum *menſis*, & interpretatur, ingluvie cum ipſo ſolis ortu cœpta. Sed non videntur hic *δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι*.

460 *Miſerande jaces*; ſumtum ex Æn. 10, 325. *Vitare* voluit Hoſius *vellera ſua*, h. e. ab opificio ſatis ſordido diſcedere: ſed ſiniſtre & nequiter illi res, ſecundum iſta, ſucceſſit: tres illæ vetulæ lanificæ ſorores, Parcæ, nihil reveritæ ſimilitudinem opificii & collegium, vitæ tibi fila abruperunt.

462 *Denſi terrores* ſunt nuncii terribiles, alius alium proxime conſequentes. Fama *canere* dicitur propter tubam quîcum pingitur, etiam cum perfecta nunciat.

466 *Tonat* Targibilus, cum nomen ipſius cum terrore auditur.

In Galatas, modo Bithynis incumbere fertur.
Sunt qui per Cilicas rupto deſcendere Tauro,
Sunt qui correptis ratibus, terraque marique
Adventare ferant. geminantur vera pavoris
Ingenio. longe ſpectari e puppibus urbes
Accenſas, lucere fretum, ventoque citatas
Omnibus in pelago velis hærere favillas.
Hos inter ſtrepitus funeſtior advolat alter
Nuntius, armatam rurſus Babylona minari
Rege novo: reſides Parthos ignava peroſos
Otia Romanæ jam finem quærere paci.
Rarus apud Medos regum cruor, unaque cuncto
Pœna manet generi, quamvis crudelibus æque
Paretur dominis. ſed quid non audeat annus
Eutro-

470 verba *Baſ. Plant.* 471 e rupibus *conj. Heinſ.* 478 cunctos- generis *al. Vid.* 26, 499.

470 *Geminantur vera*, altero tanto majora a pavore, qui hic ingenioſus eſt, finguntur. Ut in univerſum cura Claudiano impenſa ſalubriter avocavit animum meum a cogitandis miſeri hujus belli, quo ſua in viſcera ſævit Germania, calamitatibus: ita hic locus ſolatio eſt adverſus moleſtias a monſtroſis interdum & pene fanaticis, mendacibus quidem fere ſemper, rumoribus, quibus, quaſi non ſatis iam miſeri eſſent, ſolent homines velut per ludibrium ſe invicem agitare.

475 *Babylon*, *Parthi*, *Medi*, *Perſæ* idem imperium ſignificant Perſicum ab Artaxerxe ſæculo tertio Parthis ereptum. Ceterum quæ hic de interfecto a ſuis Sapore Perſarum rege narrantur, ea pro hiſtoria dari a Claudiano, non poſſum dubitare: nec tamen alias invenio vel nomen hujus Saporis, (qui quartus eſſe debet, & forte idem eſt qui Varraranes) vel rem, de qua hic agitur. De nomine non laborem, quod commune fuiſſe, facile crediderim. De pace rum Romani imperii cum Perſis Oroſius 7, 34 *Ictumque tum* (cum Theodoſio M.) *fœdus eſt*, *quo univerſus Oriens usque ad nunc tranquilliſſime fruitur.* Producta eſt Oroſii narratio ad Stilichonis usque interitum.

478 Raro fit ut apud Perſas parricidium regium committatur, propter pœnam non parricidæ modo, ſed toti generi imminentem. Præter antiqua tempora Ammia. 23, 6 *Leges apud eos impendio formidatæ: —— abominandæ, per quas ob noxam illius omnis propinquitas perit.* Hinc quantumvis *crudelibus dominis*, regibus, *æque paretur* ac mitibus. Quod in his amor efficit, in illis præſtat timor.

480 *Sed quid non audeat annus Eutropii.* Invidiam facit Eutropio, quaſi nihil ita turpe, ita monſtroſe malum ſit, quod non eo anno, quem iſte nomine & conſulatu ſuo fœdum & inominatum reddidiſſet, poſſit fieri. Occurſus ſimiæ vel Eunuchi diem facit infelicem & *ino-*

Eutropii? ſocium nobis fidumque Saporem
Perculit, & Perſas in regia vulnera movit;
Rupturaſque fidem, leto pars ne qua vacaret,
Eumenidum tædas trans flumina Tigridis egit.
Tum vero cecidere animi, tantiſque procellis
Deficiunt, ſepti latrantibus undique bellis
Infenſos tandem Superos, & Conſulis omen
Agnovere ſui. nec jam revocabile damnum
Eventu rerum, ſtolidi didicere magiſtro.
Namque ferunt geminos uno de ſemine fratres
Japetionidas generis primordia noſtri
Diſſimili finxiſſe manu. quoſcumque Prometheus
Excoluit, multumque innexuit æthera limo,

Hi

481 ſodalem *vulg.* Saporem *Heinſ. ex MSS.* 487 inſeſtos *Baſ. marg.* 489 ſtolido-magiſtro *vulg.* ſtolidi-magiſtri *conj. Barth.* 493 multoque *Heinſ. ex MSS.* innexuit *Baſ. & al.* immiſcuit *conj. Heinſ.*

ἀποφράδα, Eunuchus conſul annum. Hic annus perculit Saporem regem, ſocium nobis fidelem: hic Furias ſuis cum tædis egit trans Tigridem in aulam Perſicam.

485 Hoc terribili nuncio e Perſia allato, de impendente inde quoque a novo rege bello, tandem cecidere aulæ & Procerum Byzantinorum animi; tandem agnoverunt, Deos iratos ob Conſulem ita turpem etc.

489 Non video qui *eventus* vocari poſſit *ſtolidus magiſter*, aut qua ratione Arcadius cum ſua aula non modo ſtolidi ſimpliciter, ſed *ſtolidi magiſtri* dicantur: quamquam hoc tamen facilius, quam illud. Sumtum eſt totum hoc ex Liv. 22, 39 ubi aperte de *eventu*, *ſtultorum iſte magiſter eſt*, dicitur. Unice, niſi valde ego fallor, verum eſt, quod edendum curavi.

490 Cum Heſiodum ediſcere educationis liberalis pars eſſet, poterat ad fabulam duorum fratrum ſine metu obſcuritatis alludi. Nunc certe moniti reminiſcamur, Pandoram, doloſum munus ne acciperet, monitum a fratre Prometheo Epimethea: hunc vero cum illam accepiſſet demum quantum haberet mali intellexiſſe. Αὐτὰρ ὁ δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ' ἐνόησεν. Εργ. 89. Vid. Schol.

492 *Diſſimili manu* h. e. artificio: ut *manus* de opere ſcriptoris, ſtatuarii, pictoris e. i. g. a. dicitur.

493 Quo plus ætheris limo intextum h. e. admixtum eſt, eo magis ſapiunt, qui ita ſunt formati, et contra ea. Itaque neceſſaria eſt antiqua lectio *multumque*, & temere mutata a Viro magno. De Promethei illa fabrica conf. 8, 229 ſqq.

Hi longe ventura notant, dubiiſque parati
Caſibus occurrunt fabro meliore politi.
Deteriore luto pravus quos condidit auctor,
Quem merito Grai perhibent Epimethea vates,
Et nihil ætherii ſparſit per membra vigoris,
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res ante vident: accepta clade queruntur,
Et ſeri tranſacta gemunt. Jam ſola renidet
In Stilichone ſalus, & cujus ſemper acerbum,
Ingratumque ſibi factorum conſcius horror
Credidit adventum; quem ſi procedere tantum
Alpibus audiſſent, mortem pœnaſque tremebant;
Jam cuncti veniſſe volunt, ſcelerumque priorum
Pœnitet, hunc tantis bellorum ſidus in undis
Sperant, hunc pariter juſti ſonteſque precantur.

Ceu

496 edidit *vel* ædidit *vulg.* condidit *etiam Baſ. marg.* 501 ſero *vulg.* ſerie *MS.* 507 hoc - hoc *vulg.* hunc *etiam Baſ. marg.*

494 Quos Prometheus finxit, ii ſimiles ſuo figulo *προμηθέονται* provident, & ante opus conſulunt quod opus eſt: contra Epimethei manu formati ſimiles illi, *ὅτε κακὸν ἔχωσιν ἐνόησαν*, ſapiunt ubi jam habent malum. *Fabro meliore politi* ipſi meliores ſunt, ut *inæquali tonſore curtatus capillos* Hor. epiſt. 1, 1. 94 inæqualiter tonſus intelligitur. *Deteriore luto*, contrarium illis apud Juvenal. 14, 34 *Quibus arte benigna Et meliore luto finxit præcordia Titan.*

497 Nempe *ἐπὶ* in hac compoſitione *poſt* ſignificat, ut *μετά*. Faceto luſu Ariſtophanes apud Lucia. Prometheo T. 1 p. 26 *Κλέων προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα*, quaſi tu dicas *providet poſt negotia*, cum non amplius tempus eſt. Aliam de Prometheo & Epimetheo fabellam ſuaviter narravit Plato Protagora p. 197 ſq. ſed quæ nihil ad hoc de quo hic agitur.

501 *Renidere* eſt leniter & blande arridere, ſenſu paullo laxiore, ut arrident nobis quæ placent.

506 Hic ſane præteritum non metri neceſſitas poſtulavit, quæ nunquam ſtultum aliquid imperare poëtæ debet; ſed quod verſum fulcit, idem robur addit ſententiæ, non modo *venire* volunt Stilichonem, ſed optant jam *veniſſe*, atque adeſſe adeo.

507 *In undis* ſ. fluctibus maris *ſperant*, qui iis jactantur, *ſidus* Caſtoris & Pollucis: in his *bellorum* vndis ac tempeſtatibus Stilichonem homines ut ſalutare ſidus & *σωτῆρα* reſpiciunt.

Ceu pueri, quibus alta pater trans æquora merces
Devehit, intenti ludo, ſtudiiſque ſoluti,
Lætius amoto paſſim cuſtode vagantur.
Si gravis auxilio vacuas invaſerit ædes
Vicinus, laribuſque ſuis proturbet inultos,
Tum demum patrem implorant, & nomen inani
Voce cient, fruſtraque oculos ad litora tendunt.
Omnes ſupplicio dignos letoque fatentur,
Qui ſe tradiderint famulis, Stilichone relicto.
Mutati ſtupuere diu, ſenſuque reducto
Paullatim proprii mirantur monſtra furoris,
Avertuntque oculos. projectis faſcibus horret
Lictor, & infames labuntur ſponte ſecures.
Quales Aonio Thebas de monte reverſæ
Mænades, infectis Pentheo ſanguine thyrſis,
Cum patuit venatus atrox, matrique rotatum
Conſpexere caput, greſſus caligine figunt,
Et rabiem deſiſſe dolent. Quin protinus ipſa

Tendit

517 famulo *vulg.* 520 proſtratis *MS.* 526 deſciſſe *al.* ceſſiſſe *Baſ. marg.* deſceſſe *it.* diſceſſe *al.*

515 *Oculos ad litora tendunt*, ut Horatiana mater Car. 4, 5. 14 *Curvo nec faciem litore dimovet.*

518 *Mutati*, cum jam reſipuiſſent, & mutaſſent animum a Stilichone antea alienum, ipſi mirantur, qui in tantum incidere furorem potuerint, ut mulier quæ monſtrum peperit, illud ipſa horret.

522 Bacchi ſacra & furores contemſerat Pentheus Thraciæ rex: Bacchus verum furorem injicit matri illius Agavæ & materteris Cadmi filiabus, per Aonium montem bacchantibus. Hic matre duce in Penthea, quem illa aprum imaginatur, invadunt, & miſerum dilacerant, matre caput filii, ut prædam opimam inter manus jactante. Graphice & tragice fabulam exſequitur in Bacchis Euripides. Cf. 5, 419. Mænades, *μαινάδες*, Bacchæ ab illo furore dictæ, quarum veſtis *nebris*, ſ. pellis hinnulea, geſtamen *thyrſus* ſ. haſta, cui circumplicantur palmites.

525 *Caligine*, vertigine, qui ferre conjuncti ſunt magnæ conſternationis effectus, ideo figunt greſſus, quia progredi non audent cadendi metu, nec præ terrore poſſunt.

526 Quam diu furor aderat, placebant ſuo ſibi venatu, & pulchre rem a ſe geſtam gaudebant etc. Nunc mutatur ſcena multo triſtius quam in illo, qui dulci ſtultitia, qua in vacuo ſe theatro miros audire tragœdos putabat, liberatus, *Pol me occidiſtis amici, Non ſervaſtis*, ait apud Hor. Epiſt. 2, 2. 138.

Tendit ad Italiam ſupplex Aurora potentem,
Non radiis redimita comam, nec flammea vultum,
Nec croceum veſtita diem. ſtat livida luctu:
Qualis erat, Phrygio tegeret cum Memnona buſto.
Quam ſimul agnovit Stilicho, nec cauſſa latebat,
Reſtitit. illa manum victricem amplexa moratur,
Altaque vix lacrimans inter ſuſpiria fatur.
„Tantane te noſtri cœperunt tædia mundi?
Sic me ludibrium famulis riſumque relinquis,
Dux quondam rectorque meus, ſolamque tueris
Heſperiam? domiti nec te poſt bella tyranni
Cernere jam licuit? ſic te victoria nobis
Eripuit, Gallisque dedit? Ruſinus origo
Prima mali. geminas inter diſcordia partes
Hoc auctore fuit. ſed jam majora moventi
Occurrit juſta rediens exercitus ira,
Fortis adhuc, ferrique memor. Brevis inde reluxit,
Falſa-

528 non lucida vultu *MS.* non lumine ſueto *MS. & Baſ. marg.* 529 lurida *MSS.* 531 ſimul ac novit *Baſ. marg.* 533 atque ita *vulg.* 541 fluit *malit Heinſ. Ut 12, 22.* furenti *MS.* 543 fratrisque *Baſ. marg.*

527 *Auroram* Deam hic facit ſymbolum, ſ. Genium malis, Orientalis Imperii, & illam ſuo Stilichoni ſupplicantem inducit: quem alii ſcriptores non multo Rufinis, Eutropiis, Gainis meliorem faciunt. Demit autem Auroræ ornatum illum, qui naturam ejus pingit, & velut ſordidatam facit, more lugentium.

530 *Memnon* Aurorae ex Tithono filius, Æthiops, in bello Trojano ſocius Trojanorum interfecit Antilochum Neſtoris F. ipſe cecidit manu Achillis. Inter ultimos conatus mortales P. E. Jablonski fuit aureus liber, *de Memnone Græcorum & Ægyptiorum, hujusque celeberrima in Thebaide ſtatua ſyntagmata tria* Ff. ad Viadr. 1753. 4.

536 Illud ſemper & ubique tuetur poëta noſter, ſuum Stilichonem non Honorio tantum & Occidenti, ſed utrique Auguſto & Imperio tutorem a Theodoſio conſtitutum.

539 *Gallos* nominat, tum quod robur Occidentis præcipuum in illis legionibus eſſet, tum quod ſedes illius Imperii tum eſſet in Ciſalpina Gallia, Mediolani. *Sub diſpoſitione Præfecti Præt. Galliarum* tum erant *diœceſes Hiſpaniæ, Galliarum & Britanniarum.* Vid. Not. Dignitt. Imp. c. 3 Pancir. vel ſect. 36 Labbei.

541 Cataſtrophen illam Rufini ab exercitu Occidentali, Stilichonis imperio circumventi & interfecti, narrat noſter libro ſecundo in Rufinum. Vid. 5, 408.

Falſaque libertas. rurſum Stilichonis habenis
Sperabam me poſſe regi. Proh cæca futuri
Gaudia! fraterno conjungi cœperat orbis
Imperio, (quis enim tanto terrore recentis
Exempli paribus ſeſe committeret auſis?)
Cum ſubito monſtroſa lues, turpisque relatu
Fabula, Rufini caſtratus proſilit hæres:
Et ſimiles iterum luctus fortuna reduxit,
Ut ſolum domini ſexum mutaſſe viderer.
Hic primum thalami clauſtris delicta tegebat,
Clam timideque jubens. erat invidioſa poteſtas,
Sed tamen eunuchi. necdum ſibi publica jura
Sumere, nec totas audebat vertere leges.
At poſtquam pulſisque bonis & face retenta
Pejores legit ſocios, dignusque ſatelles
Hinc Hoſius ſtetit, inde Leo: fiducia crevit,
Regnandique palam flagravit aperta libido,
Patricius Conſul maculat, quos vendit, honores:
Plus maculat, quos ipſe gerit. Jam ſigna tubæque
Molleſcunt. ipſos ignavia fluxit in enſes.
Inſultant merito gentes, facilisque volentum

Præda

549 monſtr. mihi *vulg. etiam Elzevir.* 2. lues *ex MS. Heinſ.* 1. 556 tantas *vulg.* 558 dignosque ſodales *vulg.* dignusque ſatelles *etiam Cuj.* 562 regit *vulg.* 564 exſultant *vulg.* mer. leges *Baſ. marg.* volenti *vulg.* volentis *Cuj.* volentum *neſcio unde utraque Heinſ.*

546 *Conjungebatur* tum *orbis* Romanus *imperio fraterno*, quoties Arcadius & Honorius unum habebant dominum, vel pædagogum, qui utrumque velut neuroſpaſton iisdem motibus regeret.

552 Solet noſter mulicbri ſexui adſcribere eunuchos. Vid. ad v. 222.

553 *Thalami* i. cubiculi regii, cui præpoſitus crat, *clauſtris tegebat delicta*, qui *clam* modo & *timide* inſuſurraret mala conſilia, importunas preces, eaque ratione multa mala efficeret. Nimia erat hæc & digna odio poteſtas; talis tamen, quæ caderet in eunuchum, quæ a tali perſona non abhorreret.

559 De *Hoſio* ſupra a v. 346: de *Leone* a v. 377.

561 *Honores* eo ipſo ſplendorem ſuum amittunt & *maculantur*, *quos vendit* Eutropius: magis etiam, quos gerit.

Præda ſumus. jam Biſtoniis Æmoque nivali
Vaſtior expulſis oriens ſqualebit aratris.
Hei mihi, quas urbes, & quanto tempore Martis
Ignaras, uno rapuerunt prælia curſu!
Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
Terruit Antiochi muros, ipſumque decoræ
Pene caput Syriæ flammis hoſtilibus arſit.
Utque gravis ſpoliis, nulloque obſtante profunda
Lætus cæde redit, ſequitur mucrone ſecundo
Continuum vulnus. Nec jam mihi Caucaſus hoſtes,
Nec mittit gelidus Phaſis: naſcuntur in ipſo
Bella ſinu. legio pridem Romana Gruthungi,
Jura quibus victis dedimus, quibus arva domosque
Præbuimus, Lydos Aſiæque uberrima vaſtant.
Ignibus & ſi quid tempeſtas prima reliquit,
Nec duce, nec numero, freti: ſed inertia nutrit,
Proditioque ducum, quorum per crimina miles
Captivis dat terga ſuis, quos teſte ſubegit
Danubio, partemque timet, qui reppulit omnes.
Aula choris epuliſque vacat, nec perdita curant,
Dum ſupereſt aliquid. ne quid tamen orbe reciſo
Venditor amittat, provincia quæque ſuperſtes

 Divi-

566 ſquallescit *MSS.* ſquallevit *MS.* 581 prodigiumque *vulg.* proditioque *etiam Baſ. marg.* 582 captivus *vulg.* 584 curat *al.*

565 *Biſtonius* eſt Thracius, ubi etiam *Hæmus* eſt.

570 *Antiochiam* ad Daphnen, capitalem Syriæ urbem, intelligi, ſatis ipſum contextum orationis oſtendit: equitatus ab extremo Araxe debent eſſe Scythici vel Bactriani.

573 *Mucrone ſecundo*, iterum, repetita invaſione. Cf. v. 579.

576 De *Gruthungis* vid. ad 20, 152. Legionem Romanam hoc nomine non invenio in Notitia Dignitatum Imperii. Et poteſt abuſus eſſe Legionis nomine poëta.

579 *Tempeſtas prima* reſpicit ad *mucronem ſecundum* v. 573. Ceterum utrum prima vox hujus verſus ſit ablativi caſus, & referenda ad verbum ultimum præcedentis, *vaſtant;* an dativi, conſtruenda cum *reliquit*, dubitari poteſt, nec multum refert. Itaque reliqui diſtinctionem Heinſianam.

583 *Danubii* ergo accolæ fuerunt Gruthungi ante quam tranſirent in Aſiam.

586 *Venditor* eſt Eutropius, apud quem omnia ſunt venalia. Vid. v. 561.

Dividitur, geminumque duplex paſſura tribunal
Cogitur alterius pretium ſarcire peremtæ.
Sic mihi reſtituunt populos. hac arte reperta
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.
In te jam ſpes una mihi. pro fronde Minervæ
Has tibi protendo lacrimas. ſuccurre ruenti.
Eripe me tandem ſervilibus, eripe, regnis.
Neve adeo cunctos paucorum crimine damnes:
Nec nova tot meritis offenſa prioribus obſtet.
Jam jam flecte animum. Suprema pericula ſemper
Dant veniam culpæ. Quamvis iratus & exſul
Pro patriæ flammis non diſtulit arma Camillus.
Non te ſubtrahimus Latio: defenſor utrique
Sufficis. Armorum liceat ſplendore tuorum
In commune frui: clipeus nos protegat idem,
Unaque pro gemino deſudet cardine virtus."

88 redemtæ *vel* diremtæ *conj. Heinſ.* 589 fraude rep. *MS.* 596 piacula *MSS. quod non bene receperat priori editione Heinſ.*

587 *Geminum tribunal* accipit unaquæque provincia, quia duos, inter quos diviſa eſt, Præſides, quos jam pro uno alere & locupletare cogitur.

589 Meminerimus loqui Auroram, i. Imperium Orientis.

591 *Frons Minervæ* eſt oleæ ramus, quem protendunt pacem petentes vel offerentes. Nota fabula de certamine Minervæ cum Neptuno, quo illa vicit & Athenarum domina facta eſt, cum oleam produxiſſet, quam equo, Neptuni munere, potiorem DI judicarunt.

596 Si ille qui peccavit in ſummo *periculo* eſt, tum non eſt locus expoſtulandi, invehendi, puniendi; ſed ante omnia ſuccurrendum. Sic Fabius Cunctator fecit in periculo Minucii Rufi, *Aliud*, inquit, *jurgandi ſuccenſendique tempus erit: nunc ſigna extra vallum proferte.* Liv. 22, 29.

598 *Pro patriæ flammis*, intelligendum arcendis, vel exſtinguendis adeo.

Apparet, non perductam eſſe ad finem tragicam Eutropii fabulam, ſupereſſe cataſtrophen, actum ultimum, quem vel maxime exſpectarent lectores. Dicendum erat, quid reſponderit Stilicho, quid egerit cum Arcadio, quid hic decreverit, ut in eccleſiam ille confugerit, & reliqua, quæ ſupra ad carmen 18 pr. poſuimus, atque hoc ipſum præcepimus monere, quod lectores hic plene intelligunt. Unum modo addimus, non eſſe, quod audiamus Martinum Antonium Del-Rio, qui ex abrupta ſic Claudiani tela argumentatur, non interfectum eſſe Eutropium, in quo manifeſto refellitur ab hiſtoria, Zoſimo præſertim 5, 18.

XXI CL.

XXI

CL. CLAUDIANI

DE

LAUDIBUS STILICHONIS *

LIBER I

Continuant Superi pleno Romana favore
Gaudia, ſucceſſuſque novis ſucceſſibus urgent.
Connubii necdum feſtivos regia cantus
Sopierat, cecinit fuſo Gildone triumphos,

U 3 Et

* Panagyris (Panæg.) in laudes Stiliconis *Vic.* Panegyris prima in laudes Stiliconis *Vien. Baſ. etc.* De conſulatu Stidichonis *MSS.* Incipit laus Stilichonis libri numero III. *al. ap. Heinſ.* 2 augent *vulg.* urgent *e MSS. Heinſ.* 3 conjugii *vulg.* 4 triumphus *Raphel. & quid. MSS.*

*) Jam olim de inſcriptione & argumento trium librorum, vel quatuor adeo, qui de laude Stilichonis agunr, diverſum ſenſiſſe homines, ex varietate lectionis apparet. Breviter dicam, quid ipſa poëtae lectio me docuerit. Tres libri ſunt de conſulatu Stilichonis priore, primus canit armatas laudes, quibus conſulatum meruit (vid. 22 pr.) alter de ipſo aditu muneris, tertius adventum Romæ, proceſſum & pompam conſularem deſcribit, atque munera, ludos, Diptycha etc. De altero Conſulatu nec vola nec veſtigium eſt. Liber de Bello Getico pertinet ille quidem ad Stilichonem hactenus, quod illi poëta adſcribit victoriam de Getis: ſed nihil ad Conſulatum. Nomen *Stilichonis* cum adſpiratione ſcribo auctore Heinſio, cui favet præſertim conſtans Græcorum ratio Στελίχων, cum Latini fere fluctuent. Sed etiam monimenta faſtorum & Lapidum maiorem partem adſpirant tertiam Syllabam quæ proponit Relandus in Faſtis ad A. C. 400, quo primum cum Aureliano conſul fuit, & ad A. 405 quo iterum cum Anthemio. Nomen non ſimpliciter barbarum eſſe, ſuadet V. Inſcr. Grut. p. 110, 9 *Genio municipii Neſcanienſis L. Poſtumius Stilicon Neſcanienſis.* *Stillico*, it. *Stellico* lapidariorum ſphalmata eſſe videntur. *Flavii* prænomen eſt in faſtis quoque. De rebus magni viri hic non ſumus ſoliciti, niſi quatenus ad lucem horum carminum facere aliquid videntur. Qui illas perquirere ex fontibus velit, illos indicatos inveniet a Jac. Gothofredo ad l. 22 C. Th. de Bonis Proſcriptor. ſ. T. 3. p. 378. Inter præcipuos eſt Sozomenus 9, 4. Inſcriptionem geminam, ſ. paginam honorum Stilichonis damus in Prolegomenis. Elogium viri, quo partim firmantur laudes a poëta illi tributæ, partim refelluntur, habemus apud Zoſimum præſertim 5, 34.

2 *Urgent* efficacius hic verbum, quam *augent.* Ita ex proximo ſe con-

Et calidis thalami ſucceſſit laurea ſertis,
Sumeret ut pariter princeps nomenque mariti,
Victoriſque decus. Libyæ poſt prælia crimen
Concidit Eoum, rurſumque, Oriente ſubacto,
Conſule defenſæ ſurgunt Stilichone ſecures.
Ordine vota meant. Equidem ſi carmen in unum
Tantarum ſperem cumulos advolvere rerum,
Promtius imponam glaciali Pelion Oſſæ.
Si partem tacuiſſe velim, quodcumque relinquam,
Majus erit. Veteres actus, primamque juventam
Proſequar? ad ſeſe mentem præſentia ducunt.
Narrem juſtitiam? reſplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis:
Quod floret Latium, Latio quod reddita ſervit
Africa, vicinum quod neſcit Iberia Maurum,
Tuta quod imbellem miratur Gallia Rhenum.

An

10 carmine in uno *MSS.* carmine in unum *MSS.*

conſequuntur res lætæ, ut videantur urgeri ac premi priores ab his quæ ſequuntur. Nempe in A. C. 398 incidunt nuptiæ Honorii cum Maria, Stilichonis & Serenæ filia: mox eodem anno Gildo victus in Africa: proximo 399 Eutropius dejectus: annus autem 400 Stilichonem vidit Conſulem, ut modo dictum eſt.

5 *Calidis thalami ſertis*, quae nondum refrixerant de vapore e ſponſorum capitibus ſurgente, ſucceſſit laurea triumphalis devicto Gildone in Libya ſ. Africa.

8 *Eoum crimen*, ipſe ſuo cum conſulatu Eutropius. *Oriens* denuo *ſubigendus* erat, quem concitarat Eutropius: *ſecures* Romanæ in contemtum adductæ quod haberet illas Eutropius, & velut conculcatae, cum Stilicho eas ſumit, *ſurgunt*, & ſuam recuperant dignitatem.

10 *Ordine fata meant*, procedunt uno tenore, & conſequuntur ſe invicem res ſecundæ.

11 *Cumuli*, & *advolvere* imaginem effingunt magnorum fluctuum, qui in mari *volvuntur*. *Cumulus immanis aquarum* eſt Ovid. Met. 15, 508. Apud eundem Tr. 1, 2. 19 *montes volvuntur aquarum*. *Pelion Oſſæ imponere* gigantum conatus Virg. Ge. 1, 281.

14 *Majus erit*: nam in rebus magnis, pulchriſve inſigniter etſi æqualiter, illud ſemper maximum pulcherrimumque videbitur, quod eſt proximum: præſentia magis movent præteritis vel futuris.

18 *Reddita Africa* ſuperato Gildone qui, ſi viciſſet, *Mauros* ſuos in oppoſitam Hiſpaniam ad *Iberos* trajecturus erat. *Imbellem Rhenum*, quieſcentes Romanorum & Stilichonis metu Germanos, miratur Gallia, vexari ab illis ſolita.

An gelidam Thracen decertatoſque labores,
Hebro teſte, canam? magnum mihi panditur æquor,
Ipſaque Pierios laſſant proclivia currus
Laudibus innumeris. Etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam ſincera bonorum
Sors uni conceſſa viro. quem vultus honeſtat,
Dedecorant mores: animus quem pulcrior ornat,
Corpus deſtituit. bellis inſignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis. hic publica felix,
Sed privata minus. partitum ſingula quemque
Nobilitant. hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illum ſollertia juris,
Hunc ſoboles caſtique tori. Sparguntur in omnes:
In te miſta fluunt, &, quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenes. Quid facta revolvam
Militiamque patris? cujus producere famam,
Si nihil egiſſet clarum, nec fida Valenti
Dextera duxiſſet rutilantes crinibus alas,

21 aut gel. *MSS.* 23 curſus *MSS.* 26 uni *malit Barth. & habet Heinſ. 2.* ulli *al.* 27 an. quem plurimus *MSS.* 29 in publ. *Baſ. & al. ſed* hic publ. *jam Vic. & Baſ. marg.* 30 domus *Vien. marg.* partito *Claver.* partitis *MSS.* partite *Delr.* partitim *MS.* 34 diverſa *MSS.* collata *MSS.* 36 protendere *Vic. Vien. Baſ.* procedere *MSS.* procudere *conj. Heinſ.*

22 Ad *Hebram* Thraciæ bella cum Gothis & aliis Barbaris in quibus comitem Theodoſio Stilichonem fuiſſe, indicat. Et firmat antiquus titulus, Grut. 412, 3 CO MITI DIVI AUGUSTI IN OMNIBUS BELLIS ATQUE VICTORIIS.

23 *Proclivia ipſa* h. e. via valde declivis & præceps curribus difficilis non minus ac periculoſa eſt, quam ardua: quare in deſcenſu ſufflaminant rotas. Quo facilius videtur decurrere ſtadium declive laudum Stilichonis *curru Pierio*, a Muſis agitato, tanto etiam frequentior occaſio labendi.

29 *Publica & privata* accuſativi Græci, quantum ad publica etc. quod qui non obſervarent, poſuere *in publica*. Ceterum ita tractat hunc locum poëta ut videatur prae oculis habuiſſe ſimilem locum Plinii Pan. 4, 5 quicum olim & h. l. comparavimus & Iλ. N, 730.

36 De *patre* Stilichonis neſcio an quid præterea conſtet. Si quid ſuperſit, fugit illud certe heluonis talium notitiarum cupidiſſimi, Barthii, diligentiam, qui præclare obſervat, poſſe fieri, ut ſuperſit nomen viri & alia decora, ſed ſine mentione filii.

38 *Rutilantes crinibus alæ*: Germanici igitur vel Gothici generis.

Sufficeret natus Stilicho. mens ardua ſemper
A puero, teneriſque & jam fulgebat in annis
Fortunæ majoris honos. erectus & acer,
Nil breve moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fatiſque loqui jam digna futuris.
Jam tum conſpicuus, jam tum venerabilis, ibas:
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris,
Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis. Quacumque alte gradereris in urbe,
Cedentes ſpatiis aſſurgenteſque videbas,
Quamvis miles adhuc. taciti ſuffragia vulgi
Jam tibi detulerant quidquid mox debuit aula.
Vix primævus eras, paci cum mitteris auctor
Aſſyriæ. tanta fœdus cum gente ferire
Commiſſum juveni. Tigrin tranſgreſſus & altum
Euphraten, Babylona petis. Stupuere ſeveri
Parthorum proceres, & plebs pharetrata videndi
Flagravit ſtudio, defixæque hoſpite pulcro
Perſides arcanum ſuſpiravere calorem.
Thuris odoratæ cumulis & meſſe Sabæa

Pacem

39 Stilichon *MS.* 42 nil leve *conj. Heinſ.* 43 faſtiſque *vulg.* 46 fingent *MSS.* fingant *MS. probante Heinſ.* 50 reddidit *vulg.* detulit, præbuit, credidit *conj. Heinſ.* contulit *MS. ſed pulchre ex plurimis MSS. dedit* debuit. 55 Perſarum *MSS. Baſ. marg. permutatione ſolemni.* 58 odorati *Barth. non bene.*

42 *Breve* ſexcentis locis parvum eſſe, norunt qui attendere. Et in hac formula poteſt etiam reſpectum habere ad temporis brevitatem. Diu non durant, breui abolentur, facta ſplendide magis quam ſolida virtute. Sic *nihil molitur inepte* Homerus apud Horat. A. P. 140. *Limina potentiorum* vitat ille *Beatus* Horatii Epod. 2, 8.

51 *Pacis auctor*, Legatus cum auctoritate publica miſſus ab Imperatore, qui ipſo ſplendore & magnificentia fidem faceret mandatis.

53 *Tigrin* quomodo *transgreſſus* ſit, qui Conſtantinopoli profectus *Euphraten* & *Babylona* petiit, non liquet. Et tamen durum eſt ἀγεωγράφητον adeo, vel certe negligentem putare Poëtam doctiſſimum.

55 *Pharetrata plebs Parthorum:* ſagittarii enim ſunt omnes.

56 *Defixæ* quaſi magica arte, cujus hoc verbum proprium eſt.

58 *Sabæum* vocari quidquid ad Arabiam pertinet, vel ex Arabia eſt, notum. *Chaldæum* ritum & *Magos* recte jungi, Danielis Prophetæ hiſtoria docet.

Pacem conciliant aræ. penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldæo ſtravere Magi. Rex ipſe micantem
Inclinat dextra pateram, ſecretaque Beli,
Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.
Si quando ſociis tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longe virgatas figere tigres?
Flectenti faciles Medus tibi ceſſit habenas.
Torquebas refugum Parthis mirantibus arcum.
Nubilis interea maturæ virginis ætas
Urgebat patrias ſuſpenſo principe curas:
Quem ſimul imperioque ducem, natæque maritum
Proſpiceret, dubius toto quærebat ab axe
Dignum coniugio generum, thalamiſque Serenæ.

 Judicium

62 belli *vulg.* cœli *MSS. it. Vic.* Beli *felix conj. Scaligeri.* 63 mitram, mytram *al.* 66 virga transfigere *vulg. Heinſiana lectio eſt ex bonis libris.* 73 ſeverum *Cujac.*

59 De ignis apud Perſas cultu, omnia dedit Briſſo. de regio Perſar. princip. l. 2 pr. Abſtruſiora ex orientalibus ſcriptoribus protulit Tho. Hyde c. 8 it. c. 29. Ex h. l. apparet, igne ad ſacrificia uſos etiam Perſas eo tantum, qui e ſacro illo & perpetuo in Pyreis (πυρείοις ſ. templis igni dicatis) ſervato accenſus eſſet.

62 Verbis *Inclinat pateram* deſcribitur ille actus libandi, τῦ σπένδειν, unde σπονδὴ fedus, & ἄσπονδος hoſtis implacabilis &c. Belus numen Babyloniorum, qui iam pars regni Perſarum ſunt, ab his quoque cultus: quod apocrypha Danielis oſtendunt, quae eſſe Claudiano certe antiquiora ſatis conſtat.

63 *Mithram* Solem eſſe, ipſe poëta indicat. De hujus cultu idololatrico apud Græcos, civili tantum apud Perſas, vid. laudatus modo Hyde c. 4.

64 *Sociis venatibus*, una venando, ut *ſociis armis*, una pugnando.

66 *Virgatæ tigres* ſolemni prope epitheto dicuntur. Vid. Sen. Hippol. 344. Sil. 5, 148.

68 *Refugum arcum* dicit Hypallage quadam in fuga ſubito remiſſum. Vid. ad 8, 530 *Refugo quæ ſit fiducia Partho.*

70 *Patriæ curæ* ſunt ipſius Principis Theodoſii, qui fratris ſui Honorii Serenam filiam adoptarat: qui nunc *ſuſpenſus* h. e. incertus & animi pendens deliberat, quem ſumeret ſibi ex omni juventute, *toto ab axe* (vid. ad 15, 458.) generum, qui ſimul dux eſſe exercitus poſſet.

73 Non contemnenda videtur indicata ſupra lectio, *ſeverum.* His thalamis erat *ſeverum judicium virtutis.* Severo examine & judicio diſceptabatur, quis dignus eſſet his thalamis Serenæ.

Judicium virtutis erat. Per caſtra, per urbes,
Per populos, animi cunctantis libra cucurrit.
Tu legeris, tantoſque viros, quos obtulit orbis,
Intra conſilium vincis ſenſumque legentis,
Et gener Auguſtis, olim ſocer ipſe futurus,
Accedis. Radiis auri Tyriaque ſuperbit
Majeſtate torus. Comitata parentibus exit
Purpureis virgo. ſtabat pater inde tropæis
Inclitus: inde pium matris Regina regebat
Obſequium, gravibus ſubnectens flammea gemmis.
Tunc & Solis equos, tunc exſultaſſe choreis
Aſtra ferunt, melliſque lacus, & flumina lactis
Erupiſſe ſolo, cum floribus æquora vernis
Boſporus indueret, roſeiſque evicta coronis
Certantes Aſiæ tedas Europa levaret.

Felix

82 gerebat *vulg.* reg. *ex MSS. Heinſ.* 87 inducta *Cuj. f.* induta.

75 *Animi cunctantis libra* maturum judicium & minime præceps ſignificat: quæ tamen *cucurriſſe* dicitur per populos, quia multi ſunt, quia diſſiti. *Tantos* hic non modo *tot* ſignificat, ſed retinet proprietatem, quaſi diceret tot ac tantos, qui omnes *intra conſilium & ſenſus legentis* ſibi generum Theodoſii fuerunt, de quibus omnibus ivit in conſilium, de neminis non virtute ac meritis deliberauit.

78 *Auguſtis* amplificandi cauſa per Synecdochen ſolemnem dicit poëta, quatenus faſtigio Auguſtorum admoveri videtur, qui Auguſtum ſocerum habet: nam communicatum Theodoſio cum Honorio fratre imperium, nolim hariolari. Quid ſi *Auguſti* ſunt Theodoſius & vxor? Hoc fere magis placet, cum ſtatim memoretur *regina*, quæ *pium matris obſequium regebat.*

81 *Purpurei parentes* ſunt Theodoſius Auguſtus, cum Aelia Flaccilla Auguſta. *Pater tropæis inclitus* eſt ipſe Theodoſius, qui Serenam ſponſam *defuncto* demum *genitore* (vid. 29, 140) *adoptarat.*

82 *Obſequium* hic propter verbum *regebat* videtur perſonas plures comprehendere, quæ in nuptiarum illo officio vel obſequio juvarent *Reginam*, matris naturalis vices hic in adoptiva filia ſuſtinentem, ut *miniſterium*, *officium* & ſimilia. Hoc non obſeruatum deſcriptoribus fecit, ut pro *regebat* ſubſtituerent *gerebat*, quod ſimplicius eſt.

83 *Flammeum* hic intelligimus palliolum (capitis tegumentum hoc eſſe recordemur) infra mentum fibula gemmea connexum.

85 Aurei ſæculi imago quam ex libris noſtris hauſiſſe videntur Sibyllæ veteres & poëtæ, quo *Flumina jam lætis*, *jam flumina nectaris ibant* etc. Ovid. Met. 1, 111. Qui plura deſiderat, adeat La Cerdam ad eclogam quartam Virgilii.

88 *Europa* perſona eſt, matris officium & ipſa ſibi vindicans geſtanda

Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo
Judicat, & primus cenſet quod cernimus omnes.
Talem quippe virum natæque adjunxit & aulæ,
Cui neque luxuries bello, nec blanda periclis
Otia, nec lucis fructus pretioſior umquam
Laude fuit. quis enim Myſos in plauſtra feroces
Reppulit, aut ſæva Promoti cæde tumentes
Baſtarnas una potuit delere ruina?
Pallantis jugulum Turno moriente piavit
Aeneas, tractusque rotis ultricibus Hector

Irato

90 fenſit *vulg.* cenſet *Baſ.* & *MSS.* 91 natis adj. *vulg.* 94 Viſos *MSS. quod comparat cum* Viſigothis *Heinſ.* Niſos *it.* Miſſos *MSS. al.* 95 Proponti *vulg. ante Claver.* 97 tumulum *MS.*

ſtanda tæda nuptiali, vid. 7, 155; eaque in re cum Aſia certat. Subiit hic tanto facilius hæc imago animum poëtæ, quod nuptiæ celebrantur Conſtantinopoli in ea regione, quæ primum & proprie Europa dicta eſt, qua vicina eſt Aſiæ, & ſolo Boſporo ab ea diremta. Vid. Sext. Ruf. c. 9 & ibi Cellarius. Nam in magno opere Notitiæ Orbis antiqui omiſit.

90 *Cernimus* hic eam vim habet quam decernimus, de qua copioſe Heinſ. ad Aen. 12, 709 neque hoc loco omiſſo.

94 *Myſos* (h. e. Mœſos Danubio vicinos, ne quis de Aſiaticis cogitet) vix huc convenire ait Claverius, qui ſemper Orientis Imperio ſubjecti & a Getis eo nomine male vexati ſint. Itaque ſuſpicatur Heinſius forte *Viſos* poſſe vel *Veſos* hic locum habere, populum qui & *Viſigothis* nomen dederit. Et ſunt ſane *Veſi* inter barbaras ad ſeptentrionem gentes, quas enarrat Sidonius Paneg. Majoriani ſ. 5, 482 (al. 476). Sunt enim ibi *Baſterna*, *Suevus*, *Pannonius*, *Neurus*, *Chunus*, *Geta*, *Dacus*, *Alanus*, *Bellonothus*, *Rugus*, *Burgundio*, *Veſus* etc. Verum de nomine *Viſigothorum* aliter alii: & Myſorum nomen ſ. Mœſorum ita late patuit (vid. Dio l. 51 extr. Tzetz. Chil. 11, 893 ſ. hiſt. 396 ubi longa eſt Myſorum enumeratio) ut facile ſit, in rebus illorum aliquid nos fugere vel fallere.

95 *Promotus* in nobiliſſimis Theodoſii ducibus fuit, Ruffini ſcelere ab immiſſis illi barbaris interfectus, de quo Zoſim. 4, 51.

97 *Jugulum Pallantis* videtur poſitum a poëta pro jugulatione ſ. interfectione. *Clipeum* & *Pectus* Pallantis transverberaverat Turnus Aen. 10, 484. Itaque de jugulo proprie dicto non videtur loqui poeta, qui Virgilium auctorem ſecutus eſt haud dubie. Neque Aen. 12 extr. eſt aliquid quod ad ipſum Pallantis jugulum videatur reſpectum habere.

98 Hectoris a ſe interfecti corpus curru raptavit quotidie circa Patrocli ſui monumentum Achilles, hæc *ira*: donec illud pretio Priamus pater redimeret, qui *quæſtus* fuit. Argumentum hoc vltimae Iliados. Sævitiam ergo & avaritiam exprobrat poëta Achilli. Non ita amicum ſuum Promotum Stilicho, ut Achilles ſuum Patroclum ultus eſt, ſed bello perſecutus Barbaros,

Irato vindiſta fuit vel quæſtus Achilli.
Tu neque veſano raptas venalia curru
Funera, nec vanam corpus meditatus in unum
Sævitiam, turmas equitum peditumque catervas,
Hoſtileſque globos tumulo proſternis amici.
Inferiis gens tota datur. Nec Mulciber auctor
Mendacis clipei, fabricataque vatibus arma,
Conatus juvere tuos. tot barbara ſolus
Millia jam pridem miſeram vaſtantia Thracen
Finibus exiguæ vallis concluſa tenebas.
Non te terriſonus ſtridor venientis Alani,
Nec vaga Chunorum feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto.
Exſtinctique forent penitus, ni more maligno
Falleret Auguſtas occultus proditor aures,
Obſtrueretque moras, ſtrictumque reconderet enſem,
Solveret obſeſſos, præberet fœdera captis.
  Aſſiduus caſtris aderat, rariſſimus urbi,
Si quando trepida princeps pietate vocaret:
Vixque ſalutatis Laribus, vix conjuge viſa,
Deterſo nec dum repetebat ſanguine campum.
Nec ſtetit, Eucherii dum carperet oſcula ſaltem

Per

109 ferriſonus *conj. Heinſ. ut* æriſonus. 110 Hunnorum *vulg. ante Claver.*

baros, magnam eorum multitudinem interfecit. Has poëta *inferias* vocat.

104 *Mulciber* ſ. Vulcanus auctor *mendacis* h. e. poëtici *clipei* quo Homericum Achillem *ιλ.* Σ, ſua mater Thetis, quo Aeneam Virgilianum l. 8 Venus armat. Addi poteſt ille Annibalis apud Silium 2.

110 De *Chunis* vid. 20, 337. Reliquorum etiam populorum nomina alias declarata.

113 *Occultus proditor* Rufinus eſt. Conf. 3, 380 [ubi *impius ille Proditor imperii coniuratusque Getarum* vocatur. *Falleret* & reliqua imperfecta pro plusquamperfectis poſita, ipſe ſibi in proſa quoque Tullius ſæpe indulſit.

117 *Trepida pietas* Imperatoris Theodoſii, quæ metueret liberis ſuis, nonnunquam in urbem vocavit Stilichonem, ut tueretur Arcadium & Honorium, pueros.

120 *Eucherius* Stilichonis filius, cui poſtea dum parare imperium cum perfidia in Honorium concitatis barbaris ſtudet, in ipſo conatu

Per galeam. patris ſtimulos igneſque mariti
Vincit cura ducis. Quoties ſub pellibus egit
Edonas hiemes, & tardi flabra Bootæ
Sub dio Rhipæa tulit! cumque igne propinquo
Frigora vix ferrent alii, tunc triſte rigentem
Danubium calcabat eques, nivibuſque profundum
Scandebat criſtatus Athon, lateque coruſco
Curvatas glacie ſilvas umbone ruebat.
Nunc prope Cimmerii tendebat litora Ponti:
Nunc dabat hibernum Rhodope nimboſa cubile.
Vos Hæmi gelidæ valles, quas ſæpe cruentis
Stragibus æquavit Stilicho, vos Thracia teſtor
Flumina, quæ largo mutaſtis ſanguine fluctus.
Dicite Biſaltæ, vel qui Pangæa juvencis
Scinditis, offenſo quantæ ſub vomere putres
Diſſiliant glebis galeæ, vel qualia raſtris
Oſſa peremtorum reſonent immania Regum.

Singula

121 ignemque *MSS.* patrios ſtimulos ignemque maritum, *vel* igniſque mariti *conj. Heinſ.* 123 Sithonias hiemes *MS.* 124 ſub divo *MS. Vic. Vien.* 125 iſte rig. *vulg.* igne *MSS.* teſte *MS.* Iſter agentem *MS.* triſte rig. *poſt Claver. e MS. Heinſ.* 135 quantis *malit Heinſ.* quanto *MS. Vic. Vien. pro* putres, ruptis *Barth. ex MS.*

natu oppreſſus eſt. Sic certe eſt in legibus, quas ad principium hujus carminis citavimus.

121 *Per galeam.* Magna feſtinatio, quae ne galeam quidem oſculi arectioris cauſa deponere permitteret. *Patris*, *mariti*, *ducis*, perſonæ in uno homine diverſæ.

123 De *Edonis* Thraciæ populis congeſſit multa Barthius ad Statii Theb. 5, 78 *Edonas hiemes.*

127 *Criſtatus* eſt galeatus. *Ruebat* tranſitive hic ponitur: *glacie* h. e. nive concreta onerati rami curvantur adeo, ut clipei protento umbone dimovendi ſint & decutiendi.

132 *Valles æquare* ſtragibus immani hyperbola dictum eſt, i. e. explere adeo, ut montes ad unam planiciem jungantur.

134 *Biſaltæ* Macedonica vel Thracica gens, etiam Virgilio nota Ge. 3, 461. Ad *Pangæa* intelliguntur arva. Conf. 3, 334.

135 *Quantæ* etiam hic ſunt *quot*: *putres* galeæ fragiles, friabiles quia ab ærugine eroſæ.

137 Non abſurdum puto *reſonare* ibi adhuc *oſſa*, ubi jam *putres* ſunt *galeæ*. Solet brevi tempore a ſalſis præſertim humoribus erodi æs & ferrum, ubi oſſa, robuſtorum in primis hominum, & in ſole, pulvere, frigore durata adhuc ſolida ſunt. In epitheto *immania* etiam hyberbole videtur, & quod *regum* dicit oſſa exarari: vnde enim dignoſcuntur? Sed nempe, quia promiſcue iacuerunt, diſcerni non poſſunt: neſcias utrum hæc calvaria diadema habuerit.

Singula complecti cuperem: ſed denſior inſtat
Geſtorum ſeries, laudumque ſequentibus undis
Obruimur. Genitor cæſi poſt bella tyranni
Jam tibi commiſſis conſcenderat æthera terris.
Ancipites rerum ruituro culmine lapſus
Aequali cervice ſubis. ſic Hercule quondam
Suſtentante polum, melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit ſignifer aſtris,
Perpetuaque ſenex ſubductus mole parumper
Obſtupuit proprii ſpectator ponderis Atlas.
Nulli barbariæ motus, nil turbida rupto
Ordine tentavit novitas, tantoque remoto
Principe mutatas orbis non ſenſit habenas.
Nil inter geminas acies, ceu libera frenis,
Auſa manus certe. nec tantis diſſona linguis

Turba

148 nil ibi *vulg. ſed* nulli *jam Vic. Vien. Heinſ.* rapto *al. etiam Heinſ. 1: ſed* rupto *jam primæ editt.* 151 freni *conj. Heinſ.* 152 ſignis *MS. Guelf.*

139 Pulchra phantaſia: undam vix ſurgentem mox inſequens ſuperveniensque alia non impellere modo ac trudere, videtur, ſed etiam plane obruere, vt nullum ejus ſuperſit veſtigium.

140 *Genitor* Auguſtorum, ſ. publicus pater, Theodoſius, poſt victum Eugenium tyrannum, ab Arbogaſte ſubornatum, moriens, tutelam filiorum mandauit Stilichoni. Vid. 7, 151 & quæ ibi præcedunt.

142 *Culmen rerum* eſt ipſum ſummum imperium: hoc ruiturum erat per incertos ac dubios eventus: ſed ſubiit excepitque Stilichon illos lapſus ac motus *æquali cervice*, h. e. viribus tantæ moli paribus.

143 Magnifica ſane comparatio. Fabulæ interpretationem habet Diod. Sic. 4, 27 extr. Breviter Atlas aſtrologus ſphæram ſiderum habuit, certe ſphæricam rationem primus invenit, eamque ſcientiam communicavit cum Hercule, a quo ea Græciæ impertita eſt.

145 *Signiferi* ſ. Zodiaci mentio eo aptior huic loco eſt, quod primus ad aſtrologiam gradus fuit inventa obliquitas & inclinatio illius ad Aequatorem.

147 In humeris Herculis cum ſederet Cælum admirabundus intellexit Atlas, quantum id eſſet onus, quod ipſe ſuſtinere aſſuetus eſſet.

149 *Novitas* hic pro ſtudio novarum rerum ponitur, ſ. pro conſiliis mutandae rei publicæ.

151 *Geminas acies* intelligo exercitus hinc Orientalis imperii hinc Occidentalis.

152 *Linguis diſſona turba* non eſt ſolicitanda: ubi enim magis quam in linguis ſentitur iſta populorum diverſitas? Interea tamen nec illud *ſignis* contemſerim ſimpliciter: nam in his quoque multum inter ſe differre milites videmus, ſive oculis ea proponantur, ut teſſeræ manipuli, aquilæ, dracones, ſagula: ſive *auribus*, ea nempe, quæ vocalia dicuntur, claſſicum tuba datum, voces quædam.

Turba, nec armorum cultu diverſior umquam
Confluxit populus. Totam pater undique ſecum
Moverat Auroram. miſtis hic Colchus Iberis,
Hic mitra velatus Arabs, hic crine decoro
Armenius, hic picta Saces, fucataque Medus,
Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus.
Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
Oceani. Ductor Stilicho tot gentibus unus,
Quot vel progrediens vel conſpicit occiduus Sol.
  In quo tam vario vocum generumque tumultu
Tanta quies, juriſque metus ſervator honeſti
Te moderante fuit, nullis ut vinea furtis,
Vel ſeges exſecta fraudarit meſſe colonum:
Ut nihil aut ſævum rabies, aut turpe libido
Suaderent: placidi ſervirent legibus enſes.

Scilicet

156 decorus *MSS.* cum crine decoris Armeniis *MSS. quod placet Heinſ.* 157 picta Aſaras *MS. Guelf.* Sages *Vien.* phucataque *Vic.* 159 Alanus. Oceani ductor *MSS. & Heinſ.* 1: *qui reduxit ipſe vulgatam.* 161 quas *it.* quos *al.* quot *etiam Baſ. marg.* 165 ut ſeges erepta *vulg.* aut *Raphel. ex MSS. Heinſ. ut* 22, 197. 167 ſuaderet *vulg.*

155 *Iberos* hic illos Aſiaticos intelligendos, ipſa *Auroræ* mentio & *Colchus* oſtendunt.

156 *Mitra* muliebre capitis ornamentum: mollitiei ſic accuſantur Arabes, vt Phryges Trojani apud Virg. Aen. 9, 616 *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. Crine decori* qui videri vellent, eosque ſtruerent, vno digito ſcalperent, et ipſi male audiebant Romanis.

157 *Picta* acu, coloribus certe diverſis diſtincta: *fucata* tincta vno colore. *Saces* iidem videntur qui *Sacæ*, populus Orientis, cujus etiam in Alexandri rebus mentio ſolet fieri. Gemmarum velut patriam eſſe Indiam, Orientalium populorum tentoria ſplendide coli, conſtat.

158 *Niger* hic etiam *Indus* noſtro eſt ut 1, 170.

159 *Rhodani procera cohors* Galli; quorum procera corpora Italicis comparata, & Græcis, etiam alii laudant. *Alumni Oceani*, inſulani, ut Britanni, litorum certe accolæ. Sic 12, 34 *Oceanus procreator* Theodoſii vocatur.

162 *Tumultum* vocat confuſam multitudinem, multitudinem certe diſcordantium lingua & habitu hominum.

165 *Erepta meſſe* mihi magis placet, quam *exſecta*, quia latius patet. *Eripitur* enim etiam cum incenditur, conculcatur, depaſcitur.

167 *Suaderent* hic poſitum pro perſuaderent, ſed cum vehementia. Tantus legum ac diſciplinæ metus erat, ut ne in mentem quidem veniret peccare militibus.

Digitized by Google

Scilicet in vulgus manant exempla regentum:
Utque ducum lituos, ſic mores, caſtra ſequuntur.
Denique victrices aquilas quocumque moveres,
Arebant tantis epoti millibus amnes.
Illyricum peteres, campi monteſque latebant.
Vexillum navale dares, ſub puppibus ibat
Ionium. nullis ſuccincta Ceraunia nimbis,
Nec juga Leucatæ feriens ſpumantia fluctu
Deterrebat hiems. Tu ſi glaciale juberes
Veſtigare fretum, ſecuro milite ducti
Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi.
Si deſerta Noti, fontem ſi quærere Nili,
Aethiopum medios penetraſſent vela vapores.
Te memor Eurotas, te ruſtica Muſa Lycæi,
Te paſtorali modulantur Mænala cantu,

Parthe-

170 felices *vulg.* victrices *Heinſ. e 2 MSS.*

172 *Latebant*, tegebantur, & ſic velut occultabantur campi: ſic intelligendum quod ſequitur, *ſub puppibus ibat Jonium.*

174 Illud *ſuccincta* pulchre altitudinem Cerauniorum ſ. Acroceranuniorum Epiri montium notat, cum non verticem ne humeros quidem & juga inſideant nubes, ſed cingant medios, hoc enim eſt *ſuccingere*. Sic *monſtris ſuccincta Scylla* Virg. Ecl. 6, 75. Nomen *nullis* non negat nimbos Cerauniis, ſed hoc indicat, non deterrent Ceraunia ullis nimbis, quanticunque nimbi ſint qui obſidant Ceraunia, iis non deterretur claſſis Stilichonis. Nemo hæreret, ſi dictum eſſet, *nulli nimbi deterrent.*

175 *Leucatæ* promuntorium quod Leucadiam finit, olim peninſulam Acarnaniæ adhærentem, poſt perfoſſo Iſthmo inſulam factam, hic merito Acrocerauniis montibus ſubiicit propter viciniam.

176 Antiquum ergo ſtudium fuit mare illud ad ſeptentriones *glaciale* propius noſſe, quod idem Κρόνιον vocabant hoc eſt *Saturnium*, & *ſtagna*, quod a frigore pigrum eſſet. Noſtra & patrum ætate quantis illud conatibus actum ſit, vel totis libris docemur, cum quærerent ibi homines fretum, quo tranſiretur in Americam. Illud *ſecuro milite* pulchre indicat amorem militum in Stilichonem, fiduciam in illius virtute ac fortuna collocatam.

179 *Fontem Nili quærere* ipſum quoque magnum olim Problema fuit, ſolutum hodie, ſi recentibus itinerariis libris tabuliſque credimus. *Vela* opus fuere adverſo præſertim flumine navigantibus.

181 *Eurotas* Laconiam ſignat, *Lycæum* nemus Arcadiam: *ruſtica Muſa*, agreſtis Panis & Faunorum cantus, per *Mænala* montana ſonans: ibidem *Parthenium nemus*,

&

Partheniumque nemus, quod te pugnante reſurgens
Aegra caput mediis erexit Græcia flammis.
Plurima Parrhaſius tunc inter corpora Ladon
Hæſit: & Alpheus Geticis anguſtus acervis
Tardior ad Siculos etiam num pergit amores.
Miramur rabidis hoſtem ſuccumbere bellis,
Cum ſolo terrore ruant? num claſſica Francis
Intulimus? jacuere tamen. num Marte Suëvos
Contudimus, queis jura damus? quis credere poſſit?
Ante tubam nobis audax Germania ſervit.
Cedant, Druſe, tui, cedant, Trajane, labores.

Veſtra

183 quo *Heinſ.* quod *vulg.* 184 campis *Vic. Vien. Plant. Vid. Heinſ. ad Virg. Aen.* 1, 97 *ubi in ſimili varietate* campis *præfert.* 188 rapidis *al.* 189 ruat *malit Heinſ.* non *al.* num *MSS.* 190 latuere *MS. Guelf.*

& *Parrhaſie* oppidum, a quo *Parrhaſia* dicuntur omnia Arcadica, ut hic *Ladon* fluvius. Videtur in hac quaſi patria poëtarum, aut, ſi malumus, diverſorio, adhæſiſſe Claudianus, & ab his nominibus ſplendorem carmini ſuo petiſſe. Ceterum Græciam, nominatim Peloponneſum, a barbaris Getis quos duce Alaricho Rufinus immiſerat, & a Stilichone per vices vaſtatam, narrat Zoſimus 5, 6 & 7.

183 *Quod* hic cauſam indicat: eo te nomine, Stilicho, memorant, Pan, & agreſtes illæ Muſæ Arcadicæ, *quod te pugnante Græcia caput erexit*, *e mediis flammis* incendiorum bellicorum.

185 Tot cæſorum barbarorum corpora Ladonem fl. implent, ut inter ea *hærere* ac ſtagnare cogatur.

186 Nota eſt de *Alpheo* Elidis flumine fabula, illum *Occultas egiſſe vias ſubter mare*, ut eſt Aen. 3, 694 & per Arethuſam fontem Syracuſarum reddi, in quem mutatam fingunt nympham Arethuſam, quam ita perſecutus ſit amator Alpheus. Narrat ipſa fabulam Arethuſa apud Ovid. Met. 5, 577. Hic igitur Alpheus impletur barbarorum cadaveribus, & inde redditur anguſtior. Hactenus bene. Sed an bene etiam, quod inde *tardior venit*? Arctato alveo celerius eunt aquæ. Qui tueri velit poëtam, dicet forte, exprimi etiam ab iniectis cadaveribus ad latus aquas, inhiberi curſum rectum, e. i. g. a. Et tamen metuo ne dicat acrior aliquis, hoc ſi voluit Claudianus, diceret *Geticis* non *anguſtus*, ſed *diſperſus*, *diſtractus*, *remoratus*, *acervis Tardior &c.*

189 *Solo terrore ruentium* i. cadentium, cedentium certe hoſtium pulchra imago eſt 26, 366.

192 *Audax* alias *Germania*, nunc ante *tubam* auditam & claſſicum ſe ſubjicit.

193 Neque hic modum tenet ingenii poëta. Quanto pertinacius reſiſtit hoſtis, tanto luculentior eſt victoria. Sine dubio pluris fecit Cæſar in ſuis rebus Dyrrhachina pericula, quam illam de Pharnace victoriam, qua venerat, viderat, vicerat. Gloriari poteras, Claudiane, & famam Stilichonis tui prædicare, ſine Druſi &

X Trajani

Veſtra manus dubio quidquid diſcrimine geſſit,
Tranſcurrens egit Stilicho, totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuiſtis in annis.
Quem ferro, alloquiis, quem vos cum milite, ſolus
Impiger a primo deſcendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, & juncta paludibus ora,
Fulmineum perſtrinxit iter. ducis impetus undas
Vincebat celeres, & pax a fonte profecta
Cum Rheni creſcebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice Reges,
Qui nec principibus, donis precibuſve vocati,
Paruerant, juſſi properant, ſegnique verentur
Offendiſſe mora. transvecti lintribus amnem

Occur-

199 vincta *MS. Guelf.* 200 flumineum *Baſ. marg. & Plant. marg. ſed* fulmineum *etiam Vic. Vien. Clav. rell.* præſtrinxit *ex 2 MSS. Heinſ.* 201 fronte *MS. Guelf.* 205 paruerint *MSS.* paruerunt *conj. Heinſ.*

Trajani injuria. Eadem dixit, ſed moderatius minusque invidioſe 8, 455 ſqq.

199 *Bifidos* Rheno *tractus* tribuit, ut 26, 336 *bifidum meatum*, ex antiqua & Virgiliana ratione, cui eſt Aen. 8, 727 *Rhenus bicornis*. Poſt mutata res eſt Druſi præſertim opera. Multi ſunt in hac re Geographi, præſertim Belgæ: nobis & Claudiano ſufficit Cellariana diligentia Not. Orb. ant. 2, 3. 3 p. 205 ſqq. Addamus modo locum Zoſimi, quem damus mox ad v. 220. *Juncta paludibus ora*, a qua lectione non multum abit altera *vincta*, poteſt declarari verbis Melæ 3, 2 de dextra parte Rheni, *ripis longe & late recedentibus, jam non amnis, ſed ingens lacus* etc.

200 *Fulmineum* fortius certe eſt ad celeritatem notandam, qua dum *perſtringit iter*. i. celeriter peragit, ipſum rapidum Rheni curſum praevertit. Cui *flumineum iter* magis placet, ille forte *præſtrinxit* etiam malet, ut ſenſus ſit, celeriter præter ripas Rheni ductum exercitum. Præſtringunt enim, quæ celeri motu prætervehentia, lenius vehementiusve tangunt.

201 *Pax* & tranquillitas adventu Stilichonis, fugatis hoſtibus *a fonte* Rheni & Alpibus *profecta*, *creſcebat* ea velut proportione, qua aquæ Rheni, quæ vt alia flumina, receptis ſubinde minoribus augentur.

203 *Crinigerum* f. comatum eſſe inter inſignia Francorum regum erat, qui *tondebantur*, ut faſtigio illos ſuo decidiſſe indicaretur. Quem morem jam Claudiani ævo & ante Pharamundum obtinuiſſe hoc loco docemur *Flaventes*, rutilive crines Germanicarum gentium proprii.

206 *Transvecti lintribus* quod veniunt, hoc ipſo profitentur obſequium. Non eſt ponte junctus, non navibus Romanorum, Rhenus: tamen metu juſſa faciunt.

Occurſant vbicumque velis. Nec fama feſellit
Juſtitiæ. videre pium, videre fidelem,
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
Illi terribiles, quibus otia vendere ſemper
Mos erat; & fœda requiem mercede paciſci;
Natis obſidibus pacem tam ſupplice vultu
Captivoque rogant, quam ſi poſt terga revincti
Tarpeias preſſis ſubeant cervicibus arces.
Omne, quod Oceanum fonteſque interjacet Iſtri,
Vnius incurſu tremuit. ſine cæde ſubactus
Servitio Boreas, exarmatique Triones.
Tempore tam parvo tot prælia ſanguine nullo
Perficis, & Luna nuper naſcente profectus,

X 2 Ante

215 fontemque *vulg.* 217 ſervit io *Heinſ.* 2 *ex MS.* 219 conficis *MS.*

209 *Veniens timuit*: ideo enim venit, quod timeret.

210 *Otia*, pacem, vel jnducias potius *vendere* ſolebant barbari illi ad Rhenum populi, ut hodie faciunt piraticæ res publicæ Alegerienſium, Tunetanorum, Tripolitanorum

212 *Natos ſuos*, ſ. liberos utriusque ſexus dant *obſides*, fidei ſuæ pignora, & ſic pacem rogant, *vultu captivo*, qualis eſt captivorum, humilis atque obnoxius.

214 *Preſſas cervices* non interpretor de oneribus quæ ferre cogantur captivi; ſed de illo naturali triſtium geſtu, depreſſo capite, dejectis oculis, inflexa cervice incedentium.

215 *Oceanum* intelligi Germanicum, oſtendunt quæ ſequuntur: ne quis immanem tractum a fontibus Iſtri ad Atlanticum mare cogitet.

217 *Servit io! Boreas* mihi placeret, ſi ſcripta hæc eſſent recentibus rebus, ubi triumphantis voci & affectui locus eſſet. *Boream* & *Triones* oportet cum relatione ad Italiam intelligere, cui Germania omnis ſeptentrionalis eſt. Audacter *Triones* nominat, ſidus, quod urſam fere vocamus hodie, pro populis verſus ſeptentrionem habitantibus.

218 Etiam hoc neſcio an nimium ſit audax & repugnans adeo, quod *prælia ſine ſanguine* dicit *perfecta*, quod *infracta minaci Rheno cornua*, ubi ne ullam quidem contentionem interceſſiſſe, ipſe modo poſuerat. Deinde etiamſi illud *profectus* accipiamus de initio expeditionis a Rheni fontibus & Danubii de quo v. 198 & 215, & *reditum* putemus ab oſtis Rheni h. e. a fine expeditionis, & Oceano Germanico: tamen dies XIV vel XV nimis anguſtum intervallum temporis eſt ad percurrendum cum expeditiſſima etiam manu illum tractum, qui CXV Germanica milliaria æſtimatione mediocri habet. Cedent uni diei milliaria X. Et quando allocutus eſt legatos? quando conventus habuit? Mentiri liceat poëtis: ſed non, cum hiſtoriam ſe dicunt narrare, cum de numeris & menſuris ſermo eſt. Moderatius probabiliusque hanc ipſam expeditionem deſcripſit 8, 440.

Ante redis, quam plena fuit; Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeo miteſcere cogis,
Vt Salius jam rura colat, flexoſque Sicambri
In falcem curvent gladios, geminaſque viator
Cum videat ripas, quæ ſit Romana requirat.
Vt jam trans fluvium non indignante Caüco
Paſcat Belga pecus, mediumque ingreſſa per Albin
Gallica

222 Sycambrus, Sigambrus *al.* *conj. Heinſ.* 223 cuneent *MS.* cudant *vel* lunent 225 Cherucho, Caucho, Chauco *al.* Cayco *vulg.*

220 Quam pulchra ſit illa *infractorum cornuum* phantaſia, intelliget, qui recordabitur, *cornua* tribui fluminibus, nominatim *Rhenum bicornem* dictum Virgilio, de quo ad v. 199. Sic noſter 26, 603 *Cornua fregimus Iſtri*.

222 De reliquis, qui hic memorantur populis alias dictum, præſertim ad 8, 440 it. 18, 379 ſqq. *Salios*, quorum nomen alias in hoc poëta non habetur, dicere videtur *Francos eos, quos* apud Ammia. 17, 8 *conſuetudo Salios appellavit, auſos olim Romano ſolo apud Toxiandriam locum habitacula ſibi figere*. Non ferunt noſtræ rationes in diſputationem de his Saliis Francorum parte, eorumque ſedibus ad Toxandriam deſcendere. Sed non poſſum tamen facere quin ponam hic locum Zoſimi a Cellario Not. O. A. 2, 3. 13 §. 176 (& in Ruinarri annalibus regni Franc.) omiſſum, qui 3, 6 de Saxonibus quibusdam, Τῇ Βαταβίᾳ προσχόντες, inquir, ἣν δίχα σχιζόμενος ὁ Ῥῆνος νῆσον ποιεῖ, πάσης ποταμίας μείζονα νήσου, τὸ Σαλίων ἔθνος, Φράγκων ἀπόμοιρον, ἐκ τῆς ἰδίας χώρας ὑπὸ Σαξόνων εἰς ταύτην τὴν νῆσον ἀπελαθέντας, ἐξέβαλον. αὕτη δὲ ἡ νῆσος οὖσα πρότερον πᾶσα Ῥωμαίων, τότε ὑπὸ Σαλίων κατείχετο Habemus hic inſulam omnium fluminearum maximam, Bataviam, quam facit Rhenus *bifidus*: (vid. dicta ad v. 199) in hanc, cum prius tota Romanorum eſſet, ſua regione pulſi a Saxonibus Salii (Francorum ea pars fuit) conceſſerant: hanc tenebant, cum Conſtantio imperante, appellerent Saxones, hinc etiam illos ejecturi etc.

223 Aeque culta, æque humanis incolis habitata ripa Rheni vtraque, vt demum requirendo intelligas, non amplius ipſo judicare aſpectu poſſis, utra Romana ſit, utra barbara.

226 Francos ad Albim & maritimos, hinc etiam diſcimus: *Gallica armenta* paſcendi cauſa *Albim* tranſire, *Francorum montes pererrare*, profundæ pacis & federis inter populos indicium eſſet. Sed hic quoque plus indulget ingenio poëta, niſi fallor, quam patitur veritas. Nempe ipſa hæc luxuria ingenii a Germanico mari in Hercyniam illum rapit ſilvam, cujus nulla pars ad maris huius viciniam pertinuit. Sed nec invidebimus lectoribus noſtris animadverſionem ad h. l. Martini Bouquet V. C. Scriptt. Franc. T. 1 p. 771 (a) „Incredibile putat Had. Valeſius, pecora Belgarum trans Albim propulſa in pabulum: hinc pro *Albim* legit *alveum*, Rhenumque intelligit. Legendum potius *Albam*, qui eſt fluviolus *Albe* vel *Alve* nuncupatus Arduennenſibus, in Urtam influens; hosque Francos, quorum montes armenta Gallica pererrabant, Cattos eſſe, a Romanis olim in Tungrenſe territorium deductos, cenſet doctiſſimus

Digitized by Google

Gallica Francorum montes armenta pererrent:
Ut procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſilvæ
Venari tuto liceat, lucoſque vetuſta
Religione truces, & robora Numinis inſtar
Barbarici noſtræ feriant impune bipennes.
Ultro quin etiam devota mente tuentur,
Victorique favent. Quoties ſociare catervas
Oravit, jungique tuis Alamania ſignis!
Nec doluit contemta tamen, ſpretoque receſſit
Auxilio laudata fides. Provincia miſſos
Expellet citius faſces, quam Francia Reges,

236 miſſos *jam Vic.* Myſos *Vien.* miſſos Exp. cit. faſces *jam Vien. marg. tum Baſ. & rell. niſi quod pro* faſces *habent* fallax q. Fr. *Plant. Barth.*

ctiſſimus Abbas Dubos in hiſt. Crit. Monarchiæ Franciccæ l. 1 c. 17.„

230 *Truces* pulchra metaphora i. horrendos, metuendos. *Numinis* inſtar cultas eſſe ab antiquis Germanis arbores, notum eſt. Ex medii adhuc ævi hiſtoria hunc ipſum poëtae locum illuſtrat Hachenberg. Germ. med. Diſſ. 8, 24 p. 279 ſq. Vocabantur hæ arbores *ſacrivæ*. Vid. Jac. Gothofr. ad C. Theod. de Paganis, ſacriff. t. 6 p. 312, b. Peculiariter Alemanis hoc tribuit, & in eo a Francis illos diſtinguit Agathias l. 1 p. 13 pr. δένδρα τινὰ ἱλάσκοντες κ. τ. λ.

235 *Contemta & ſpreto - auxilio*, non referuntur ad contumeliam: nam ſtatim additur *laudata fides*. *Contemnere*, *ſpernere* in tali re ſimpliciter eſt non accipere, vel non putare ſibi neceſſarium etc.

236 Comparat fidem Francorum, recens adjunctorum imperio Stilichonis opera, cum fide antiquarum provinciarum. Facilius, ait, fieri poſſe ut antiqua & firma provincia P. R. deficiat, *miſſos* ſibi Roma *faſces* cum ipſis magiſtratibus vel præfectis expellat, quam vt *Francia*, ad illum diem barbara & infeſta Romano imperio, *reges* a te, Stilicho, datos recuſet. Altera lectio nomen *Miſſos* ſumit ſubſtantive, quæ ratio Carolidarum ævo demum orta videtur. Illud *fallax* eo facilius placere potuit Barthio, quod conveniret, cum loco illo communi, quem ponam e Salviano de gub. Dei 4 p. 123 *Si pejeret Francus quid novi faciet, qui perjurium ipſum ſermonis genus putet eſſe, non criminis*. Plura dedit ad h. l. Rittersh. Sed plane non voluit hic perfidiam gentis accuſare poëta: qui hoc ipſum negat, fallacem eſſe in Romanos Franciam; etiam ſi forte ſcripſiſſet *fallax*. Nam hoc diceret, facilius Provincia Populi R. quæcunque *miſſos* i. magiſtratus Romanos expellet, quam *fallax* ſit *Francia*, & expellat *Reges*, *quos* tu, Stilicho, illi *dederis*. Addamus & hoc poſt Heinſium, ultimam in verbo *dederis* produci *etiam* exemplo optimorum, id quod firmavit idem ad Ovid. Heroid. 7, 53.

Quos dederis. acie nec jam pulſare rebelles,
Sed vinclis punire licet. ſub judice noſtro
Regia Romanus diſquirit crimina carcer.
Marcomeres, Sonnoque, docent. quorum alter Etruſcum
Pertulit exſilium: cum ſe promitteret alter
Exſulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum,
Res avidi concire novas, odioque furentes
Pacis, & ingenio ſcelerumque cupidine fratres.
Poſt domitas Arctos alio prorumpit ab axe
Tempeſtas, & ne qua tuis intacta tropæis
Pars foret, Auſtralis ſonuit tuba. moverat amens
Maurorum Gildo populos, quibus imminet Atlas,
Et quos interior nimio plaga ſole relegat:

Quos

238 Q. d. ſervat. *MSS. Vic. Vien. Ald.* ſerjat *Junt. Baſ. Clar.* acies *Plant.* acie *ex MSS. Barth. Heinſ.* 241 Mercomanes *Vic. Vien. Junt. Baſ.* Marcomer *Plant.* Marcomeres *Ald. Claver.* Morcomirus *Scal. in ora libri ſui.* Suevusque *Vic. Vien. marg. Baſ.* Sompnoque *Junt. Ald.* Sonnoque *Plant. Claver. Heinſ.* Confuſque *Scoppa ap. Plant. marg* Summoque, Suevoque *MSS.* docet *Plant.* 244 conſcire *vulg.* 245 celerique *Vic. Vien. ſed hic jam in marg.* ſcelerumque.
248 omnes *vulg.*

238 Similes comparationes vidimus ſupra 8, 89 & 20, 308.

239 Utrum exſtet alias quoque hæc de Marcomere & Sonnone hiſtoria, aliudve exemplum regis, vel reguli (ut tum res erant) Francici in carcerem, certe in vincula, a Romano judice conjecti & inſtituta quæſtione judicati? non habeo dicere; ſed ne Barthius quidem. Nec habent quidquam præter h. l. annales Francorum Ruinarti ad A. 397 Nec videtur aliud quam περιφράζειν verba Claudiani Martinus Bouquet l. c. (b) „Marcomeres & Sonno fratres Reges aut Principes Francorum erant. Marcomerem a ſuis vivum Honorio traditum, Imperator in carcerem conjecit, atque poſtea in Etruriam relegavit. Hunc noſtri Marcomirum vocant, putaturque eſſe pater Faramundi, qui primus inter Francorum Reges numeratur. Sonno fratris exilium ac injuriam ſe ulturum minitans, Principum Majorumque conjuratione interfectus eſt.„ Hoc autem affirmat Claudianus, tantam eſſe imperii Ro. majeſtatem atque reverentiam, ut de criminibus regum etiam barbarorum cognoſcere, & ſupplicia de iis ſumere Romani magiſtratus auderent.

249 *Gildonici* belli pericula & victoriam deſcripſit, certe cecinit noſter car. 15.

250 *Interior plaga*, interiora Africæ & a litore mediterranei maris remotiora, ultra Tropicum Capricorni, in Zona torrida, ubi nimius eſt Sol: hoc, puto, ſignificant ablativi *nimio Sole.* Haec plaga ſuos incolas *relegat*, h. e. remotos diſcluſosque ab aliis tenet populis. Sic fere 26, 144 *victumque relegat* removet, excluſum tenet.

Quos vagus humectat Cinyps, & proximus hortis
Heſperidum Triton, & Gir notiſſimus amnis
Aethiopum, ſimili mentitus gurgite Nilum.
Venerat & parvis redimitus Nuba ſagittis,
Et velox Garamas: nec quamvis triſtibus Ammon
Reſponſis alacrem potuit Naſamona morari.
Stipantur Numidæ campi: ſtant pulvere Syrtes

X 4 Gætulæ:

252 Gyr, Gil, Ges, Gis *al.* Nigris ditiſſimus *conj. Scoppa in marg. Plant.* Gir *jam Vien. Baſ. & optimi MSS.* 254 Nuba *jam Vic. & Vien.* Juba *poſtea usque ad Claver.* 257 campis *vulg.* campi *exemplis & MSS. tuetur Heinſ.*

251 *Cinyps*, a quo Cinyphios habemus ſupra 15, 9. *Triton* amnis & lacus in Argonautarum jam hiſtoria celebrati. Vid. Plin. 5, 4. *Hortis Heſperidum* nihil nobilius. Jungit hæc etiam Luca. 9, 347 ſq. Quod autem *Gir Nilum* dicitur *mentiri*, h. e. æmulari, de hoc ita Plin. 5, 8 *Nigri fluvio eadem natura quæ Nilo: calamum & papyrum, & easdem gignit animantes.* Nempe firmatur hoc Claudiani loco, quod monuit Salmaſ. ad Soli. p. 299. aE, *Gir*, *Nigir*, *Siris*, quin *Nilus* adeo, vel idem nomen eſt, vel varie confunduntur. Iuvabit quosdam lectores hic etiam legere verſus Sidonii Apoll. Paneg. Aviti 75, *Indorum Ganges, Colchorum Phaſis, Araxes Armeniæ, Gir Aethiopum, Tanaisque Getarum.* Sic eos ad h. l. citavit Barthius, ex memoria ut videtur: nam apud Sidonium eſt *Tagus Aethiopum*, quo nomine, ob arenas aureas, *Gir* quoque appellatus eſt, ut Savaro monet, ab Ambroſio de Parad. c. 3, 254.

254 *Redimitus Nuba ſagittis.* Dictum de hac re ad 7, 71. *Garamantes* a Virgilio inde familiares philologis. Noſter poëta parum, puto, de ipſa hiſtoria ſolicitus, acervat nomina populorum & locorum Africæ. *Naſamones* Syrtium accolas, naufragiis inhiantes deſcribit Lucanus 9, 439. Contemtores vicini oraculi Ammonis facit non ſine ratione. Certe etiam Dionyſius Periegetes 210 dicit illos Διὸς ὐκ ἀλέγοντας. Hic quidem ſtudium illorum pro Romanis partibus indicatur tantum, ut etiam contra Ammonis oraculum eas tueantur, quaſi εἷς οἰωνὸς ἄριστος eſſet, ὑπὲρ Ῥώμης ἀμύνασθαι, unum augurium optimum pugnare pro Roma.

257 *Syrtes Gætulæ* quomodo *pulvere ſtare* poſſunt, ſi nihil aliud ſunt Syrtes, quam quod vulgo docemur, pars litoris a ventis & fluctibus varie agitata, vel ipſe ille aquarum & arenarum motus? Vid. dicta ad 8, 438. Siccæ profecto & pulverulentæ hic ſunt *Syrtes.* Unice hic ſuccurrit Sidonius Apoll. Epiſt. 8, 12 pr. *Vaſatium civitas non ceſpiti impoſita, ſed pulveri: tantum Syrticus ager, ac vagum ſolum, & volatiles ventis alternantibus arenæ.* Et mox, *Quid putamus eum exercitu Marci Catonis in Leptitana Syrte feciſſes.* Reſpicit ad Luca. 9 & iter illud Catonis per arenas Libyæ: de quo v. 447 *Nam litore ſicco Quam pelago Syrtis violentius accipit Auſtrum.* E Savaronis ad Apollinarem Commentario diſcas, alios etiam ſequioris ævi ſcriptores ita *Syrtis* nomen adhibuiſſe. *Stare pulvere Syrtes* hic dicuntur

Gætulæ: Pœnus jaculis obtexitùr aër.
Hi virga moderantur equos; his fulva leones
Velamenta dabant, ignotarumque ferarum
Exuviæ, vaſtis Meroë quas nutrit arenis.
Serpentum geſtant patulos pro caſſide rictus.
Splendent vipereæ ſquamoſa pelle pharetræ.
Non ſic intremuit Simois, cum montibus Idæ
Nigra coloratus produceret agmina Memnon:
Non Ganges, cum, tela procul vibrantibus Indis,
Immanis medium vectaret bellua Porum.
Porus Alexandro, Memnon proſtratus Achilli;
Gildo nempe tibi. Nec ſolum fervidus Auſtrum,
Sed partes etiam Mavors agitabat Eoas,
Quamvis obſtreperet pietas. His ille regendæ
Trans-

258 plenus *Cuj. it. Vien. marg.* 263 pendent *Baſ.* & *MSS.* ſplendet *Vic. Vien.* 269 perfidus *conj. Heinſ.*

dicuntur ut Aen. 12, 407 *Cælum.* Indicatur tenor aliquis & continuatio pulveris, cui ſimile eſt, quod ſtatim ſequitur, *jaculis obtexitur aër*, & illud 20, 450 *Contexit Chalcedona nidor.*

259 *Virga moderantur equos*, qui frenis aut plane non vtuntur, aut ut equites Ro. interdum in prælio equis ea detraxere. Sic plane in ipſo hoc Gildonico bello 15, 439 *Sonipes ignarus habenæ: Virga regit. Moderari ducem* eſt 22, 73.

261 *Vaſtis arenis* h. e. in deſertis illis arenoſis. Neque enim in mentem alicui venire poteſt, arenis tanquam cibo nutriri feras. *Meroën* pro interioribus Africæ ponere noſter ſolet. Vid. 7, 21.

263 Oportet hos ſerpentes bene magnos fuiſſe, & caſſides valde terribiles.

264 An ſatis commode *intremuiſſe* dicitur *Simois* ad Memnonis agmina? quæ auxilio Trojanis veniſſe, vel ipſe docet, cum interfectum ab Achille canit Memnona: neque hic diſſenſus eſt inter ſcriptores, quem notaturus erat Jablonskius, in præclaro de Memnone libro, quod inter ultima illi mortalium operum fuit.

269 Ut honorem habere poſſit Stilichoni, eumque tertium Achilli & Alexandro adjungere, Gildonam cum Poro & Memnone comparare ſuſtinet.

271 Favere videbatur Arcadius Gildoni contra fratrem ſuum Honorium: certe Gildo videri volebat ſe militare Arcadio. *Obſtrepebat* ergo *pietas* inter fratres, atque intercedebat, ne bello committerentur. Hinc noſter poëta carmine XV, quod eſt de Bello Gildonico, Theodoſii patris jam Divi perſonam inducit agentem cum Arcadio, & fratri illum placantem.

272 Gildo, ut felicius occupare, & vindicare deinde ſibi Africam poſſet, *Eois partibus*, Orientali imperio Arcadii, ſe illam adjungere velle ſimulabat: *nomen Libyæ regendæ*, non rem ipſam, transferebat

Tranſtulerat nomen Libyæ, ſcelerique profano
Fallax legitimam regni prætenderat umbram.
Surgebat varia geminum formidine bellum.
Hoc armis, hoc triſte dolis, hoc Africa ſævis
Cinxerat auxiliis, hoc conjuratus alebat
Inſidiis Oriens. illinc edicta meabant
Corruptura duces: hinc frugibus atra negatis
Urgebat, trepidamque fames obſederat urbem.
Exitiale palam Libycum; civile pudoris
Obtentu tacitum. Tales utrimque procellæ
Cum fremerent, lacerumque alternis ictibus anceps
Imperium pulſaret hiems, nil feſſa remiſit
Officii virtus, contraque minantia fata
Pervigil, eventuſque ſibi latura ſecundos,
Major in adverſis micuit. velut arbiter alni,
Nubilus Aegæo quam turbine vexat Orion,
Exiguo clavi flexu declinat aquarum
Verbera, nunc recta, nunc obliquante carina,
Callidus, & pelagi cælique obnititur iræ.

278 antra *Cuj.* 282 laterumque *Ald. Plant. marg. MSS. Barth. 2.* Latiumque *Vic.*|*Vien. Baſ. Junt. Barth. ed.* 1 & *annot.* 2. 284 minacia *MS.* 287 verſat. *vulg.* vexat *e MSS. Heinſ.*

rebat imperio Orientis: hanc *umbram* & quaſi velum *prætenderat ſceleri* in Honorium Arcadii nomine perpetrandi.

277 *Illinc* ad propius reſpicit, ad Orientem h. e. ad aulam Conſtantinopolitanam, & edicta Arcadii nomine promulgata, *hinc* ad Africae commeatus Gildonis opera interclusos. Res ex carminis XV oeconomia eſt clariſſima: ex cuius principio etiam de fame indicta Romæ conſtat.

280 *Civile* bellum *tacitum* erat, occulte gerebatur, *obtentu pudoris*. Volebant favere Honorio videri Conſtantinopolitani, h. e. pædagogus Arcadii Eutropius, ideo rem geri placuit tectius, & per edicta potius ad duces miſſa, quam immiſſo in Occidentem exercitu, quia puderet fratrem bellum fratri inferre.

282 *Anceps hiems* eſt tempeſtas bellica ab utraque parte irruens in *imperium*, *lacerum* eo ipſo, quod non diviſum modo eſt in fratres, ſed etiam diſſidet.

286 *Arbiter alni* gubernator: apta *alnus* navibus materia, ut *pinus*.

287 *Orioni* tempeſtates aſſignare ſolent Poëtæ: hinc *triſtis*, *aquoſus*, *nimboſus* etc. vocatur. Horat. Epod. 15, 7 *Nautis infeſtus*.

Quid primum mirer, Stilicho? quod cautus ad omnes
Reſtiteris fraudes, ut te nec noxia furto
Littera, nec pretio manus inflammata laterent?
Quod nihil in tanto rerum terrore locutus
Indignum Latio? reſponſa quod ardua ſemper
Eois dederis, quæ mox effecta probaſti?
Securus, quamvis & opes, & rura tenerent,
Inſigneſque domos. levis hæc jactura: nec umquam
Publica privatæ ceſſerunt commoda cauſſæ.
Dividis ingentes curas, teque omnibus unum
Obiicis, inveniens animo quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu. dictare paratus,
Quæ ſcriptis peragenda forent. quæ brachia centum,
Quis Briareus aliis numero creſcente lacertis
Tot ſimul obiectis poſſent confligere rebus?
Evitare dolos; veteres firmare cohortes,
Explorare novas: duplices diſponere claſſes?

Quæ

293 lateret *al.* laterent *ex pri. edit. Heinſ.* 303 quæ br. centum Briareus *Vic.* non bracchia, c. Non Bri. *MSS* 304 alius *conj. Bur. ad Virg. ecl. 2, 73: quod facilius probem quam conjecturam Heinſii*, aliis humero.

292 *Noxia furto litera*, clanculum inſidioſe, proditorie ſcripta. Paulo ante v. 277 *Edicta corruptura duces* vocavit. *Manus pretio inflammata* corruptelam pecuniariam ſignat: videtur imaginatus eſſe falaricam, telum igne adiuncto nocentius. Accenduntur homines ad audendum pecunia.

295 *Reſponſa ardua*, quæ altum animum, & nihil a metu depreſſum, vel ab avaritia ob damna rei familiaris humilem, indicarent. Indicat, inimicos in prædia Stilichonis graſſatos, quo illum a fide in Honorium averterent.

300 *Ingentes* quia ſunt curæ, ideo *dividi* in plura objecta ſibi negotia poſſunt.

304 Briareus centimanus notus eſt: ἑκατόγχειρος Homero Ιλ. Α, 402. Sed Virg. Aen. 6, 287 *Centum geminus* eſt, vnde aliquis analogia Geryonis *tergemini* centum capita illi, ducentas manus, tribueret. Diſerte vero Heſiodus Theog. 148 ſq. tribus Terræ filiis Cotto, Briareo, Gygæ, centenas manus, quinquagena dat capita: Quidſi noſter, ad illam Virgilianam rationem alludens, poſt *centum brachiorum* mentionem, augeſcente oratione addit, immo *quis Briareus numero* illo centenario, *aliis* totidem *lacertis creſcente* & duplicato, poſſet par eſſe etc. Quam ſententiam licet etiam ad varietatem, quæ infra propoſita eſt, lectionis accommodare.

Quæ fruges vel bella ferant, aulæque tumultum,
Et Romæ lenire famem? quot nube ſoporis
Immunes oculi, per tot diſcurrere partes,
Tot loca ſufficerent, & tam longinqua tueri?
Argum fama canit centeno lumine centum
Corporis excubiis unam ſervaſſe juvencam.
Unde tot allatæ ſegetes? quæ ſilva carinas
Texuit? unde rudis tanto tirone juventus
Emicuit, ſenioque iterum vernante reſumſit
Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
Non ego delectu, Tyrii ſed vomere Cadmi
Tam ſubitas acies concepto dente draconis
Exſiluiſſe reor. Dircæis qualis in arvis

Meſſis

309 nubis apertae *MSS.* qui nube *Vien. marg.* quot nube ſopora *conj. Heinſ.* 312 lumine cinctum *vulg.* 316 enituit *vulg.* emicuit. *jam Baſ. marg. & Plant. marg. it. Barth. 2.* 318 ſub vomere *Raphel. male.* 319 conceptas *Heinſ. ex MSS.*

308 *Fruges* levandæ fami in Italiam, *bella*; milites, arma, in Africam. *Aulæ* Conſtantinopolitanæ tumultum & iras contra Occidentis imperium lenire opus erat, ne in apertum bellum inteſtinum res erumperet.

309 *Nube ſoporis primi percuſſus* eſt Val. Flacci 8, 81 ubi ſimilia Statii Theb. 10, 275 & Achill. 1, 250 dedit Burmannus. Metaphoræ huic & phantaſiæ poëtarum occaſionem dedit magiſtra optima natura. Turbantur, & velut nube quadam obſcurantur dormiturientium oculi.

316 *Emicuit* non ad igneum ſplendorem refero, ut 26, 459 *Sideris inſtar Emicuit Stilichonis apex*; ſed ad vegetam celeritatem, ut illud Aen. 6, 5 *Juvenum manus emicat ardens Litus in Heſperium.* *Vernare* non campi modo dicuntur, cum *ver* eſſe in ſe oſtendunt, ſed anguis etiam *vernare* dicitur Plinio 8, 27 cum *poſitis* (ut eſt apud Virgil. Ge. 3, 437) *novus exuviis nitidusque juventa volvitur. Senium* etiam figurate de triſti ac miſera conditione dici, ſatis indicat illud Cic. pro Milo. c. 8 *Luget ſenatus, -- tota civitas confecta ſenio eſt.*

317 *Alpino vulnere* i. bellis cum Eugenio tyranno & Arbogaſte fractæ ſunt vires Galliæ.

318 *Tyrium* dicit *Cadmum* pro Phœnicio, licentia conſueta, ut Stat. Theb. 1, 153: niſi tamen Tyrum antiquam (Παλαίτυρον) Europæ & Cadmi fabulis antiquiorem facere placeat. Ceterum fabula ex Metamorph. 3 pr. omnibus nota: cujus tenore inductus puto melius legi *concepto dente* Draconis a Cadmo interfecti tanquam ſemine, quod in ſubactam vomere terram ſpargere juſſus erat etc.

320 *Dircæa* a fonte Dirce dicuntur Thebana omnia. *Colonus meſſis* hujus e dentibus exortæ Cadmus eſt ſine dubio; ſed in hunc ſtrictos gladios a fratribus illis, Ovidius quidem, cui debemus fabulam, non dicit: *Territus* quidem *hoſte*, ut putabat, *novo*, inquit v. 114, *Cadmus capere arma parabat*, ſed fratrum horum unus, *Ne cape*, ait, *nec te civilibus ingere bellis* etc.

Meſſis cum proprio mox bellatura colono
Cognatos ſtrinxit gladios, cum ſemine jacto
Terrigenae galea matrem naſcente ferirent,
Armiger & viridi floreret milite ſulcus.
Hoc quoque non parva fas eſt cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adſtitit ultor,
Ordine quam priſco cenſeret bella Senatus.
Neglectum Stilicho per tot jam ſæcula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia Patres,
Decretoque togæ felix legionibus iret
Teſſera. Romuleas leges remeaſſe fatemur,
Cum procerum juſſis famulantia cernimus arma.
Tyrrhenum poteras junctis tranſmittere ſignis,
Et ratibus Syrtes, Libyam complere maniplis.
Conſilio ſtetit ira minor; ne territus ille
Te duce, ſuſpecto Martis graviore paratu,

Aut

327 cenſerent *MS.* 331 rediiſſe *vulg.* Romuleæ leges rediere *MSS.* remeaſſe *Heinſ. ex uno MS.* 333 cunctis *vulg.* junctis *ex MS. Heinſ. ut 1, 231.* 335 ruens *MSS. plures.* neo *pro* ne *Vic. Vien.* 336 ſuſcepto *vulg.* ſuſpecto *MSS. & Baſ. marg.*

323 Oportet agrum illum & terram, ubi dentes draconis Cadmus ſeminaverat, imaginari ut alvum ſ. uterum matris, quem *ferit*, urgetque fetus prorumpens: ita ſparti illi (σπαρτοὶ, ſeminati fratres) intra terram formati, dum prorumpere in lucem diu conantur, galeis feriunt, eruuntque terram ſibi obſtantem.

324 *Viridi* milite nemo ad colorem proprie referet: recentem, viridis ſegetis inſtar, notat.

326 *Fretis adſtitit exercitus* jam jam in naves imponendus ad Africanam expeditionem ſuſcipiendam.

328 *Morem referre* Virgiliana formula Aen. 5, 596 *Hunc morem — Aſcanius — Retulit.*

330 *Togæ decretum* Senatus togati conſultum eſt. Videtur etiam *teſſeræ* loco datum in eo bello dictum ejusmodi, quo Senatus conſtitueretur auctoritas: certe illud Aen. 8, 637 *& bello teſſera ſignum* de eiusmodi ſymbolis interpretatur Servius.

332 *Junctis ſignis*, collectis omnibus manipulis, quæ proprie ſigna ſunt, σημαῖαι, & legionibus adeo. Sic Liv. 33, 9 pr. *inter ſigna & ordines recipere* h. e. in centuriarum & manipulorum intervalla.

335 *Ira ſtetit*, continuit ſe, & *minor* fuit *conſilio*, a prudentia victa eſt. Noluit hoſtem magno belli paratu ad deſperationem ſalutis adigere, quæ res etiam imbecillos interdum armat, & formidabiles facit: quando eſt *Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.*

Aut in arenoſos æſtus zonamque rubentem
Tenderet, aut Solis fugiens transiret in ortus:
Miſſurusve ſibi certæ ſolatia mortis,
Oppida dirueret flammis. Res mira relatu;
Ne timeare, times; &, quem vindicta manebat,
Deſperare vetas. quantum fiducia nobis
Profuit hoſtilis! ſalvæ Carthaginis arces,
Illæſis Tyrii gaudent cultoribus agri,
Quos potuit vaſtare fuga: ſpe captus inani,
Nec ſe ſurripuit pœnæ, noſtriſque pepercit
Demens: qui numero tantum, non robore, menſus
Romanos, rapidis ibat ceu protinus omnes
Calcaturus equis; &, quod jactare ſolebat,
Solibus effeto merſurus pulvere Gallos.

Sed

340 res digna rel. Ne tim. caves *MS.* 343 contulit *MS.* 349 qui *Vien. Junt. ſic transponit:* Calcaturus equis, merſurus pulvere Gallos Solibus effœtos & quod jactare ſolebat. 350 effectos *Vien.* effetos *vel* effætos *al.* effœto *malebat Heinſ.* frigore *Vic. Vien.*

337 *Rubentem* Zonam pro ignea, igneam pro torrida dixit.

339 Fugiens & deſperans de ſalute ſua hoſtis, nulli rei parcit, & quam ipſe retinere ſalutem non poteſt, ea inimicum quoque ſtudet privare. Hinc eſt illud majorum noſtrorum, Fugienti hoſti aureum pontem faciendum.

341 *Times*, caves, curas. Ars eſt, interdum occultare hoſti ſuas vires. Magnum illius artis ſpecimen dedit, ſpecimen ipſe humanæ magnitudinis, Boruſſorum Rex, dum iſta ſcribimus, ad Rosbachium.

343 *Carthaginem* deleturus erat, agros vicinos vaſtaturus Gildo, niſi ſperaſſet victoriam.

350 Sperabat Gildo, ſe *merſurum* Gallos contra ſe miſſos *effeto ſolibus pulvere*, h. e. allecturum vel acturum in illas arenarum Syrtes, in pulverem a ſolis fervoribus putrem ac ſterilem, ubi ſe vel quieſcente illis pereundum ſit, tanquam inſuetis, & æſtus impatientibus. Reſpexiſſe videtur poëta ad Lucret. 6, 843 ubi ſic legebatur ante Lambini & Giſanii emendationem, *Frigidior porro in puteis æſtate fit humor, Rareſcit quia terra calore, & ſemina ſi qua Forte vaporis habet, propere* dimittit *in auras. Quo magis eſt igitur tellus effeta calore*, h. e. quo magis dimiſit ſemina vaporis in auras &c. Ut *effeta* dicuntur animalia, quæ jam ſemina omnia genitalia dimiſerunt; ut *tellus effeta calore*, quæ dimiſit vaporis ſemina: ſic *pulvis ſolibus effetus eſt* Claudiano, qui nihil amplius genitalis ſucci, e quo aliquid naſci queat, continet.

Sed didicit non Aethiopum geminata venenis
Vulnera, non fuſum crebris haſtilibus imbrem,
Non equitum Latiis nimbos obſiſtere pilis.
Sternitur ignavus Naſamon. nec ſpicula ſupplex
Jam torquet Garamas. repetunt deſerta fugaces
Autololes. pavidus projectat miſſile Mazax.
Cornipedem Maurus nequidquam hortatur anhelum.
Prædonem lembo profugum, ventiſque repulſum,
Suſcepit merito fatalis Tabraca portu:
Expertum, quod nulla tuis elementa paterent
Hoſtibus, & lætæ paſſurum jurgia plebis,
Fracturumque reos humili ſub judice vultus.

Nil

355 intorquet *vulg.* 356 Audolopes, Autolopes, Autolales *al.* pauidum *MS.* projecit *vulg.* Matax, Mazas, Mazar *al.* f. Mazix. 360 *Pro* quod *malim* quam. 362 perfractumque *al.* perfunctumque *al.* frangendumque *conj. Heinſ.*

351 *Geminata vulnera*: una enim eſt a ferro noxa, altera a veneno.

353 *Equitum nimbos* catervas intelligamus, turbinis ac tempeſtatis inſtar ingruentes. *Pila* Romanorum proprium telum, verum non eorum qui tum erant, ſed veterum. Vegetius qui ad Valentinianum miſit opus de re militari ſuum 1, 20 cum pilum deſcripſiſſet, *Cujus generis*, inquit, *apud nos jam rara ſunt tela*. Sed ſervat Claudianus, vt ſolet morem loquendi antiquum, ubi rerum vix umbra ſuperfuit.

356 *Autololes* Gæruliæ populus apud Plin. 5, 1 & 2 it. 6, 31. *Mazax* forte *Mazix* fuit. Certe *Mazices* in Cæſarienſi Mauritania ponuntur a Cellario ex Ammiano 29, 25 ſqq. *Tabraca* Africæ urbs *fatalis* fuit Gildoni ad interitum. Vid. 18, 410 it. 19, 71.

362 *Humilis judex*, de plebe unusquisque, qui multa cum libertate victum Gildonem damnat, eique inſultat. Subiſſe Gildonem genus quæſtionis & judicii publici, colligas etiam ex 24, 99 ſq. Sed Zoſimus 5, 11 narrat, mortem ſibi conſciuiſſe potius, quam in poteſtatem hoſtium perveniret. Nempe Poëta indicat, quid futurum fuiſſet, niſi morte damnationem occupaſſet. Interim ſententiis omnibus Romæ in ſenatu damnatum, narrat Symmachus Stilichoni epiſt. 4, 4. Vid. omnino Jac. Gothofr. ad l. 7 C. Th. de Metatis: qui pulchre etiam hoc obſervat, ut Gildo Stilichonis opera Romæ damnatus eſt, ita Conſtantinopoli Eutropio hoc agente Gildonis fautore hoſtem judicatum Stilichonem, ex Zoſimo 5, 11.

Nil tribuat fortuna ſibi, ſic proſpera ſemper
Illa quidem. ſed non uni certamina pugnæ
Credidimus, totis nec conſtitit alea caſtris
Nutatura ſemel. ſi quid licuiſſet iniquis
Caſibus, inſtabant aliæ poſt terga biremes.
Venturus dux major erat. Victoria nulla
Clarior, aut hominum votis optatior umquam
Contigit. an quiſquam Tigranen, armaque Ponti,
Vel Pyrrhum Antiochique fugam, vel vincla Jugurthæ
Conferat, aut Perſen debellatumque Philippum?
Hi propagandi ruerant pro limite regni:
Hic ſtabat Romana ſalus. ibi tempora tutas
Traxerunt dilata moras. hic vincere tarde
Vinci pene fuit. diſcrimine Roma ſupremo
Inter ſupplicium populi deforme pependit;

Et

363 ſit *omnes.* Sic *conj. Heinſ.* 373 ruerent *MSS.* ruerunt *conj. Barth.* & *Heinſ.* fuerant *Vic. Baſ.* ruerant *Vien. Cuj.* 374 tuto *vulg.* tutæ - moræ *MSS.* tutas *Heinſ. e MSS.*

363 Removere vult fortunam, ne officiat Stilichonis laudibus; & tamen metuit illam offendere. Jucundior erit hic locus, ſi eum comparemus cum ſimili fluctuatione Plinii Pan. 32. Inſultaverat quodam modo Nilo, eoque carere poſſe Aegyptum Traiano imperante innuerat. Sed redit ad reverentiam, & *Flumen* precatur, *ut, hac principis benignitate contentum, molli gremio ſemina recondat, multiplicata reſtituat.*

365 *Alea* belli *non conſtitit totis caſtris:* non datus eſt eventus totius belli in fortunam horum caſtrorum: vinci ea quocunque caſu poterant, ut tamen ſumma belli pro nobis eſſet.

368 *Dux major*, ipſum Stilichonem Barthius intelligit: quod nec refellere poſſum, nec probare audeo.

372 *Debellatum* bis intelligendum. Hac figura nititur illa quæ transpoſitio particulæ *que* putatur, familiaris Horatio, declarata a Bentlejo ad Car, 2, 19. 24 ubi legendum putat *Leonis unguibus* horribilisque *mala.* Quam frequens eſſet Tibullo, oſtendit Brouckh. ad 3, 6. 48. Sic noſter 22, 435.

374 *Stabat ſalus*, ut nauis a malacia deprehenſa, vel hærens in Syrtibus, ut in incili hærens currus.

377 *Inter ſupplicium — pependit*, deſideratur alterum extremum, inter quod pependiſſe & fluctuaſſe Roma dicatur, verbo, victoria. Sed nempe ſuppleri ex ipſa materia poteſt.

Et tanto Libyam fructu majore recepit,
Quam peperit, quanto graviorem amiſſa dolorem,
Quam nec dum quæſita, movent. quis Punica geſta,
Quis vos, Scipiadæ, quis te jam, Regule, noſſet?
Quis lentum caneret Fabium, ſi jure peremto
Inſultaret atrox famula Carthagine Maurus?
Hæc omnes veterum revocavit adorea laurus.
Reſtituit Stilicho cunctos tibi, Roma, triumphos.

378 tantum — quantum *vulg.* tanto — quanto *Scal.* & *MS.*
380 bella *Baſ. marg.* 384 ad horrea *Vien.*

378 Antique & eleganter *fructus* ponitur pro dulcedine fruendi: dulcius fuit Romanis recepiſſe Africam, quam fuerat ab initio peperiſſe. Vide oratorie tractatum hunc locum ab ſummo oratore ad Quir. poſt red. pr. quem ita concludit, *Sed tanquam bona valetudo jucundior eſt eis, qui e gravi morbo recreati ſunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſic ea omnia* (bona) *deſiderata magis, quam aſſidue percepta delectant.*

382 *Jure* imperii populi Ro. *peremto* ac ſublato, ut non amplius caput rerum eſſet Roma, certe Carthaginis domina non amplius eſſet, de cujus imperio certatum Punicis bellis a Scipionibus, a Regulo, a Cunctatore Fabio: quos viros nemo caneret Romæ, ſi Carthago non Romanis pareret ſed famularetur Mauro Gildoni. Splendida eo magis clauſula hujus libri, quod vero nititur. Quis ferat Romanos, qui hodie ſunt, de imperio orbis terrarum gloriantes? aut quis eorum, qui moderatus homo ſit, glorietur hodie?

XXII CL.

XXII

CL. CLAUDIANI

DE

LAUDIBUS STILICHONIS

LIBER II

Hactenus armatæ laudes. nunc qualibus orbem
Moribus, & quanto frenet metuendus amore,
Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit, faſtisque ſuum conceſſerit annum,
Mitior incipiat fidibus jam Muſa remiſſis.
Principio magni cuſtos Clementia mundi,
Quæ Jovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris

1 urbem *Plant. & Claver.* 3 actore *Plant. marg. quod probat in Comm. Barth.* 2. rogante *Raphel. & Barth.* 2. crepantes *conj. Salmaſ. in Miſc. Obſervat. Brit. vol. 1 p. 179.* 5 incipias *conj. Heinſ.* diva *MS.* 7 temperet *Raphel.*

2 *Metuendus amore* videtur duplicem admittere interpretationem: metuendus cum amore & inter amorem, non minus amabilis quam formidabilis: vel, quod magis probem, metuendus hoſtibus propter amorem ſuorum. Eo terribilior eſt aliquis adverſariis, hoſtibus, quo magis a civibus ſuis & militibus amatur.

3 *Trabeas* Conſulatus ſymbolum noſtro eſſe, jam ſæpius obſervatum. Vid. 3, 251. Has audaciuſcula figura facit *rogantes* ſe indui, eadem plane ſententia ut 8, 47 *Ultro ſe purpura ſupplex Obtulit* etc. *Suum annum* ſuo, Conſulis, nomine inſignem *faſtis conceſſit* Stilicho.

5 *Fidibus remiſſis*, leniori genere & ſubmiſſiore dicendi. Bellicis rebus conveniebant intentiores chordæ, modus Orthius.

6 *Clementia* Dea Romanis neſcio an alias culta ſit, quam templo Julii Cæſaris Clementiæ, ἐπιεικείᾳ, dicato, de quo Plut. Cæſ. p. 734, D & Dio 44, 6 quem locum ex numis illuſtrat Fabricius. Sunt numi inter ſe ſimiles Tiberii ex ære magno, *Clementiæ* unus, alter *Moderationi* inſcripti Tab. 5, 6 & 7 Haverc. a quibus admonitus puto *Clementiam* poëtæ noſtro hic eſſe illam virtutem dei, quæ pugnantia inter ſe elementa veteris Chaûs moderatione & temperamento quodam indicto *concordi pace*, ut ait Ovid. Met. 1, 25, *ligavit*. Illud νεῖκος καὶ φιλία, illa diſcordia concors, argumentum primum phyſicæ Empedoclis, Heracliti etc.

7 *Jovis Zona* extremus ille cæli complexus, qui continet & velut coërcet reliqua, in quo collocat

Frigoris & flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolum, (nam prima Chaos Clementia ſolvit
Congeriem miſerata rudem, vultuque ſereno
Diſcuſſis tenebris in lucem ſæcula fudit.)
Hæc Dea pro templis, & thure calentibus aris
Te fruitur, poſuitque ſuas hoc pectore ſedes.
Hæc docet, ut pœnis hominum vel ſanguine paſci
Turpe ferumque putes: ut ferrum Marte cruentum,
Siccum pace, feras: ut non infenſus alendis
Materiem præſtes odiis: ut fontibus ultro
Ignoviſſe velis: deponas ocius iram,
Quam moveas: precibus numquam implacabilis obſtes.
Obvia proſternas, proſtrataque more leonum
Deſpicias, alacres ardent qui frangere tauros,
Tranſiliunt prædas humiles. hac ipſe magiſtra
Das veniam victis. hac exorante calores
Horrificos, & quæ numquam nocitura timentur
Jurgia,

8 medio *MSS. & Ald.* 10 partita rudem *MS.* 16 ſic cum *diviſe & premas vulg.* ſiccum *Barth. & Heinſ.* ferax *eſt ſphalma Heinſ.* 2 *qui* feras *voluit ex MSS.* 21 gaudent *Vien. marg.* cum ſternere *vulg.* qui frangere *ex MSS. Heinſ.* 22 iſte *MSS. Vic. Vien.* ſponte *conj. Heinſ.* 23 dat *Vic. Vien. & mox* cohercet. exhortante *vulg.*

illum peculiari ratione, & inde rebus omnibus præſentem, omnia inde gubernantem facit Ariſtoteles, vel ſi quis alius ſit auctor libri de Mundo c. 6. Rurſus ita de hac Zona loquitur poëta quaſi intelligat noſtram illam Zonam temperatam, quæ interjecta eſt inter torridam & frigidam. Forte etiam illud menti eius obverſatum eſt, quod Jovis planetæ orbis inter frigidum Saturni & Martis ardentem medius incedit.

8 *Prima Cælicolum Clementia* ſoror eadem Juſtitiæ ſ. Aſtrææ noſtro 17, 166. De *Chao* modo præmonuimus ad v. 6.

11 Componi hæc poſſunt cum Coſmogonia Moſaica, in qua primum ornantis mundum ſuum Dei imperium eſt, Fiat Lux!

20 *Obvia* hic ſunt contra euntia impugnatum venientia, ut Luca. 1, 6 *Signa obvia ſignis*: ut ſupra 8, 484 *Obvia quid mirum vinci.*

21 Verbum *frangere* ſic adhibuit Horat. Car. 1, 23. 10 *Non ego te tigris ut aſpera Gætulusve leo frangere perſequor.* Sic noſter etiam 24, 301. Alios quoque, & Homericum fontem hic laudavit Heinſius. Sed orienti etiam conſuetam formam apparet ex Regum 1, 13. 26.

24 *Jurgia* etiam illa, quæ nunquam *nocitura* ſunt, in viro principe timentur. Quo magis decet eos clementia, quorum etiam aſperior vox terrori eſt.

Jurgia, contentus ſolo terrore, coërces;
Aetherii patris exemplo: qui cuncta ſonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum ſpicula differt
In ſcopulos & monſtra maris, noſtrique cruoris
Parcus in Oetæis exercet fulmina ſilvis.
Huic Divæ germana Fides, eademque ſorori,
Corde tuo delubra tenens, ſeſe omnibus actis
Inferit. hæc nullo docuit liveſcere fuco:
Numquam falſa loqui, numquam promiſſa morari,
Inviſos odiſſe palam: non virus in alto
Condere, non lætam ſpeciem prætendere fraudi,
Sed certum mentique parem componere vultum.
Occulto ſævire vetat, prodeſſe remittit.
Hæc & amicitias longo poſt tempore firmat,

30 ſororis *vulg. Sed* ſorori *jam Vien. marg. tum Scaligeri auctoritate Heinſ.* 35 præmittere, promittere, committere *MSS.* fraudis *al. Sed* fraudi *jam Vien. Baſ.* 38 poſt temp. *vulg.* plus *Heinſ. ex MSS.*

27 *Cyclopum ſpicula*, fulmina ſunt, *quæ lentis* i. e. flexilibus ab igne *maſſis* ferreis procudunt. Vid. graphica deſcriptio Virg. Ge. 4,170.

30 *Huic divæ* Clementiæ *germana* ſoror eſt *Fides* Dea, quin *eadem* eſt *ſorori* huic ſuæ: quatenus virtus eſt una, ut qui unam habet, omnes habeat. *Eadem ſorori*, ut Horat. A. P. 467 *Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.*

32 *Liveſcere fuco* proprie dixit poëta. *Fucus* enim ille marinus, alga dictus alias, a quo falſus omnis color *fucus* vocatur, *lividus* ſua natura ſ. *pallidus* eſt, ὠχρὸς apud Ariſtot. hiſt. an. 6, 13 extr. Hunc eundem colorem a pictoribus tribui fluminibus, docet idem Probl. ſ. 23 p. 970, A. Ipſæ illæ lanæ quæ fuco imbuuntur, ut purpuram deinde bibant profundius, (de qua re diſputavi ad Quinctil. 12, 10. 75) videntur *liveſcere.* Hoc ergo indicat, niſi fallor, poëta, ab illo mendaciorum fuco *liveſcere* tantum qui illum adhibeant homines, non niteſcere.

35 *Lætam ſpeciem* Metonymica etiam ratione accipiendam arbitror, quæ lætos faciat; *fraudem* vero noxam omnem, quocunque modo intentatam.

37 *Prodeſſe* occulto non *remittit* modo fides, h. e. permittit, non impedit: verum in hoc ipſo divinam benignitatem imitantur beneficia, ſi ea tribuantur neſcientibus quidem, unde veniant, aut ſentientibus: quod genus commendat Plutarchus in aureolo libro de diſcrim. amici & adulatoris p. 63.

38 *Longo plus tempore*, h. e. quo diutius durant amicitiæ, tanto eas Fides facit firmiores. Tempori non tantum nihil licet in fideles amicitias, ſed ab eo ſtabiliuntur & redduntur immutabiles. Huc pertinet *adamantis* mentio, h. e. ferri. Tales ſunt Horat. Car. 3, 24. 5 *clavi adamantini, quos figit dira neceſſitas.*

Manſuroque adamante ligat: nec mobile mutat
Ingenium; parvæ ſtrepitu nec vincula noxæ
Diſſolvi patitur; nec faſtidire priorem
Allicitur veniente novo: benefacta tenere,
Reſpuere offenſas facilis, pariterque minoris
Officii magnique memor, ſuperare laborat:
Utque hoſtes armis, meritis ſic vincit amicos.
Hæc fovet abſentes; hæc longe ſola remotis
Conſulit; haec nullis avidam rumoribus aurem
Pandit, ut ignarum numquam læſura clientem
Inſidioſa tuos alienent murmura ſenſus.
Nec vivis annexus amor meminiſſe ſepultos
Deſinit: in prolem tranſcurrit gratia patrum.
 Hac tu Theudoſium, tenuit dum ſceptra, colebas:
Hac etiam poſt fata colis: nec pignora curas
Plus tua, quam natos, dederat quos ille monendos
Tutandoſque tibi. Juſtos nimiumque fideles

Fama

40 parvo *al. ſed* parvæ *jam Vic. Vien.* 42 illicitum *MSS. unde* fit licitum *conj. Heinſ.* illicitur *MSS. unde* ilicet adveniente *conj. Heinſ.* allicitum, illicite, illectum, allicitus *MSS.* allectum *placuiſſe videtur Scal.* neclectum *vel* ejectum *conj. Heinſ.* 44 laboras *MSS.* laborans *conj. Heinſ.* 48 pandit & *al.* ut *ex MSS. & Raph. Heinſ.* 50 innexus, anixus, obnixus, amplexus *MSS.* vivos amplexus *conj. Heinſ.* 54 movendos *MSS.* fovendos *MSS.*

41 *Diſſolvi* ſe *patitur.* Vid. ad 15, 265. Utrum commode dixerit poëta, *Faſtidire allicitur*, pro induci ſe patitur ad faſtidiendum, non dixerim. Sed hic non conſtare, quid poëta ſcripſerit, docet lectionis varietas.

42 Prædicat diverſam hanc memoriæ in viro bono rationem de ſuo Attico Nep. c. 11. Sed jam Demoſthenes pro Coro. c. 81 τὸν μὲν εὖ παθόντα δεῖν μεμνῆσθαι τὸν πάντα χρόνον, τὸν δὲ ποιήσαντα εὐθὺς ἐπιλελῆσθαι κ. τ. λ. Eadem ceterarum laudum ratio, quæ hic commemorantur. Adeo quæ honeſta ſunt, antiquiſſima ſunt, & ſemper placuere merito ſapientibus. Cui placet ita revolvere quaſi hiſtoriam ſenſuum humanorum, BarthianosCommentarios adhibeat. Nobis brevitas propoſita eſt.

48 Aliquid ambiguitatis huic verſui objicit adverbium *nunquam*. Eſt illud non ad *læſura* adjungendum, ſed ad *alienent.*

52 *Theudoſium* contracte ut 15, 216.

53 Hunc verſum refellit eventus. Eucherium ſuum imponere voluit; niſi nos hiſtorici fallunt, ſolio Honorii. Vid. Gothofr. ad l. 22 C. Th. de Bonis Proſcriptor. ſ. To. 3 p. 378.

Fama putat, qui, cum poſſint commiſſa negare,
Maluerunt nullo violati reddere quæſtu.
At Stilicho non divitias, aurique relictum
Pondus, ſed geminos axes, tantumque reſervat
Depoſitum teneris, quantum Sol igneus ambit.
Quid non intrepidus credas, cui regia tuto
Creditur? hoc clipeo munitus Honorius altum
Non gemuit patrem; vitæque & lucis in ipſo
Limine, contemtus numquam dat jura ſubactis
Gentibus, & ſecum ſentit creviſſe triumphos.
Quem tu ſic placida formas, ſic mente ſevera,
Ut neque deſidiæ tradas, dum pronus ad omne,
Quod libet, obſequeris; nec contra nixus ovantem

 Con-

56 poſſent -- Maluerint *vulg. Sed* poſſint - Maluerunt *boni libri ap. Heinſ.* 60 terris *MSS.* 64 contentus *Ald. Baſ. al. Sed* contemptus *MSS. Vic. Baſ.* 65 ſerena *MSS.*

56 *Fama*, niſi volumus injuriam facere generi noſtro, non debet hic ſignificare ſermones multitudinis promiſcuæ, ſed paucorum imprudenter atque improbe impiorum. Oſtendit hiſtoria, fuiſſe omni tempore, qui facerent talia, & forte plures quam expedit: ſed qui dicerent, pauci profligati pudoris Sophiſtæ fuerunt: & inter hos tamen plerique hunc honorem (pro Pudor!) habuere regibus, ut jus non niſi regnandi cauſa violandum eſſe dicerent. *Poſſint* & *Maluerunt* recte ſibi reſpondent. Nam *maluerunt* eſt Præſens rei perfectæ. Penultimam in talibus perſonis corripere ſolet etiam Ovidius, ut *Mollierunt* Am. 2, 1. 22. *Paruerunt* Met. 4, 225 etc.

59 *Geminos axes*, utrumque imperium, Orientis & Occidentis, ut 8, 395.

63 *Non gemuit patrem*, non luxit inſolabiliter, qui vicarium paternæ providentiæ haberet Stilichonem.

67 *Dum — obſequeris* non eſt indicativo modo & finite accipiendum: neque enim hoc feciſſe dicit Stilichonem; ſed negat. Clarius exprimas ſoluta oratione per Gerundiuum, *obſequendo*.

68 *Ovare* præter explicatam in Lexicis lætitiæ, ex victoria præſertim, ſignificationem, etiam eſt exſultare, geſtire, alacriter ſe gerere præ cupiditate & ſtudio. Quando illud in theſauro utroque prætermiſſum eſſe video, hic expiandæ velut illius culpæ cauſa, revocabo, Virgilii præſertim, unici poëtæ exemplis ponendis. Igitur Aen. 5, 503 in ludo Trojæ *Una acies juvenum* eſt, *ducit quam parvus ovantem - Priamus.* L. 3, 189 Anchiſæ monenti diſcedendum eſſe, *Cuncti dicto paremus ovantes, Hanc quoque deſerimus ſedem.* Et de adventu in alio loco exſilii 3, 544 *Tum numina ſancta precamur Palladis armiſonæ, quæ primum accepit ovantes.* Aen. 4, 543 Dido deliberat *Sola fuga nautas comitabor ovantes?* non triumphantes profecto, ſed ſtudioſa

Confringas animum; ſecretus conſona regno
Ceu juvenem doceas, moles quid publica poſcat;
Ceu ſanctum venerere ſenem, patriiſque gubernes
Imperium monitis, dominum ſubmiſſus adores;
Obſequiis moderere ducem, pietate parentem.
Hinc fuit, ut primos in conjuge diſceret ignes;
Ordirique virum non luxuriante juventa,
Sed cum lege tori, caſto cum fœdere, vellet.
Principe tu felix genero: felicior ille
Te ſocero. fratrem levior nec cura tuetur
Arcadium: nec, ſi quid iners atque impia turba,
Prætendens proprio nomen regale furori,
Audeat, adſcribis juveni. Diſcordia quippe
Cum fremeret, numquam Stilicho ſic canduit ira,
Sæpe laceſſitus probris, gladiiſque petitus,
Ut bello furias ultum, quas pertulit, iret
Illicito, cauſſamque daret civilibus armis.

Hujus

69 *pro* ſecretus, *quod ex libris dedere Heinſ. & Gron. & jam habent Vic. & Vien.*, ceu cervas *vulg.* ſecreto *MSS.* ſecerni *MSS.* 70 patris *al.* 73 obſequio *al.* 74 ſic fuit *MSS.* 79 aut imp. *primæ editt. Sed* atque *Baſ. marg.* 82 fremuit *MSS. it. Vien.* Stilichonis canduit *Vic. Vien. & rell. edd. Hinc mox* laceſſiti – petiti *ex conj. Raphel. Barth.* 83 odiisque *Baſ. marg. Raph. Barth. ex MSS.*

ſtudioſe petentes novam patriam. Ibidem 577 de fuga divinitus imperata, *Imperioque iterum paremus ovantes.* Et 9, 71 *Turnus ſocios incendia poſcit ovantes.* L. 10, 690, Idem *Teucros invadit ovantes*, i. alacriter rem gerentes. L. 12, 479 *Jamque hic germanum jamque hic oſtentat ovantem* Juturna, geſtientem pugnare, *Nec tamen conferre manum patitur.* Quin 10, 409 *Flammæ* dicuntur *ovantes*, graſſantes per ſtipulas incenſas. Idem poëta Ge. 1, 423 fecit *ovantes gutture corvos.* Et noſter 35, 306 *Ovantes equos.* Apud Statium Theb. 1, 153 *Aut Tyrii ſolio non altus ovaret Exulis* i. jactaret ſe in throno Cadmi. Itaque *ovantem animum* hic intelligamus vehementius elatum cupiditate quacunque, & impotentius aliquid, quidquid illud ſit, cupientem molientemve.

73 *Moderere ducem*, ut 21, 259.

79 *Iners* Eutropii Eunuchi, *atque impia* hujus pariter atque Rufini *turba* intelligitur, quos utroſque in aula Arcadii tyrannidem quandam exercentes, & Arcadio velut Neuroſpaſto vel machina abutentes, evertit, neſcio an ipſe multo melior, poëtæ quidem noſtri Heros, Stilicho.

Hujus fulta fide mediis diſſenſibus aulæ
Intemeratorum ſtabat reverentia fratrum.
Quin & Sidonias chlamydes, & cingula baccis
Aſpera, gemmataſque togas, virideſque ſmaragdo
Loricas, galeaſque renidentes hyacinthis,
Geſtatoſque patri capulis radiantibus enſes,
Et vario lapidum diſtinctas igne coronas,
Dividis ex æquo; ne non Auguſta ſupellex,
Ornatuſque pares geminis heredibus eſſent.
Mittitur & miles, quamvis certamine partes
Jam tumeant. hoſtem muniri robore mavis,
Quam peccare fidem: permittis juſta petenti,
Idque negas ſolum, cujus mox ipſe repulſa
Gaudeat, & quidquid fuerat deforme mereri,
Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt

86 cujus *vulg.* hujus *etiam Baſ. marg.* 89 ſmaragdis *vulg.* 90 redundantes *MSS.* 97 fide *Vic. Junt. Plant.* violare fidem *Ald. Cuj.* ſpectare fidem *MSS.* 99 fuerit *vel contra libros legere nos jubet Heinſ.* 100 poſito *MS.* carmina *Cuj.* poſcunt *MSS.* *i. provocant, ut 5, 298.*

87 Genus Hypallages: nam magis proprie reverentia dicenda erat *intemerata.* Neque temere invenias *temerari perſonas*, ſed *fidem*, *ſacra*, *lectum conjugalem* etc.

88 *Baccas* ſ. *bacas* eſſe margaritas, obvium eſt. Sed cur *aſpera baccis* dicuntur *cingula*, cum margaritis nihil ſit levius? Hor. Epod. 8, 14 *Nec ſit marita, quæ rotundioribus Onuſta baccis ambulet.* Rotunda ſane non ſunt aſpera. Scilicet *aſpera* vocari vaſa, in quibus aliquid exſtat a cælatura, vel alia arte, oſtenſum eſt in Theſauris, neque hoc ipſo loco prætermiſſo.

90 Sic noſter infra 70, 3 *Gemmis dum frena renident.* Vt ridere prata dicuntur floribus. Qui *nitent* a victu bono & copioſo, ii facile *rident.* Hinc vicinia ſignificationum hujus verbi.

96 *Tumere*, & cognata nomina, ad iras, bellorum prænuncias, pertinere, copioſe oſtendit Bentl. ad Hor. A. P. 197 ubi legit, *amet pacare tumentes.*

97 *Peccat fides* ut *Vacillat* apud ICtos, ut *Prodiga arcani* vocatur Hor. Car. 1, 18. 16, quorum nihil in veram veri nominis fidem cadit. Nempe etiam hominem pictum, & fictam pietatem dicimus. *Permittis* eſt concedis, indulges.

99 Pulchre dictum puto *fuerat*, & feſtinaſſe magnum virum, cum *fuerit* contra libros etiam legi voluit. Indicandi modum in talibus fortiorem eſſe, obſervabit, quisquis attendere tanti putabit. *Mereri* in hoc verſiculo, & a Plinii inde ætate frequentiſſimo uſu eſſe conſequi, ſine reſpectu ad dignitatem, vel quodcunque ἀντάλλαγμα, Lexica noſtra docent poſt Caſaub. & Cort. ad Plin. Epiſt. 1, 8. 14.

Ore Deæ, junxere choros. unoque receptæ
Pectore diverſos tecum cinguntur in uſus.
Juſtitia utilibus rectum præponere ſuadet,
Communeſque ſequi leges, injuſtaque numquam
Largiri ſociis: durum Patientia corpus
Inſtruit, ut nulli cupiat ceſſiſſe labori:
Temperies, ut caſta petas: Prudentia, ne quid
Inconſultus agas: Conſtantia, futile ne quid
Infirmumque geras. Procul importuna fugantur
Numina, monſtriferis quæ Tartarus edidit antris.
Ac primam ſcelerum matrem, quæ ſemper habendo
Plus ſitiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Avaritiam: cujus fidiſſima nutrix

Ambitio,

101 orbe *MS* vinxere *Gron.* 105 lar. facilis *conj. Heinſ. ut 7, 90.* 106 cupias *MSS.* 111 at *al.* 113 fœdiſſima *vulg.* ſæviſſima *MS.* fidiſſima *Ald. & MSS.*

101 *Ore puro pellunt crimina Deæ* h. e. vultu lucido, & ſolis ſiderisve majoris inſtar diſcutiente tenebras, nebulas, nubes criminum: ut Virgilianus Aen. 8, 589 *Lucifer Extulit os ſacrum cælo*, ut *Luna* apud Petro. 127 *plenum os extra nubem profert.* De hac re ipſe Salomon Prov. 20, 8 Regem ait in tribunali conſtitutum *oculis malum* omne *diſſipare*, quod idem eſt atque hic *ore pellere.*

102 *Cinguntur* eſt accinguntur, parant ſe.

104 *Communes leges*, illud quod *Par* vocat Cic. de Inv. 2, 54 *Par, quod in omnes æquabile eſt.* Summa illa juſtitiæ lex, Quod tibi non vis fieri &c. Ne *ſociis* quidem *largiri*, indulgere, *injuſta*, ſuadet aut patitur Juſtitia. Sed pulchra etiam ſententia alterius lectionis Juſtitia nunquam *facilis* eſt *largiri injuſta*, nunquam patitur ſe induci ad largiendum.

107 *Temperies* eſt temperantia, *tranquilla morum temperies* Statio Sil. 2, 6. 48. Hæc inſtruit te, *ut caſta petas*, h. e. ut non niſi caſta & honeſta petas voluptatis genera. Comparemus illud Apoſtoli Eph. 4, 26 Ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε· non jubet hic ut iraſcamur: ſed, ſi omnino iraſcamur, ne id fiat ad exceſſum & cum peccato.

107 Quid ſit *futile*, intelligitur ex vaſis, quæ hoc nomine appellantur. Qui facit, *quod mox mutaſſe laboret*, ut eſt apud Horatium, ſimilis eſt cribro vel futili vaſe haurienti aquam, repugnat ſuo conſilio, nihil efficit.

110 *Numina* ſunt non virtutes modo, ſed etiam vitia, quae nutu velut ſuo & potentia ad agendum homines moveant.

112 Videtur imaginatus eſſe poëta in hoc verſu porcum, vel anatem, in turpis cœni colluvie aperto roſtro & in omnem partem agitato, quærenti cibum.

113 *Nutrix Avaritiæ fidiſſima* eorum, qui cum poteſtate ſunt, eſt illorum Ambitio, qui honores petunt. Fruſtra illi venditarent ſuas merces, niſi eſſent emtores illarum inſane cupidi.

Ambitio, quæ veſtibulis foribuſque potentum
Excubat, & pretiis commercia paſcit honorum,
Pulſa ſimul. nec te gurges corruptior ævi
Traxit ad exemplum: qui jam firmaverat annis
Crimen, & in legem rapiendi verterat uſum.
Denique non dives ſub te pro rure paterno,
Vel laribus pallet: non inſidiator oberrat
Facturus quemcumque reum: non obruta virtus
Paupertate latet. lectos ex omnibus oris
Evehis, & meritum, non quæ cunabula, quæris;
Et qualis, non unde ſatus. ſub teſte benigno

115 poſcit *al.* 117 quod -- uſus *Raphel. Barth. Heinſ.* qui *MSS. multi, Vien. marg.* uſum *MSS. omnes uno excepto, & editi omnes, exceptis, quos poſui.* 120 laribus pendet *MSS. unde* pendit, *i. damno vel pœna afficitur, conj. Heinſ.* 121 fracturus *Vic. & quidam MSS. quod probat Heinſ. & confert 21, 362. non bene: melius quod ait, legi etiam poſſe* Acturus. 123 & nunquam meriti *vulg.* & meritum, nunquam *al. in his Vic.* meriti, non quæ *al.* meriti nunquam *Vien.* meritum non quæ *Cuj. & ex MSS. Heinſ.* 124 et quales, non unde ſati *contra libros malit Heinſ.*

115 *Paſcere commercia honorum pretiis*, formula audax, qua ſignificatur, nundinationem publicorum munerum ali & augeri ab ipſis lucris. Ut univerſim avaritia hydropi ſimilis eſt, & *quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ*: ita illa munerum & honorum commercia pretiis ipſis, ab Ambitione oblatis & ſolutis, paſcuntur ut creſcat venalitas (ſic vocare liceat cum Sidonio & Caſſiodoro illud vitium) proportione lucrorum. Uſum diverſum quidem, ſed ſimilem verbi *paſcere* videre licet in hiſce. Noſter 39, 22 *Quemcunque Deorum Læſimus, inſultet jugulo, paſcatque furorem.* Silius 12, 721 *Jupiter -- quantis paſcat ferus ignibus iras.* Horatio Epiſt. 1, 18. 35 *Nummos alienos paſcere* dicitur, qui mutuum ſumit, & uſuras ſolvit.

117 *Qui gurges ævi corruptior* jam crimen illud ambitus & venalitatis duratione atque *annis firmaverat*, & *uſum* atque conſuetudinem *rapiendi in legem verterat*, quaſi quod ita ſæpe impune factum erat, fieri omnino oporteret. Itaque magna Stilichonis laus eſt, quod in tam corrupto ſæculo innocens fuit: tribuit eam viro etiam Zoſimus, qui minime alias illi parcit, L. 5, 34 *ὐκ ἐφάνη ποτὲ στρατιώταις ἐπὶ χρήμασιν ἄρχοντας ἐπιστήσας*, Nunquam duces militibus pecunia intercedente præfeciſſe compertus eſt.

120 *Inſidiator*, qui hic deſcribitur, ſolemniore vocabulo ſuperioris ætatis *delator* eſt: quod genus homines ſub malis principibus ea deſignarunt, a bonis ita ſevere puniti ſunt, ut deinde novis legibus opus eſſet ad vindicandos ab hujus appellationis injuria eos, quibus fiſci demandatæ cauſæ eſſent. Vid. titulus Codicis de delatoribus.

Digitized by Google

Vivitur: egregios invitant præmia mores.
Hinc priſcæ redeunt artes: felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, deſpectaque Muſæ
Colla levant; opibuſque fluens, & pauper eodem
Nititur ad fructum ſtudio, cum cernat uterque,
Quod nec inops jaceat probitas, nec inertia ſurgat
Divitiis. Nec te jucunda fronte fefellit
Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis hebetat caligine ſenſus,
Membraque Circæis effeminat acrius herbis,
Blanda quidem vultus, ſed qua non tetrius ulla
Ultrices

135 vultu *vulg.* tetrior *vulg.*

128 *Opibus fluens* pro affluente an quisquam antiquior poſuerit, non dixerim. Pulchre quidem hoc novavit, ſi novavit, noſter.

130 *Cum cernat uterque, Quod nec inops jaceat probitas*, illa conſtructio ſæculi illius labe eſt, qua Græcorum ὅτι ἀφηγηματικὸν Latinæ conſuetudini inſertum eſt: niſi tamen non *Quod* dedit Claudianus, ſed *Quam.*

131 *Fefellit*, indefinite ſ. aoriſtos poſitum, pro fallere ſolet, figura Græca Senecæ etiam ac Tacito familiaris.

133 *Arbitria corporis*, deſideria, vel imperia adeo, illecebræ voluptatum, fuga laboris ac doloris: *ſenſus* non corporis hic ſunt, viſus, auditus, ceteri; quamquam hic etiam quibusdam voluptatum obſequiis hebetantur: ſed facultates animi, ſubtile judicium de bonis & honeſtis.

134 *Circeas* herbas quibus Circen ſocios etiam Ulyſſis in beſtias mutaſſe fabulatur Homerus, ad voluptatem refert noſter Horatii exemplo Epiſt. 1, 2. 25 Quæ *pocula* ſi Ulyſſes quoque *ſtultus cupidusque bibiſſet, Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors. Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.* Pro Circe hic perſonam facit Luxuriem.

135 Deſiderari hic poteſt ſubjectum orationis, ad quod referatur *ulla*, *Furia* nempe, vel *ulla Furiarum*: quale quid etiam deinde obſervamus v. 215. Locum fuiſſe varie antiquitus diſceptatum, varietas lectionis indicat. Mirabar nemini in mentem veniſſe ſcribere, *ſed qua non* tetrior *ulla ultricum*, τῶν ποινῶν ſ. *Pœnarum*, ut alias vocantur Furiæ. *Ultrices* diſerte vocat Virg. 4, 473 & 610. Sed ſufficere poteſt ipſa deſcriptio. *Ultrices genæ* ita deſignant Furiam, ut ſolum nomen *ulla* ſuſtinere prædicata reliqua poſſit. *Tetrius fucata*, majori cum periculo & noxa ſucata. Fucus ipſe cum deprehenditur tetrum aliquid & abominabile habet: niſi quod delicatae alias, & ſubtiliſſimi palati genti aliud ab aliquo inde tempore placuiſſe ajunt, qui non miſeros putent maritos, quibus *viſcantur labra* fuco uxorum. Vid. Juvenal. 6, 461 ſq.

Ultrices fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris torvos auro circumlinit hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis:
Te numquam conata capit. Non prava libido
Stupris advigilat: non tempora ſomnus agendi
Fruſtratur: nullo citharæ convivia cantu,
Non pueris laſciva ſonant. Quis cernere curis
Te vacuum potuit? quis tota mente remiſſum,
Aut indulgentem dapibus, ni cauſſa juberet
Lætitiæ? Non indecores æraria laſſant
Expenſæ: parvo non improba littera libro
Abſentum condonat opes. A milite parcus
Diligeris; neque enim neglectas pace cohortes

Tunc

136 interius *vulg.* fuſcata, ſulcata, ſignata *al.* 137 circumligat *Vic. Vien. Baſ. marg.* circumluit, circumfluit, circumvenit *al. Cf. Heinſ. ad Aen. 6, 132 & ad Ovid. Art. 3, 232.* 140 fraudatur *MS.* furatur *conj. Heinſ.* 142 pueri *vulg.* 145 laxant *ex MSS. Plant. marg.* 147 condemnat *Vic. MSS. Heinſ.* commendat *al.*

137 Si eligendum ſit de varietate lectionis quod maxime placeat, non quod meliores auctores habeat, optarem *circumligat*, ut intelligantur vittæ quædam & infulæ de bracteis auri, quibus tegantur alligenturque ſerpentes, ne ſtatim appareant & terreant adſpicientes.

139 Ne quis jungat *nunquam* cum *conata*. Conata licet, in hac rerum affluentia, in tot occaſionibus & facultatibus, ſæpe ſit Luxuries te irretire, nunquam tamen capit.

145 Si *laſſant* eſt a Poëta, comparavit ærarium cum animali, metaphora reciproca, ut contraria ratione *exhauriri* animalia dicuntur laboribus. Sed cum *X* & *SS* ſolemniter miſceant librarii, licet etiam credere, *laxant* ſcripſiſſe Claudianum, h. e. ampliora faciunt, egerendis, quæ ibi ſervantur: ut laxiores fiunt eorum veſtes qui emaciantur etc.

146 Per epiſtolas Principum h. e. eorum, qui illorum nomine abutuntur, imperantur innoxiis etiam pecuniæ, fiſco adjudicantur univerſæ opes: nihil talium deſignatur a Stilichone.

147 *Condonat opes*, ſine juſta cauſa aliis vel fiſco adeo addicit per ſententiam, ſive ea ſpeciem judicii inter partes habeat, ſive reſcripti: cujus generis ſunt forte quædam eorum, quæ habentur in Titulo Codicis Theod. 9, 42 de bonis proſcriptorum ſ. damnatorum. *Parcus* minime effuſus in largitiones, ſed ſuo quemque ſtipendio contentum eſſe jubens, tamen a *milite*, quem emere cogebantur interdum etiam non mali imperatores, *diligeris*: qui oſtendunt ea re non pecuniam ab illis, ſed te amari.

Tunc ditas, cum bella fremunt. ſcis nulla placere
Munera, quæ metuens illis, quos ſpreverit, offert
Serus, & incaſſum ſervati prodigus auri.
Antevenis tempus, non exſpectantibus ultro
Munificus, menſæque adhibes, & nomine quemque
Compellas clari, quod ſub te geſſerit olim,
Admonitor facti; figendaque ſenſibus addis
Verba, quibus magni geminatur gratia doni.
Nec ſi quid tribuas, jactatum ſæpius idem
Exprobrare ſoles: nec quos promoveris, alto
Turgidus alloqueris faſtu: nec proſpera flatus
Attollunt nimios. quin ipſa ſuperbia longe
Diſceſſit, vitium rebus ſolemne ſecundis,
Virtutumque ingrata comes. contingere paſſim,
Affarique licet. Non inter pocula ſermo
Captatur, pura ſed libertate loquendi
Seria quiſque jocis nulla formidine miſcet.
Quem videt Auguſti ſocerum regnique parentem,
Miratur

150 ſpreverat *MSS.* 154 geſſerat *al.* 155 admonitum *MSS. Junt. Ald.* ammonitor *Vic. Vien.* 156 geminetur *malit Heinſ.* doni *vulg. ſed* nodi *ex MSS. Heinſ.* 157 jactantus *Cuj. forte* jactando. 163 affarique datur *MS.*

149 Conf. omnino 20, 319.

153 Cum hoc inprimis gratum ſit hominibus, *nomine* ſi ſuo *compellentur*, ad hoc ſuos habuere nomenclatores: ſed major gratia illius haud dubie, qui ſine tali miniſterio, & ultro & nominum & facinorum egregiorum meminit. Talia ſuo de Trajano Plin. Pan. 15, 5 *Prope omnes milites nomine appellas; ſingulorum fortia facta commemoras: nec habent adnumeranda tibi pro rep. vulnera, quibus ſtatim laudator & teſtis contigiſti.*

156 *Nodum amabiliſſimum amicitiæ* ipſi Tullio dictum Læl. c. 14, obſervavit Heinſius. Quod autem *Gratiam* hic appellat auctor, illud in mentem revocat illas apud Horat. Car. 3, 21. 22 *Segnes nodum ſolvere Gratias.*

159 *Flatus* imaginari oportet ventri velut utri incluſos. Hos *flatus*, hos ſpiritus & una utrem attollunt proſpera.

162 *Ingrata virtutum comes ſuperbia*, quia facit ut ipſæ virtutes, quibus ea adhæreſcit, gratæ eſſe, grato animo accipi deſinant.

164 *Pura libertas*, cui nihil metus ſervilis adjectum eſt: forte etiam excludere hoc epitheto poëta voluit impuritatem& turpitudinem ſermonis. Sed prius magis probo.

166 *Regni parens*, Patricii paraphraſis. Vid. 18, 109.

Miratur conviva parem; cum tanta poteſtas
Civem lenis agat. Te doctus priſca loquentem,
Te matura ſenex audit, te fortia miles:
Adſperſis ſalibus, quibus haud Amphiona quiſquam
Preferat Aonios meditantem carmine muros,
Nec velit Orpheo migrantes pectine ſilvas.
Hinc amor, hinc veris & non fallacibus omnes
Pro te ſolliciti votis: hinc nomen ubique
Plauſibus, auratis celebrant hinc ora figuris.
Quæ non incudes ſtreperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quantis fluerent fornacibus æra
Effigies ductura tuas? quis devius eſſet
Angulus, aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos colerent, talem ni ſemper honorem
Reſpueres? decus hoc rapiat, quem falſa timentum
Munera decipiunt, qui ſe diffidit amari.

Hoc

171 Aonias-muſas *MSS.* muſa *Cuj.* 173 fallentibus *MSS.* & *Raphel. it. Plant. marg.* 177 quæ ſufficerent *Junt.* & *reliquæ fere editt. Sed* quantis fluerent *Vic. Vien. MSS.*

167 *Summa poteſtas* ad ſignificandum hominem ſumma poteſtare præditum adhibetur: quod in Italia ita frequentatum eſt, ut hodie quoque vulgari ſermone magiſtratus appellent *Signore Podeſtà.* Itaque *Summa Poteſtas civem agit* ſignificat, Supremus magiſtratus gerit ſe ut civem, ut æqualem ceteris, & nihil eminere ſe putantem.

171 *Aonia* eſt Bœotia, quod diſerte eſt apud Stephanum Byz. voc. Βοιωτία. Itaque *muri Aonii* ſunt Thebani. *Dictus* enim *eſt*, ut ait Hor. A. P. 394 *Amphion Thebanæ conditor arcis Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda Ducere, quo vellet.* Hoc eſt *meditari carmine muros*, in eo carmine exerceri, quod valuit ad muros Thebarum ſtruendos.

172 *Nec velit*, nec deſideret, pro Stilichonis *ſalibus* audire Orphei carmen, cuius *pectine migrarunt* olim *ſilvæ.* Nominat pectinem, intelligit ipſum Lyræ cantum. Vid. ad 34, 15.

173 Non eſt ταυτολογία vitioſa *veris & non fallacibus*: ſed augendi cauſa aulica mendacia opponit vero.

175 *Auratas figuras*, licet *ora* tantum ſ. vultum nominet poëta, poſſumus tamen non modo clipeatas imagines, ſed totas etiam ſtatuas intelligere.

177 *Quantis* non quam magnis modo ſignificat, ſed pro more hujus ſæculi, *quot.*

181 *Falſa munera*, quae hoc nomen non merentur, cum non libere, non animo benevolo, ſed metu, & evitandi mali cauſa dentur.

Hoc ſolus ſpreviſſe poteſt, qui jure meretur,
Undique legati properant, generique ſub ore
In tua centenas optant præconia voces.
Grates Gallus agit, quod limite tutus inermi,
Et metuens hoſtile nihil, nova culmina totis
Aedificet ripis, & ſævum gentibus amnem
Tibridis in morem domibus prævelet amœnis.
Hinc Pœni cumulant laudes, quod rura tyranno
Libera poſſideant: hinc obſidione ſolutus
Pannonius, potorque Savi, quod clauſa tot annis
Oppida laxatis auſus jam pandere portis

Rurſum

183 hic *vulg.* tuetur *MS.* 185 aptant *vulg.* 186 milite *vulg.* *Sed* limite *jam Baſ. marg. Plant. marg.* 187 tectis *MSS.* notis *MS.* tutis *conj. Heinſ.* 189 prævallet *Heinſ.*

184 *Generi* tui Honorii *ſub ore*, nihil veriti, ne hoc inuidiam illius moveat, ut æmulum te ſui faſtigii odio habeat.

186 Parum ſolidam hanc laudem dicunt hiſtorici. Videri poteſt Schœpflinus vir Ill. Alſatiæ illuſtratæ T. 1 p. 219 it. 425. Ponamus, quia rarius illud opus eſt, quæ Marti. Bouquetus Scriptt. Franc. T. 1 p. 771 ad h. l. adſcripſit, „Gallus certe Stilichoni grates non egiſſet, ſi ejus perverſa noviſſet conſilia. Copiis enim Stilicho limitem imperii nudaverat, quo faciliorem Vandalis & Alanis aditum in Gallias præberet: ſperabat quippe, perturbatis Occidentis rebus, omnium animos & ſtudia in ſe verſum iri, & absque ullo negotio filium ſuum Eucherium renunciandum eſſe Imperatorem.„

187 *Totis ripis* itemque *tectis* auget beneficium pacis ita late patentis: *tutis* rem ipſam declarat.

188 *Sævum gentibus amnem* dicit Rhenum, ſævum & metuendum propter gentes accolas, Germanos communi nomine dictos, verum populorum nominibus & moribus diſtinctos.

189 *Prævelet*, ſimile verbo prætexat, tegat tanquam velis quibusdam pictis. Magis placet mihi quidem hæc Metaphora, quam alteram, quæ eſſet in *prævallet*. Neque enim de munitione ac tutela hic ſermo eſt, ſed de amœnitate ripæ, quæ cultis domibus ornata & quaſi velata eſt.

190 Tyrannus, qui hic memoratur, Gildo eſt. De *bello Gildonico* librum Claudiani habemus.

191 *Obſidionem* dicit more Romano, quo *obſidere* dicitur etiam, qui in proximo aſſidet hoſtis, & nocendi occaſionibus intentus eſt, licet circumdare urbem & operibus claudere ob paucitatem non poſſit. Ita Plin. Pan. 81 de feris venatione ſubmotis, *obſidione quadam liberatus agreſtium labor.* *Savus* hodie nomen ſuum ſervat, & incolis impertit, qui vocantur *die Sauſtræmer.*

Rurſum cote novat nigras rubigine falces,
Exeſoſque ſitu cogit ſplendere ligones,
Agnoſcitque caſas, & collibus oſcula notis
Figit, & impreſſo glebis non credit aratro.
Exſectis, inculta dabant quas ſæcula, ſilvis
Reſtituit terras, & opacum vitibus Iſtrum
Conſerit: & patrium vectigal ſolvere gaudet,
Immunis qui clade fuit. Te ſoſpite fas eſt
Vexatum laceri corpus juveneſcere regni.
Sub tot principibus quæcumque amiſimus olim
Tu reddis. ſolo poterit Stilichone medente
Creſcere Romanum vulnus tectura citatrix,
Inque ſuos tandem fines redeunte colono,
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.

Nec

194 rubras *MS. unde* ſcabras *conj. Heinſ.* 196 agnoſcis cauſas *Vic. Vien. Junt. Baſ. Plant. MSS.* agnoſcitque caſus *Ald. Vien. marg. Raph. & rel. ex MSS.* agnoſcit caulas *conj. Barth. & habet MS.* 197 cedit *Baſ. Plant. Barth.* 2. 204 te reddi ſolo poterunt - Creſcet *MSS.* 205 vulgus *Cuj.*

194 *Nigras* etiam *rubigine falces* dici poſſe, h. e. obſcuras, oſtendit ex Propertio 2, 19. 55 ipſe Heinſius, qui *ſcabras*, velut proprium rubiginis & naturale epitheton rubiginis, hic mallet. Verum & hic de Heinſii conſilio dedit Brouckhuſius, *Sed tamen & ſcabra teritur robigine mucro.* Apud Luca. 1, 243 utrumque jungitur, *Et ſcabros nigræ morſu rubiginis, enſes.*

196 *Oſcula figere* terræ, vel ut hic *collibus* antiquiſſimæ ſimplicitatis religio, jam uſurpata ab Homerico Agamemnone Od. Δ, 522 Καὶ κύνει ἁπτόμενος ἣν πατρίδα. Sic Ulyſſes Od. N, 354 κύσε ζείδωρον ἄρουραν. Cadmus apud Ovid. Met. 3, 24 *Peregrinæ* in quam novus civis advenit, *oſcula terræ Figit, & ignotus montes* (ut hic colles) *agroſque ſalutat.*

197 *Non credit* etiam *impreſſo* jam *aratro* colonus reſtitutus, metuens ne ſomnium ex votis ortum ſibi illudat. Figura, qua utitur etiam divinus poëta Pſ. 126, 1.

199 *Opacum vitibus Iſtrum* jam fecerat Probus, de quo Aur. Victor c. 37 *Galliam, Pannoniaſque & Mæſorum colles vinetis replevit.*

200 Videntur duæ velut claſſes fieri, aliorum qui vaſtata vel inculta colere & conſerere incipiunt; bis data ad certos annos immunitas: aliorum, qui *clade* ſuperiore *immunes* fuerant, certe non aucta ſunt tributa, qui adeo gaudent ſolvere *vectigal patrium*, cui adſuevere.

207 *Illyricum* ſedes præcipua turbarum illius ſæculi. Vid. 5, 201.

Nec tamen humano cedit cæleſte favori
Judicium. cingunt Superi concordibus unum
Præſidiis, hoſtesque tuos aut litore produnt,
Aut totum oppoſiti claudunt fugientibus æquor,
Aut in ſe vertunt furiis, aut militis enſe
Bacchati laniant Pentheo corpora ritu:
Inſidias retegunt, & in ipſa cubilia fraudum
Ducunt, ceu tenera venantem nare Moloſſi.
Ominibus ventura notant, aut alite monſtrant,
Aut monitos certa dignantur imagine ſomnos.
Pro quibus innumeræ trabearum inſignia terræ
Certatim petiere tibi. poſcentibus ipſe
Reſtiteras, & mens aliorum prona favori,
Judex dura ſui, facibus ſuccenſa pudoris,
Tarda verecundis excuſat præmia cauſſis.
Ergo avidæ, tantoſque novi ſpe Conſulis annos
Eluſæ,

215 Moloſum *MSS.*

210 *Litore proditus*, ac deſtitutus eſt præſertim Andragathius Maximi tyranni ſocius, de quibus Zoſimus 4, 46 & 47. De Gildone Oroſ. 7, 36 *Gildo & ipſe fugam molitus*, *arrepta navi in altum provectus*, *ac deinde revocatus in Africam*, *poſt aliquot dies ſtrangulatus interiit.*

212 *In ſe verſi furiis* Andragathius, qui in mare ſe præcipitavit, Zoſimus l. c. Arbogaſtes, qui manus ſibi intulit, Zoſim. 4, 58. *Pentheo ritu* laceratum a militibus Rufinum, ipſe noſter refert 5, 400 ſqq.

215 Non videtur negligenda lectio manuſcriptorum, *Moloſſum*, unde ſententia hæc oritur, *DI in ipſa fraudum cubilia ducunt*, intell. vindicem, ceu Moloſſum: ut non DI comparentur Moloſſis, ſed Principes vel eorum miniſtri, ultores fraudum. *DI ducunt* intell. eos, quos opus eſt, non expreſſo ſubjecto: qualem ellipſin paullo ante notavimus v. 135.

217 *Monitos ſomnos* dicere voluit ſomnos eorum, quos monere aut monitos eſſe volunt DI. Hos dignantur imagine & repræſentatione futurorum certa.

218 Pro his omnibus meritis tuis, Stilicho, quæ adhuc enarrata ſunt, *innumeræ terræ*, provinciæ ac civitates plures optarunt te conſulem fieri.

222 *Tarda præmia excuſat.* Non, puto, hoc vult, excuſari a Stilichone Imperatorem, qui tam tarda ſibi præmia tribuat: ſed excuſat, h. e. deprecatur præmia licet matura adeo, ut tarda potius debeant videri. *Verecundæ* cauſæ ſunt non tam veræ, quam modeſtæ.

223 *Tantos annos* pro tot, huic ſæculo familiare, nec inſolitum plane ſuperioribus.

Eluſæ, dominæ pergunt ad limina Romæ:
Si minus annueris precibus, vel cogere certæ
Cunctantem, vòtoque moras auferre paratæ,
Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino. Glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque intexta mícantem
Veſte Tagum, tales profert Hiſpania voces:
„Cuncta mihi ſemper Stilicho, quaecumque popoſci,
Conceſſit, tantumque ſuos invidit honores.
Auguſti potuit ſoceri contemnere faſces:
Jam negat & genero. ſi non ut ductor, ab orbe,
Quem regit, accipiat ſaltem cognatus ab aula.
Exiguumne putet, quod ſic amplexus Iberam
Progeniem noſtris immoto jure nepotes
Suſtinet, ut patrium commendet purpura Baetin?
Quod pulchro Mariæ fecundet germine regnum?

Quod

225 annuerit *al.* 236 putet *MSS.*

228 Hiſpaniæ primæ provinciarum, patriæ Theodoſii, dat pro corona *Folia Minervæ*, ramos oleæ, cujus arboris feracem præter ceteras terras eſſe Hiſpaniam, conſtat. Hinc ramum olivæ tenet etiam in nummis Hadriani. *Glaucos* etiam *fructus olivæ* dixit noſter 20, 271. De foliis Plin. 16, 24 *Oleæ ſuperna candidiora, & minus levia.* Nempe glaucus color ex viridi & albo miſtus eſt. Porro Hiſpania eſt *intexta Tagum micantem*, aurum e fluvio ſuo quæſitum gerit veſti intextum, quæ veſtis inde *fulva* eſt.

232 *Invidere* eſt non tribuere: affectus nominatur, ut intelligamus actum, qui proficiſci inde ſolet. Ut Horat. Ser. 2, 6. 83 *Neque ſepoſiti ciceris neque longæ invidit avenæ* mus agreſtis urbano: Et Græce ἐφθόνησάς μοι τοῦ ζωμοῦ, invidiſti mihi jus, in charactere τοῦ μεμψιμοίρου apud Theophraſtum. Ergo Stilicho Romæ ſuos invidit honores, ſignificat, non dedit hoc petenti Romæ, ut Conſulatus honorem ſibi oblatum reciperet. Simili figura *contemnere faſces* eſt non accipere ſibi delatos.

235 *Cognatus* improprie ponitur: affinis erat aſſumtus a Theodoſio, filiam ſuam Theodoſii filio collocarat.

236 *Ibera* ſ. Hiſpana *progenies* Theodoſii filii. Vid. ad 7, 189. Hi ſunt, quos *nepotes* ſuos vocat Hiſpania, quia pater illorum ipſius filius.

237 *Immoto jure*, fide optima, ut nihil ſibi non datum a Theodoſio arroget, nihil juri pupillorum ſuorum derogari patiatur.

238 *Purpura* Auguſtorum honori eſt Hiſpaniæ unde orti ſunt, quæ hic Bæti fluvio ſignatur.

239 Illud de *fecundo germine* Mariæ omen eſt, vanum, ut poëtarum pleraque. Improlis Maria obiit. Fruſtra itaque Stilicho *ſperatur* futurus *avus dominis*, Auguſtis ex Honorio & Maria naſcendis.

Quod dominis ſperatur avus?,, Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque geſa tenens, animoſo pectore fatur.
„Qui mihi Germanos ſolus Francoſque ſubegit,
Cur nondum legitur faſtis? cur pagina tantum
Neſcit adhuc nomen, quod jam numerare decebat?
Uſque adeone levis pacati gloria Rheni?,,
Inde Caledonio velata Britannia monſtro,
Ferro picta genas, cujus veſtigia verrit
Cærulus,

240 domini *Baſ. & al.* 247 vallata Brit. ponto *conj. Heinſ. ut* 26, 188 vallata mari Scironia rupes. 248 ſecta *vel* puncta *conj. Heinſ. pro* verrit, lambit *MS.*

240 Hic pingitur Gallia, *flava* comam, *crinita*, ut illius reges, *torquata*, ut ille, a quo Manlius cognomen invenit Gell. 9, 13: *gæſa* vibrans quod Gallicum telum eſſe vidimus 20, 249.

243 *Francos* ſubegit tum Stilicho, certe repulit, qui non ita multo poſt Pharamundo duce rerum Gallicarum potiti ſunt.

244 *Pagina* honorum, de qua Schol. Juven. 10, 57 *Aenea pagina* (lamina) *quæ ante imaginem ſtans, omnes eorum gradus honorum inſcriptos continet, quam nunc dicimus* tabulam patronatus. Hæc tabula igitur honorum Stilichonis *neſcit*, non habet, *nomen* conſulis, quod jam *numerare decebat* adjectis numeralibus adverbiis *iterum*, *tertium* &c. Exſtant duæ tales tabulæ Stilichonis, quas damus in Prolegomenis, quarum altera conſulem neſcit, altera bis conſulem habet.

246 *Caledanium monſtrum* quid eſſet, difficile eſſet dicere, Barthio ipſo putante, hoc nomine univerſim indicari monſtrum aliquod ignoratum; niſi exſtaret Martialis epigramma Amphith. 7 *Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo.* Nota tum ſatis erat poſt Agricolæ victorias Britannia, cujus ſeptentrionalem partem incolebant Caledonii. Fingit poëta, & quis dixerit, an non viderit in nummo vel monimento alio? Britanniam urſi exuviis galeatam atque loricatam, ut ille apud Virgilium Aen. 5, 37 *Aceſtes, pelle Libyſtidos urſæ horridus.* Antiquiſſimum genus armorum docent Hercules, & illi in Statiana Thebaide circa 1, 482 mox affines futuri, Polynices Leoninam indutus, apri vero pellem Tydeus. Sic videmus paſſim in nummis Africam capite elephanti galeatam etc. Nec eſt quod quis objiciat Eumenium Paneg. Conſtantini ſ. 6, 9 *Nemora Britanniæ ſine immanibus beſtiis* prædicantem, non minus quam *terram ſine ſerpentibus noxiis.* Non usque quaque ille verum dicere potuit; potuit intelligere de Meridionali & cultiore parte. Forte jam tum ludo & joco ſibi habuere nobiliores urſorum genus, qua de re conquerentem legimus Eraſmum adagio Melitæus catellus p. 361 Wech. *ſed intolerabilius eſt, quod apud Britannos complures alunt* greges urſorum *ad ſaltationem, animal vorax & maleficum.*

248 *Ferro picta genas* eadem ſeptentrionalis Britannia, unde *nec falſo nomine Pictos* dixit noſter 7, 54 & 26, 417 *Ferro notatas figuras* illis tribuit. Et Sidon. Car. 7, 244 eos *Ferro perarare genas* canit.

Cærulus, Oceanique æſtum mentitur amictus,
„*Me quoque vicinis pereuntem gentibus,* inquit,
Me juvit Stilicho, totam cum Scotus Iernen
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne tela timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne litore tuto
Proſpicerem dubiis venturum Saxona ventis.„
Tum ſpicis & dente comas illuſtris eburno,
Et calido rubicunda die, ſic Africa fatur:
„*Sperabam nullas trabeis Gildone peremto*
Naſci poſſe moras. etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitat faſces praebere triumpho?
Qui mihi Maurorum penitus lacrimabile nomen

251 me juvit *MS.* Hibernam *vel* Ibernam *vel* Hybernam *vulg.* Iernam *Raphel. Barth.* Ivernen *it.* Inermem *MSS* Iernen *Heinſ.* 253 bella *vulg.* tela *MSS.* vela *conj. Heinſ.* 254 toto *vulg.* tuto *MSS.* & *Heinſ.* 1. 255 aſpicerem *Raphel.* Santona *MS. hic* & *al.*

249 Eo ipſo quod *cærulus* eſt Britanniæ amictus, *mentitur* & aſſimilat *æſtum* ſ. aquam æſtuantem *Oceani.* Vehementia fluxus & refluxus circa Britanniam facit, ut *æſtum* dicere quam *undas* poëta maluerit. Ceterum in nummo Hadriani repræſentatur nuda ſedens in rupe haſtata, acclinem ſibi habens clipeum.

251 *Ierne* ἰέρνη ſ. ἰερνὶς νῆσος antiquiſſimum & Orphicum nomen Hiberniæ, Argon. 1179. Uſus noſter etiam 8, 33.

254 *Scoti & Picti*, ſeptentrionalis Britanniæ barbari, ad quos arcendos illi muri transverſi ſ. valla ab Hadriano, tum ab Antonino & Severo exſtructa & ſubinde magis ad ſeptentrionem promota ſunt, cujus rei pleniſſimam hiſtoriam debemus Horslejo in Britannia Romana. Verba, *ne litore tuto* etc. ita capienda, ne *proſpicere* cum ſolicitudine & metu opus eſſet, quia tutum Stilichonis beneficio litus erat, *Saxona.* Hunc tamen populum L circiter annis poſt ea tempora, de quibus hic agitur, ſedem fixiſſe in Britannia, conſtat.

256 *Spicis*, quas manu præfert fertilitatis ſignum, & capite cum *dentibus* ac proboſcide elephantina, inſignis Africa frequens eſt in nummis Hadriani v. g. apud Arſchota. 39, 12 - 15 it. Severi, ut ibidem 53, 12. Elephanti exuvias in capite eo minus mirabitur, ſi quis cogitet ſpeciem humana majorem his deabus tribui, ut nominatim Africæ a Plin. Epiſt. 7, 27.

257 *Rubicunda*: neque enim omnes Africani Aethiopes ſ. nigri.

258 *Trabeas* conſulares & *faſces* bello Gildonico meruit Stilicho: triumphus ſine his inſignibus ſummi magiſtratus mancus videri poteſt.

261 *Penitus* jungendum videtur cum verbo *ignorare*: ita funditus deleta illa rebellio, ut ne nomen quidem auctoris vel partium illius audiatur.

Ignorare dedit.„ Poſt has Oenotria lentis
Vitibus intorquens ederas, & palmite largo
Vina fluens, „*Si vos adeo Stilichone curules*
Augeri flagratis, ait, *quas ſola juvare*
Fama poteſt: quanto me dignius incitet ardor,
Ut praeſente fruar, conſcendentemque tribunal
Proſequar, atque anni pandentem clauſtra ſalutem? „
Talibus alternant ſtudiis. Romamque precantes
Pro cunctis hortantur eat. nec ſegnius illa
Paruit officio, ſed raptis protinus armis
Ocior excuſſo per nubila ſidere tendit.
Tranſvehitur Tuſcos, Apenninuſque volatu
Stringitur: Eridanus clipei jam fulgurat umbra.
Conſtitit ante ducem, tetrica nec Pallade vultum
Deterior, nec Marte minor. Tremit orbe coruſco

Jam

262 poſt hæc *vulg.* has *Heinſ. ex MSS.* lentas *MSS.* 264 curulem *MSS.* 266 incitet *MSS.* 274 ſubfulgurat *MSS. forte recte.* 275 vultu *al.* 276 ore *vulg.*

262 *Oenotriæ* antiquo nomine Italiæ utitur ad hoc ipſum, ut etiam illud inſignium quae dat ei, admonere lectorem poſſit. Nam a vini uſu (ἀπὸ τῆς ὄινυ χύσεως) dictam olim Italiæ partem extremam ad Ortum, jam voluit Piſander apud Stephanum de verb. & pop. Sic & Serv. ad Aen. 1,536 etc. Ceterum nondum obſervavi, utrum in monimentis nummorum vel aliis hoc inſigne vitis & ederæ, quam Baccho ſacram alioqui novimus, Italiæ, quatenus Dea eſt, tributum ſit. Splendida eſt imago in nummo Commodi ap. Arſchot. 51, 5 ubi orbi inſidet cum galea turrita, haſtata, manu tenens cornu copiæ.

269 *Romam* etiam hic perſonam vel Deam facit Poëta, quæ rogatu Provinciarum pergit a ſede ſua ſepticolli Mediolanum, ubi tum erat ſedes imperii, ad Stilichonem in aula morantem.

272 Meteoron illud deſcribit, quod ſtellam cadentem antiqui, emungentem noſtrum vulgus appellat. Vid. 17, 111.

274 *Eridanus*, Padus hodie, accipit & repercutit ſ. ut loquuntur Mathematici reflectit imaginem clipei, qua Roma, Minervæ inſtar, ornata eſt.

275 *Tetrica* epitheton Palladis etiam Martiali 10, 19 *Totas dat tetricæ dies Minervæ. Tetricæ puellæ* Ovidio Art. 1, 721 ſeveræ ab honeſtate. Martialis etiam *tubas* vocat *tetricas* 7, 79. Horribile quiddam ac ſeverum notat.

276 *Clipeus* non ad tutandum modo corpus pertinet, ſed ad terrendum in primis adverſarium tum fulgore politi metalli, tum ſono laminæ ab haſta percuſſæ. Vid. Burm. ad Petro. c. 56.

Jam domus, & ſummæ tergunt laquearia criſtæ.
Tum prior attonitum gratis affata querelis:
„*Servatas, Stilicho, per te, venerande, curules,*
Ornatas nec dum, fateor. Quid profuit anni
Servilem pepuliſſe notam? defendis honorem,
Quem fugis; & ſpernis, tanta quem mole tueris;
Reſpuis oblatum, pro quo labente reſiſtis?
Quænam cauſſa moræ? quo me cunctabere rurſus
Ingenio? nullus Boreae metus, omnis & Auſtri
Ora ſilet, cecidit Maurus, Germania ceſſit,
Et Janum pax alta ligat. te Conſule nec dum

280 annis *malit Heinſ.* 282 tota *MSS.* 284 quo jam *al.* 285 in Auſtrum *MS.* & aſtra *MS.* Eos & Auſter *al. unde* Auſter & Eos *conj. Heinſ.*

277 Magnitudinem Romæ pingit, quæ criſtis galeæ tergeret laquearia. Quidſi ſimile quid ſpectavit in Jove ſuo Olympico Phidias, quem neglecta quodammodo ſymmetria ita magnum fecit ſedentem, in templo licet maximo, ut vertice pene culmen tecti tangeret, eamque præberet intuentibus ſpeciem, ſi conſurgeret, tectum capite ſublaturum: quod reprehendere videtur, qui narrat Strabo l. 8 p. 244. Forte voluit Phidias eodem & magnitudinem Jovis, & *συγκατάβασιν* ſive demiſſionem ad humilitatem hominum, oſtendere.

278 *Attonitum* Stilichonem ad oblatam ſibi ſpeciem Deæ Romæ probaverim in hiſtoria, V. G. Bruti cum malum ſuum genium videt & audit, vel Curtii Ruſi cum videt ſpeciem Africæ: Stilicho debebat jam familiaritatem cum hac Dea contraxiſſe.

281 *Servilis nota* inuſta erat anno conſulatu Eutropii: hanc *pepulit* evertendo illo Stilichon. Obſervemus jucundam *ἐπάνοδον*, quæ rem duplici a facie conſiderat, duplex continet enthymema, licet neutrum ſatis videatur firmum: poteſt enim quis defendere honorem, quem ipſe nolit ſuſcipere; aut recuſare quem defenderit. Interim ſpecioſa tamen & probabilis oratio, Quem quis defendit honorem, eum non debet fugere, cum optima ſit defenſio, ſi illum ſuſcipiat.

283 In verbo *reſiſtis* eſt pictura Herculis alicujus, labentem jam molem oppoſito humero excipientis.

284 *Cunctari* ut *morari*, *properare* & ſimilia etiam tranſitive cum quarto caſu ponere ſolet noſter. Supra 10, 21 *Cunctatur mea vota ſocer.* Et 36, 322 *Non dubio Syrtes cunctabitur æſtu.* Plura dedit ex aliis ad h. l. Heinſius.

285 *Boream & Auſtrum* de barbaris illarum plagarum incolis poni, apertum. Eſt hic Chiaſmus, Germania poſterior ad priorem Boream pertinet, Maurus prior ad poſteriorem Auſtrum.

287 *Janum* hic *ligat Pax*, hoc eſt, ſi convenire cum aliis volumus noſtro, includit templo ſuo, ut *vincula* dicuntur pro omni cuſtodia. Magis tamen placet, quia

Digna feror? titulumne levem, parvique nitoris
Credimus, Auguſti quo ſe decorare fatentur?
Sub juga quo gentes captivis Regibus egi?
Num, ſi prodigiis caſus natura futuros
Signat, polluimur macula. quod reris, Eois
Omen erat. Quamquam nullis mihi cognita rebus
Fabula. vix tanto riſit de crimine rumor.
Opprobrii ſtat nulla fides, nec littera venit
Vulgatura neſas: in quo vel maxima virtus
Eſt tua, quod, noſtros qui conſulis omnia Patres,

De

289 quod *MSS.* qui *al.* quem *conj. Heinſ.* 291 num *MS. quod placet.* 292 rebus Eois *vulg.* reris *ex MSS. Heinſ.* quod nomen eois Omen erat *MS.* 293 crimen erat *MSS.* opprobrium *MS.* credita *MS.* 294 diſcrimine *MSS.* 295 opprobriis *vulg.* opprobrii *MS. quod placet. Litera S adhæſit ex* ſtat, *quod ſequitur.*

magis cum Mythologia (quæ hic pro Vero eſt) convenit, Virgiliana deſcriptio Aen. 1, 293 *Diræ ferro & compagibus altis Clauduntur belli portæ. Furor impius* (non Janus) *intus Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus aënis Poſt tergum nodis fremet horridus ore cruento* Janus mitis Deus, felicitatis auctor etc. *Nec dum* h. e. ne nunc quidem, poſtquam tuo beneficio ita honorata, ita pacata ſuum te digna *feror*, habeor, putor. Ita conculcata a barbaris, contemta ab hoſtibus rep. conſulatum ſi quis dedignetur non eſt mirandum. Hic contra ſe habent omnia.

289 *Auguſti fatentur ſe decorare* conſulatu, altero *ſe* omiſſo: ut *fatetur dixiſſe, ait fuiſſe celerrimus*, & ſ. g. a. Heinſiana emendatio ambiguitatem inducit.

290 *Quo*, intell. fine, conſilio, fructu? Ut *Quo mihi divitiæ, ſi non conceditur uſus?*

291 Hinc incipit occupatio objectionis, Conſulatum ita pollutum eſſe conſule Eutropio, ut vir magnus illum merito dedignetur. Reſpondet autem duo Poëta, primum illud vel malum omen vel dedecus ad ſolum Orientem & conſulatum Byzantinum pertinet, Romæ nec auditum certe non creditum: deinde a v. 311 ſi ponamus, eſſe pollutum ab Eunucho conſulatum, per te, Stilicho, debet ille majeſtatem ſuam recuperare. *Prodigii* inſtar fuiſſe illum conſulatum multa cum exaggeratione cecinit poëta in primi pariter ac ſecundi libri in Eutropium ingreſſu. Nunc Romam facit ita loquentem, Quod putas omen vel crimen adeo fuiſſe illum Eutropii conſulatum, non erras plane; ſed erat tantum imperio Orientis.

293 *Nullis -- rebus*, non pompa, vel proceſſu, non edictis, non faſtis, Romæ conſulatus Eutropii oculis ingeſtus eſt.

297 *Conſulere patres* proprium conſulis munus, a quo nomen habet: duplicem accuſativum habet hoc verbum, ut *doceo, rogo*, ſimilia, alterum nempe Græcum, omiſſo κατὰ, *ſecundum*, *quod ad.*

Lauda-

De monſtris taceas. pellendi denique nulla
Dedecoris ſanctum violant oracula cœtum,
Nec mea funeſtum verſavit Curia nomen.
Pars ſceleris dubitaſſe fuit. quæcumque profana
Pagina de primo veniſſet limite Phœbi,
Ante fretum deleta mihi, ne turpia caſtis
Auribus Italiae fatorum exempla nocerent.
Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)
Secretum meruit. laetetur quiſquis Eous
Scribere deſierit: faſtos portenta Gabinos
Iſta latent. propriam labem terſiſſe laborent.

Z 4 *Cur*

297 taceas pellendis denique *ante Heinſ.* 301 par ſceleri *conj. Heinſ.* 303 delata *MSS.* 308 raſiſſe *placet Heinſ.* texiſſe, ſtrinxiſſe, traxiſſe, tranſiſſe *MSS.*

Laudatur Stilicho, quod de Conſulatu Eutropii nihil ad Senatum Ro. retulerit, quod facere, licet Conſul non eſſet, poterat.

298 *Oracula nulla dedecoris* hujus *pellendi*, nullum edictum, nullum reſcriptum, epiſtola nulla de Eutropii pœna, Romam venit aut ad ſenatum Ro. Reſcriptum Arcadii de ea re miſſum ad Aurelianum Præfectum Prætorio Orientis l. 17 C. Theod. de Pœnis. *Oraculorum* nomen de talibus Principum imperiis ea tempeſtate adhibebant. Sic l. 51 C. Theod. de hærett. ubi vid Jac. Gothofr. Porro hæc oracula, talia reſcripta de Eutropio, *violatura* erant, pudore quidem certe affectura *ſanctum cœtum* Senatus Romani. Itaque Romana *Curia* non *verſavit*, neque retulit in faſtos, neque ex iis delevit *funeſtum* Eunuchi *nomen.*

301 *Dubitaſſe*, an forte in honorem Arcadii etiam per Occidentem Eutropius agnoſcendus eſſet Conſul? De hac ipſa re, inquam, dubitaſſe & animi pependiſſe, jam *fuit pars ſceleris*. Quin quidquid indignum & indecorum Conſtantinopoli mitteretur, (*primus limes Phœbi* eſt Oriens) illud antequam mare trajiceret exceptum atque *deletum*, abolitumque eſt.

303 *Turpia fatorum exempla*, non, puto, hoc ſenſu dixit, quaſi fata ipſa turpia eſſent: ſed hoc vult, fato quodam exſtitiſſe illa exempla turpia; Stilichonem tamen interceſſiſſe, ne ea ſtatim innoteſcerent Italiæ, & ibi quoque nocerent, ne veteris etiam Romæ Conſulatus ad exemplum novæ evileſceret.

305 *Furor* fuit, Eutropium eſſe Conſulem, *publicus* fuit, toti Orienti innotuit: & tamen *cura* tua, Stilicho, ſecretus manſit & occultus Italiæ. *Meruit* enim *ſecretum* hic ſignificare conſecutus eſt, ita apparet rem ipſam conſideranti, ut hic ipſe locus ad illum intellectum firmandum vel maxime valeat.

306 *Lætentur* Græci, quod Arcadii juſſu deſierunt ſcribere nomen infauſtum in faſtis: *Gabini* h.e. Romani, Italici, *faſti* (vid. 24, 83) plane ignorant hoc nomen, quod portenti inſtar inceſtavit Græcos. *Propriam* ſibi non communem cum Italia *labem* atque maculam eluere ſtudeant.

Cur ego, quem numquam didici ſenſive creatum,
Gratuler exemtum? Delicti pœnitet illos:
Nos nec credidimus. Fuerit tamen omnibus unum
Crimen, & ad noſtras manaverit uſque ſecures:
Plus ideo ſumenda tibi faſtigia juris,
Ne pereat tam priſcus honos, qui portus honorum
Semper erat. Nullo ſarciri Conſule damnum,
Excepto Stilichone, poteſt. Bene præſcia tempus
Mens tua diſtulerat. titulo tunc creſcere poſſes;
Nunc per te titulus. Conſul ſuccurre gravatis
Conſulibus, quicumque fuit, quicumque futurus.
Annum redde tuum, quem mox ſecura ſequatur
Poſteritas, nec jam doleat defenſa vetuſtas.
Sit trabeis ultor Stilicho, Brutuſque repertor.
Libertas populi primo tunc Conſule Bruto
Reddita per faſces: hic faſcibus expulit ipſis
Servitium: inſtituit ſublimem Brutus honorem:
Aſſeruit Stilicho. plus eſt ſervaſſe repertum,
Quam quaeſiſſe novum. Quid tardius ore rubenti
Annuis, & ſolitus frontem circumfluit ignis?

Tandem

309 quæ *vulg.* 310 gratulor *vulg.* 311 nec nos *al.* nos nec credimus *Vic.* credamus *Vien.* 313 faſt. rerum *MS.* vitæ *MS.* 320 ſuum *malit Heinſ.* 323 te conſule, Brute *MS.* 327 verendo *ante Heinſ.* 328 inſolitus *vulg.* an ſol. *Barth. ex MS.* en *vel* ut ſolitus *vulg.* *conj. Heinſ. pro* ignis *MSS.* amnis.

313 *Plus* hic idem valet, quod tanto magis, ut Galli, *a plus forte raiſon.* Etiam Cicero ſolet *non plus quam* ponere pro *non magis* etc.

314 *Portus honorum*, in quo acquieſceret ambitio & curſum honorum finiret.

315 *Damnum* quod fecit conſulatus ſuæ exiſtimationis, per indignitatem Eutropii, non poteſt ullo alio *Conſule ſarciri.*

320 *Annum* hunc, nomine tuo præſcribendo, *redde tuum.* Stilichonis enim annus eſt, quo ille Conſul fuit. Hunc annum ſequi, Conſulatum ſuſcipere, quem Stilicho non dedignatus eſt, annos Romanos ſuo nomine ſignare, poſt ea nemo dubitabit. *Defenſa* tanquam amuleto nominis tui, Stilicho, *vetuſtas non* amplius *dolebit* in ſuis ſucceſſoribus fuiſſe eunuchum.

328 *Solitus ignis*, rubor ille, pudoris color, qui *circumfluit* cum ſanguine: quamquam etiam ipſe ignis motus *fluendi* verbo ſolemniter ſolet exprimi. *Flare*, *fluere*, *flamma*, *flagrare* ex naturali ſono videntur facta omnia.

Tandem vince tuum, qui vincis cuncta, pudorem.
Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo
Te certum eſt, mirare, libens ac ſuſcipe cinctus,
Quos tibi divinò mecum Tri onia duxit
Pectine. tincta ſimul repetito murice fila
Contulimus penſis, & eodem nevimus auro,
Aurea quo Lacheſis ſub te mihi ſaecula texit.
Hic ego promiſſam ſobolem, ſperataque mundo
Pignora praeluſi. veram mox ipſe probabis
Me vatem, noſtræque fidem venientia telae
Fata dabunt.„ Dixit, gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas. Inſigne Minervam
Spirat opus. rutilis hic pingitur aula columnis,
Et ſacri Mariæ partus. Lucina labores

329 vincis quo *MSS.* 331 poſſe queas *Vic. Vien. Ald.* & *MSS.* noſſe queas *MS. ſed* te certum eſt *jam Baſ.* 336 his ego *malit Heinſ.* 340 Minervæ *ante Heinſ. qui* Minervam *dedit ex MSS.* 342 dolores *al. ſed* labores *etiam Vic.* & *Vien.*

331 *Mirari* etiam hic non eſt ille motus ab ignoratione cauſarum vel modi, quo aliquid exſtitit, ortus; ſed ſignificat magnum, ſtudio noſtro dignum in utramque partem putare, ut in illo Stoicorum *Nil admirari* apud Horatium 1, 6. 1. Vult Roma, Stilichonem *mirari cinctus*, quos offert, hoc eſt pulchros, ſe dignos, expetendos, lubenter accipiendos putare. *Cinctus* eſſe ornamenta conſularia illius temporis, *Lorum* illum, oſtendi ad 7, 3. Huc convenit illud, quod mox dicitur, *duxit* Tritonia, quod muricis h.e. purpuræ & auri fit mentio. Minervam eſſe Tritoniam eandemque non texendi modo artis magiſtram, verum etiam ſapientiæ rectricis & bellicæ auctorem, hic recordabuntur lectores.

334 Splendide dictum, ſed quod nimis ſcrupuloſe exquirere ad verum non licet: certe illud *eodem* non eſt ad vivum reſecandum. Hoc vult, ſi figuram tollas, aureus ille Lorus conſularis ſymbolum eſt felicitatis, quam fila aurea, de colo Lacheſis primæ Parcarum ducta, ſignant.

336 *Hic ego*, in hac veſte, vel *bis ego* filis lori & trabeæ conſularis *præluſi*, divinatione quadam uſa intexui, figuram ſobolis quæ ex nuptiis filiæ tuæ Mariæ cum Honorio mundo promittitur. Hic nempe ſumit occaſionem poëta intexendi omina pro felici partu Mariæ, cujus picturam hic Roma in *veſte* Conſulari (quæ *Picta* jam aliquamdiu eſſe ſolebat) exhibet: ut clipeo Aeneæ poſterorum illius fata inſcribit Virgilius.

340 Vix decernas, utra lectio elegantior ſit, *Opus Minervæ ſpirat*, vivere videtur, ut *ſpirantia molliter æra* Maronis: an *opus ſpirat Minervam*, h. e. indicat artificem. Conf. 8, 592.

341 *Rutilæ* columnæ ex marmore porphyretico.

Solatur: reſidet fulgente puerpera lecto.
Sollicitæ juxta palleſcunt gaudia matris.
Suſceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lavant. Teneros in ſtamine riſus,
Vagituſque audire putes. Jam creverat infans
Ore ferens patrem: ſed avus maturior ævi
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte alia ſpumis fucantem Serica frena
Sanguineis, primæ ſignatus flore juventæ,
Eucherius flectebat equum, jaculiſque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua cervos
Aureus ipſe ferit. Venus hic invecta columbis
Tertia regali jungit connubia nexu,
Pennatique nurum circum ſtipantur Amores
Progenitam Auguſtis, Auguſtorumque ſororem.

Eucherius

344 matri *conj. Heinſ.* 346 in ſtam. *MSS.* 348 Stilicho' mat. ævo *vulg. ex gloſſ.* ſed avus *etiam Cuj. & MSS. plur.* 350 fumantem *vel* ſpumantem *fere al.* fucantem *etiam Baſ. marg.* undantem *MS.* 356 torum *MSS.*

344 *Palleſcunt gaudia.* Uno verbo mirifice auget affectum. Magnum ex magno metu gaudium habet aliquid terrori ſimile, tam vehemens quidem, ut aliquot matres inſperatus ſubitusque filiorum, quos mortuos putabant, conſpectus interfecerit.

346 *Auri* liquidi *fons* ne Midam faciat, metuam ego. Si voluit poëta ſignificare materiam filorum, quæ fontem i. aquam repræſentant, malim argentum adhibuiſſet. Sed fontis nomine forte intellexit pelvim auream.

347 *Jam* in novo velut loculamento operis acu picti, exhibetur puer adultior. Tales diviſiones magnæ picturæ in diverſas velut tabulas amant poëtæ: tales quidem invenies in omnibus illorum clipeis. Tales alias quoque in uſu, quod olim oſervavi ad Quinctiliani ſiparium 6, 3.72.

350 Equus *fucat frena* h. e. tingit ſpuma ſanguine permixta. Vid. 8, 549. it. 35, 202 & ex aliis Heinſ. ad h. l.

353 Hic, puto, *aurea & purpureos*, ad colorem filorum veſtis ſimpliciter reſpicere, & ad corruptum jam illius ſæculi de artibus judicium, cum non modo picturas in veſte circumferre, ſed coloribus etiam naturæ repugnantibus conſtantes, pulchrum eſſet.

355 *Tertium* hoc conjugium poëta modo ominatur, & deſtinat Eucherio Stilichonis filio ſororem Honorii Gallam Placidiam. Sed vanum omen fuiſſe, docet hiſtoria. Eucherius juſſu Honorii interfectus, Placidia nupſit Ataulpho Viſigothorum R. & poſt Fl. Conſtantio. Vid. Tabula Geneal.

Eucherius trepido jam flammea ſublevat ore
Virginis: arridet læto Thermantia fratri.
Nam domus hæc utroque petit diademata ſexu,
Reginaſque parit, Reginarumque maritos.
Talibus invitat donis, dextræque gerendum
Diva ſimul porrexit ebur. Sollennibus urnam
Commovet auſpiciis, avibuſque incepta ſecundat.
Tunc habiles armis humeros Dea veſtibus ambit
Romuleis. Latii ſederunt pectore cultus,
Loricæque locum decuit toga. talis ab Iſtro,
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Depoſito mitis clipeo, candentibus urbem
Ingreditur trabeatus equis: ſpatioſa Quirinus
Frena regit: currumque patris Bellona cruentum
Ditibus exuviis, tendens ad ſidera quercum,

Praece-

338 timido *vulg.* tepido *it.* tumido *MS.* 359 retro *it.* tetro *MS.* 362 regendum, tenendum *al.* gerendum *etiam Baſ. marg.* 371 cruentat *vulg.* cruentum *MSS. it. Vien. Baſ. marg.* cruentam *poſt Gron. Heinſ.* 372 tendentem *vulg.* tendens *jam Plant. marg. Barth.*

358 *Trepido ore* vel timidum pudorem virginis notat, vel cupidum ſponſi.

36 Qui erant invidi Stilichoniæ domus, vel poſt caſum illius ingenioſi, poterant hunc verſum trahere ad objectam Stilichoni cupiditatem imperii in filium ſuum transferendi.

362 Huc uſque deſcripſit poëta figuras togæ pictæ, quam Roma Dea offerret Stilichoni, nunc pergit narrare.

363 *Ebur*, *ſceptrum* illud *eburnum* e quo *ſurgit aquila*, ut eſt Juvenal. 10, 43, quod Diptycha etiam dant Conſulibus. Sed quod eſt de *urna ſolemnibus auſpiciis commota*, hic forte aliquid de veteri auſpiciorum ritu latet, ſimile ſortibus, quales erant Præneſtinæ; ut fuerit hoc ipſum felix auſpicium, ſi de urna commota exiret aliquid, quod ſecundum rei, de qua ageretur, eventum ſponderet. Illud quod concuſſa urna primum exſilit, vel a puero ad eam rem adhibito extrahitur, ſors eſt. Sed de ſortibus pariter & *avibus* ſ. pullis *incepta ſecundantibus*, difficile eſt pauca dicere.

365 *Ambit* active poſitum imitatione Virgilii Aen. 10, 243 ubi Vulcanus clipei *oras ambiit auro*.

368 Triumphum quendam Martis deſcribit, cui dat equos albos, trabeam, Romulum aurigam, pro antiquo more, quo filii triumphum patris in curru comitantur, Bellona, quæ hic filia Martis eſt, tropæum præfert etc. Arripuerunt certatim poëtæ recentiores hanc antiquorum rationem picturas morum & vitæ Proſopœiis hoc genus intexendi.

Præcedit: lictorque Metus cum fratre Pavore
Barbara ferratis inneƈtunt colla catenis,
Velati galeas lauro: propiuſque jugales
Formido ingentem vibrat ſuccinƈta ſecurim.
Vidit ut optato ſe Conſule Roma potitam,
„*Nunc*, ait, *Elyſii locos irrumpere campi,*
Nunc libet; ut tanti Curiis miracula voti
Fabriciiſque feram, famae qui vulnere nuper
Calcatam flevere togam.' Jam prata choreis
Pulſent, nec rigidos pudeat luſiſſe Catones.
Audiat hoc ſenior Brutus, Pœniſque tremendi
Scipiadæ, geminis tandem quod libera damnis
Unius auxilio faſces Libyamque recepi.
Quod ſupereſt, unum precibus, fortiſſime Conſul,
Adde meis, Urbique tuum largire parumper,
Quem rogat, adventum: quam tu belloque fameque
Depulſam terris iterum regnare dediſti.

Splendida

373 pudore *al. apud Heinſ.* 374 terga *vulg.* colla *jam Baſ. marg. Sic 26, 293.* 380 vulnera *conj. Heinſ.* 389 depulſa *vulg. ſed* depulſam *Vic. Vien. Barth.*

377 Manet in opere ſuo, in fingendo, Poëta. Non perſequitur ipſam hiſtoriam, quid Mediolani actum ſit & in aula: ſed facit Romam primo gratulantem antiquis conſulibus apud Elyſium, deinde novo Conſuli jam ſuo ſupplicantem, ut velit in urbem venire.

379 *Votum*, res votis expetita, ut in ſacris *promiſſiones*, res promiſſæ.

380 Non puto ita miſcuiſſe Metaphoras Claudianum ut diceret quod accuſatur a ſummo viro, *togam Famæ vulnere calcatam:* ſed *famæ vulnere* icti, a fama ad inferos delata vulnerati, triſti nuncio de tanta turpitudine Eunuchi Conſulis accepto, *flevere togam* Romanam Conſularemque ita *conculcatam* etc.

383 *Senior Brutus*, Tarquinii expulſor & interfector, ne quis Cæſaris interfectorem intelligat, quem laudare aulico homini tum non licebat.

385 *Faſces* conſulares ab Eutropio pollutos & conculcatos; *Libyam* ſ. Africam ereptam pene imperio a Gildone.

387 Quod *Urbem* a ſe ipſa videtur diſtinguere, cogitemus & animo effingamus Romam quæ loquitur, tanquam genium præſidem, vel animam adeo urbis rerum dominæ.

389 *Depulſam*, ſi eſt a Poëta, ut probabile eſt, ponitur ut *defenſam*, quod eſt plane ſynonymum. *Defendere* enim idem eſt quod depellere. Sic deinde 24, 171 *Defenſurus morbos & depulſurus* eadem ſententia

Splendida ſuſcipiant alium te Roſtra Camillum.
Ultorem videant ſervatoremque Quirites.
Et populus, quem ductor ames: quibus Africa per te,
Nec prius auditas Rhodanus jam donat ariſtas:
Ut mihi vel Maſſyla Ceres, vel Gallica proſit
Fertilitas, meſſesque vehant nunc humidus Auſter,
Nunc Aquilo: cunctis diteſcant horrea ventis.
Quæ tunc Flaminiam ſtipabunt millia vulgi!
Fallax ô quoties pulvis deludet amorem
Suſpenſum, veniens omni dum crederis hora!
Spectabunt cupidae matres, ſpargentur & omnes
Flore viae, ſuperes cum Pythia culmina Conſul
Arduus,

391 amas *al.* amans *Vien.* 395 ferant, ferat, vehat *al.* 398 rumor *al.* pulvis *Vic. Vien.* 401 ſuperet -- limine *ante Heinſ.* Pincia, Phicia, Phitia *MSS.*

ſententia dici, animadvertemus. Sed erunt fortaſſe, quibus magis placeat, Romam a Rufino ac Gildone terris depulſam iterum nunc illis regnare.

392 *Ductor ames* h. e. beneficio afficis, eoque ipſo amare te oſtendis, quod Ducem te illi, Prætorem, (Prætorem, ϛρατηγὸν) Conſulem præbes. Ita ille apud Quinct. 6, 3. 93 *Amas me, quod te non vidi* i. gratum mihi feciſti, quod meo te conſpectui ſubduxiſti, ut te videre non cogerer. Ceterum hic ad *populum*, ſyneſi, h. e. intellectione conſueta infertur *quibus:* multitudinem enim populus continet. Reſpicitur porro illud Stilichonis beneficium, quod Romano populo commeatum & ex Africa paravit, & ex Gallia ſecundo Rhodano devectum. *Maſſyla Ceres* frumentum ex illa parte Africæ. Vid. 18, 401 ſqq. it. 24, 91.

396 De *Aquilone* proprie dicto hoc intelligi non poteſt, arbitror. Sed indiſcretim notat ventum a ſeptentrionibus ſpirantem, quo opus eſt ſolventibus a litore oſtiis Rhodani vicino verſus Italiam, licet deinde ab Occidentali vento adjuvari ille curſus debeat. Aquilo proprie dictus verſus Hiſpaniam navem ageret.

397 *Flaminia* via inter Romam & Ariminum, in quam incidunt, qua pergunt, qui veniunt Mediolano.

398 *Pulvis deludit amorem.* Conf. 24, 4. 26, 455. Proſpiciunt vias, qui exſpectant, qui amant facile credunt etc.

399 *Suſpenſus amor*, fluctuans inter ſpem & metum, ut ea quæ a filo pendent. Item homines ſe erigunt in digitos, & ſuſpenſo ſic veſtigio ſtant, cum proſpicere volunt. Sic Græci ἀποκαραδοκεῖν protento capite exſpectare.

401 *Pythia culmina* ſimpliciter intelligo triumphum, honorem laureæ. Laurum Apollini ſacram, nominatim Pythio ſ. Delphico, nemo ignorat; cui non occurrit illud Ciceronis carmen, *Cedant arma togæ, concedat laurea* h. e. triumphus *linguæ*? Neque *culmen* pro honoris faſtigio inſolitum. His, qui *Pythia limina* legunt & templum Apollinis intelligunt, obſtare

Arduus, antiqui ſpecies Romana Senatus.
Pompejana dabunt quantos proſcenia plauſus!
Ad cœlum quoties vallis tibi Murcia ducet

Nomen

404 Martia *ante Heinſ. ſed vidit Barth. legendum eſſe* Murcia.

re videtur verbum *ſuperes*: requirebatur enim *ſuperabis*. Deinde oſtendendum erat templum Apollinis ad viam Flaminiam. Indicare vult poëta habitum iri Stilichoni urbem ingredienti honores omnes triumphales, cum hic illius ingreſſus triumpho quovis ſit potior. Huc pertinet illud *Arduus*, huc *ſpecies antiqui Senatus*.

403 *Pompeji* theatrum foro ſuo imminuit, credo, in cujus gradibus magna hominum multitudo (octoginta millia memorant, neſcio qua fide antiquarii) arbitrari quæ in foro fierent potuit. *Proſcenia Pompejana* videntur hic dici ipſum hoc forum, & Porticus circum poſitæ. Credibile enim mihi fit, illos gradus, quibus Veneris ædes impoſita fuit, reſpexiſſe non ſcenam anguſtam cujus pars proſcenium, ſed has porticus, hoc forum, ut qui in illo agerentur Ludi ſcenici, vel quicunque alii, eos inde populus ſpectare poſſet. Hinc ex Tirone Tullio memorat Gellius 10, 1 *Aedem Victoriæ* (*Veneris* pulchre emendat Erneſtus ad Sueto. Claud. 21) *cujus gradus vicem theatri eſſent*: & Tertull. de ſpectac. 10, 4 *Pompejus M. ſolo Theatro ſuo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet —— ad dedicationem edicto populum vocans non theatrum, ſed Veneris templum nuncupavit*, cui ſubjecimus, *inquit*, gradus ſpectaculorum. Nempe nondum habuerat ad illud tempus Roma Theatrum immobile: in foro faciebant ſibi ſpectacula, qui ludos darent, auferenda finitis ludis: quod fiebat etiam in tribunalibus judiciorum. Theatrum Pompeji non ſcenicis tantum ludis aptum erat, quæ poſterior & anguſtior nominis ſignificatio eſt; ſed ſpectaculorum omni generi, quod apparet ex Plutarcho in Vita p. 647, A. Scena poſt adjecta, lignea, ſemel iterumque combuſta, inſtaurata. Vid. Aſco. ad Cic. in Piſo. c. 27. Sueto. Aug. 32. Tac. An. 6, 45. iterum Sueto. Claud. 21 & Calig. 21. *Proſcenia* ſunt, ubi actores agunt. Itaque, ut dixi, hic intelligi debet ipſum forum, nec excluſis ipſis adeo gradibus: ubi congregata magna hominum multitudo plaudit Stilichoni. *Proſcenia Pompejana* memorat etiam paullo poſt hæc tempora Symmachus epiſt. 10, 22 *Alii triumphis ſuis hæc dona ſervaſſent, ut poſita lauro* (triumphali in gremio Jovis Capitolini), *novis actoribus perſonarent Pompejana proſcenia*. Idem, ut Præfectus urbis, rogat Theodoſium jun. & Arcadium Auguſtos (10, 16) *Curules, ac ſcenicas voluptates* Circo & Pompeianæ caveæ *ſuggeratis*.

404 *Murcia vallis*, ubi templum Veneris Murciae. Videtur noſter respexiſſe Liv. 1, 33 *Latinis, ut jungeretur Palatio Aventinum* (interponendis inter utrumque collem jam inædificatum domibus, quibus illi continuarentur) *ad Murciæ* (Veneris templum) *datæ ſedes*. Eſt nempe hic Circus maximus: Varro L. L. 4, 32 p. 37, 11 *Intimus Circus ad Murciam vocatus*. Vid. Scal. ad Feſt. *Murciæ Deæ*, & Viri docti in deſcriptione Urbis, ubi de Circo Maximo inter Aventinum & Palatinum montes interjecto, ſ. de Regione XI, ut Nardi. 7, 1. Appoſite Symmach. 10, 22 *Malo fremitum Murciæ* (ſic leg. pro Martiæ) *vallis exponere, atque illam quadrigarum diſtributionem* etc. Circus non minus quam Theatrum

Nomen, Aventino Pallanteoque receſſu!
Nunc te conſpiciam caſtris, permitte, relictis,
Mox & cum genero trabeis viſura ſecundis.„
Hæc dum Roma refert, jam fama loquacibus ales
Pervolat Oceanum linguis, & mille citatos
Feſtinare jubet proceres: nullique ſenectus,
Non iter, hibernis obſtant nec flatibus Alpes.
Vincit amor meriti pridem, clarique vetuſtis
Faſcibus ad ſocii properant & vindicis annum.
Sic ubi fecunda reparavit morte juventam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat
Unguibus oſſa piis, Nilique ad litora tendens
Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro;
Conveniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Ut Solis mirentur avem. procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama buſti.

Nec

405 recuſſu, recuſſus, recurſis, recurſu *MSS.* recuſſum *placet Heinſ.* 408 alis *ante Heinſ. Sic 28, 597.* volucibus *MS. Hinc Heinſ. conj.* ſonacibus alis Pervolat Oceanum: linguis & mille &c. 412 *Putat Heinſ.* Vincit amor meritis -- & conſulis annum. 414 fecundam *MSS. male.* 416 tandem *ante Heinſ.*

trum Pompeji, multitudini promiſcuae, & plauſui magnis viris tribuendo, aptus.

405 Aventinus & Palatinus formant *receſſum*, velut ſpecum, unde reſonat imago ſ. echo plauſus. Sed pulchre etiam *nomen* dicitur *recuſſum* his montibus, i. reflexum, relatum, repulſum. Conf. 28, 617. Fons eſt Horatii illud, quod ſuavitatis cauſa apponam, Car. 1, 20. 3 *Datus in theatro* (Pompeji, ut obſervat Vet. Schol.) *cum tibi plauſus* —— *ut* —— *Fluminis ripæ, ſimul & jocoſa Redderet laudes tibi Vaticani montis imago.* Addamus & hoc, qui triumphali via per urbem pergeret in Capitolium, ei plauſum dari de Pompeji theatro, deinde etiam de Circo potuiſſe.

407 *Cum genero* Honorio ut alterum Conſulatum gereret, non contigit Stilichoni. Fuit conſul iterum A. C. 405 cum Anthemio.

408 *Loquacibus linguis* ſunt Ablativi conſequentiæ, cum interim loquaces eſſent linguæ, quas habet *Fama ales* ſ. volucris, alata, innumerabiles, *cui quot ſunt corpore plumæ, Tot linguæ, totidem ora ſonant* Aen. 4, 181.

413 *Vindicem* vocat cum reſpectu ad Eutropium. Vid. ad 280.

414 De Phœnice habemus & Claudiani noſtri Eidyllion n. 44, & Lactantianum carmen, quo minus opus eſt hic aliquid dici. Claſſicus de fabula locus Herodoti 2, 73.

320 Juvenis Phœnix adhuc redolet rogum ex cinnamo patris, e cujus ipſe cineribus prodiit.

Nec minor in cælo chorus eſt, exſultat uterque
Theudoſius, Divique tui. Sol ipſe quadrigis
Vere coronatis dignum tibi præparat annum.
Eſt ignota procul, noſtræque impervia menti
Vix adeunda Deis, annorum ſqualida mater,
Immenſi ſpelunca ævi, quæ tempora vaſto
Suppeditat revocatque ſinu. complectitur antrum,
Omnia qui placido conſumit numine, ſerpens,
Perpetuumque viret ſquamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapſu.
Veſtibuli cuſtos vultu longæva decoro
Ante fores Natura ſedet, cunctiſque volantes
Depen-

429 virens *MS.* reductam *MSS.* 430 *pro* lapſu, morſu *MS.*

421 *Uterque Theudoſius*: nam Imperatoris pater fuit Comes Theodoſius. De forma *Theudoſius* 15,216. *Divi tui*, Dii qui tibi favent.

423 *Vere coronatæ quadrigæ*, vittatæ floribus vernis. Solis equis nihil apud noſtrum frequentius: ſpondet annum Conſuli auſpicatum, quod ſol equos ſuos tanquam ad triumphum ornat vittis, ſertisque floreis.

425 Vox *ſqualida* ad ſenectutem ſignandam pertinet. Hæc enim duram, rugoſam, & velut obſitam ſquamis cutem facit: incurioſi fere cultus externi ſenes etc. *Suppeditat & revocat tempora* ut Saturnus, qui quæ genuit mox devorat.

427 Antiquum τῦ αἰῶνος, aevi, ſymbolum ſerpens caudam ſuam ore continens. Apud Horapoll. c. 2 dicitur de Aegyptiis, illos ſerpentem οὐραῖον, ſ. βασιλίσκον circumponere Dis, θεοῖς περιτιθέασιν. Tale quid hic Alexandrinus poëta comminiſcitur, & bene magnum facit, qui totum antrum complectatur. Sed nihil tamen hic ſerpens eſt ad eum, quem Alcorani aliquis interpres apud Bochartum Hieroz. P. 2 p. 855 Dei throno circumdat, *cui ſunt alarum ſeptuaginta millia, & ſingulis plumis facies totidem, & in unaquaque facie totidem ora, & in uno quoque ore ſeptuaginta linguarum millia* etc.

428 *Placido numine* hic ſerpens *omnia conſumit*, quia paulatim ſenſimque minuuntur & abſumuntur, quæ a ſola ſenectute intereunt, *tacitiſque ſeneſcimus annis.*

421 Pulchre *longæva* quidem eſt natura, ſed vultu tamen decoro. Sic Columella 1 Pr. 2 de natura & ſpeciatim de Tellure, *quæ divinam & æternam juventam ſortita, communis omnium parens* etc.

432 *Cunctis membris* naturæ *volantes animæ* ſunt pars illius Heracliticæ philoſophiæ, quæ ψυχῶν, animarum, ſeminum, omnia plena eſſe dicit, quam ſtudui declarare in diſputatione de animabus Hippocratis, & ſeparatim primo, tum Gallice in Berolinenſis Societatis actis, denique multum elaboratius retractatiusque in Gottingenſis Societatis Commentariis edita.

Dependent membris animæ. Manſura verendus
Scribit jura ſenex, numeros qui dividit aſtris,
Et curſus ſtabileſque moras, quibus omnia vivunt
Ac pereunt fixis cum legibus. ille recenſet
Incertum quid Martis iter, certumque Tonantis
Proficiat mundo; quid velox ſemita Lunæ,
Pigraque Saturni: quantum Cytherea ſereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius, erret.
Illius ut Phœbus ad limen conſtitit antri,

Occurrit

436 ceu legibus *conj. Heinſ. vel* Ac pereunt. fixis tum legibus ille.
441 illius ut magno Sol limite conſtitit anni *multi MSS. ap. Heinſ.*

433 *Dependent* ut examina apum, inſtar uvæ dependent ab arboris ramo. Virg. Ge. 4, 558 *Arbore ſumma Confluere* ſolent, *& lætis uvam demittere ramis.*

434 Hic *ſenex* comparari poteſt cum illo *ſene dierum* Prophetæ Danielis 7, 22.

435 *Stabiles* ad *curſus* pariter ac *moras* pertinet. Vid. ad 21, 372. Sic mox 435.

436 *Fixis cum legibus*, ſecundum certas leges. Videtur præpoſitionem, quæ etiam abeſſe poterat, expreſſiſſe poëta, ne continuarentur ablativi & confunderentur. Ceterum tribuit planetarum intervallis, comparationibusque & motibus conſervationem eorum, quæ apud nos fiunt h. e. in tellure noſtra. Sic Balbus Stoicus apud Cic. de N. D. c. 6 de ſtellis, *quæ errare dicuntur*, *Quarum*, inquit, *tantus eſt concentus ex diſſimillimis motibus, ut, cum ſumma Saturni refrigeret, media Martis incendat -- Luna -- graviditates & partus adferat, maturitatesque gignendi.* Hæc eſt illi *copulatio rerum, & quaſi conſentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ.*

437 Hic locus etiam multiplicem illam Claudiani doctrinam ſignificat, cujus frequentia in illius carminibus veſtigia exſtant. Multo impeditiorem eſſe in Ptolemaica diſciplina (contra quam in Kepleriana) Martis theorian, multo frequentiores & minus evitabiles errores, quam in Iove, docuit me cum cauſa verum Academiæ noſtræ decus, inſigniſque Aſtronomus, Tob. Mayerus. Qui ſunt ſacris illis initiati, poſſunt conſulere Keppleri Aſtronomian novam *αἰτιολόγητον* Pragæ 1609 f. Ceteris ſufficit illud Plin. 2, 17 *Martis -- eſt maxime inobſervabilis curſus.* Nam reliqua de celeritate Lunæ, de Saturni tarditate, de ſerena luce Veneris, de Mercurio nunquam Solem relinquente, etiam ſciunt, quicunque non muti ſpectatores cæli ſunt. Cf. ad 24, 135.

441 Phœbus ſ. Sol ad antrum ævi adhuc deſcripti conſiſtere videtur in ipſo velut anfractu, in fine anni præcedentis eodemque ineuntis principio: quo etiam Conſulatus Romanus initur.

Occurrit Natura potens, ſeniorque ſuperbis
Canitiem inclinat radiis. tunc ſponte recluſos
Laxavit poſtes adamas. penetrale profundum
Panditur, & ſedes ævique arcana pateſcunt.
Hic habitant vario faciem diſtincta metallo
Sæcula certa locis: illic glomerantur aëna.
Hic ferrata rigent, illic argentea candent,
Eximia regione domus, contingere terris
Difficiles, ſtabant rutili, grex aureus, anni:
Quorum præcipuum pretioſo corpore Titan
SignandumStilichone legit. tunc imperat omnes
Pone ſequi. dictiſque ſimul compellat euntes.

„En, cui diſtulimus melioris ſæcla metalli,
Conſul adeſt. ite optati mortalibus anni.
Ducite virtutes, hominum floreſcite rurſus
Ingeniis,

442 accurrit *MSS.* parens *MS.* *Sed* duce *i.* duci *MS.* *ut* Phœbus *vel* Sol dux *dicatur.* 446 his *conj.* *Heinſ.* *ut ad* locis *referatur.* 450 rutuli *vel* Rutuli *ſpalma quorundam librorum.* 454 in quem diſt. *MSS.*

442 *Naturam* fecit longævam mulierem: hæc honoris cauſa Phœbo i.e. Soli, quem ut ducem quendam & Imperatorem univerſi repræſentant, honorem habet, canum caput ſuum inclinat magnificis Solis radiis.

444 *Adamantem* in tali re ferrum eſſe, jam obſervavimus, feræ ac repagula & peſſuli ferrei ſponte cedunt, aperiuntur nullo movente valvæ.

445 *Aevi ſedes & arcana*, ut 433, i.e. interiores & arcani receſſus Aevi, ſ. ſucceſſionis temporum & ſæculorum. Vult poëta augurari felicitatem publicam, quæ ab hoc Stilichonis Conſulatu ſumat exordium. Hic adhibet fictionem & phantaſian ſimilem illi, qua Aeneæ apud inferos oſtenduntur poſteri ſui Romani.

447 *Glomerantur aëna* ſæcula, denſantur: uberior malorum ſors, crebriora ſunt ſæcula vilioris metalli: *aurei* tantum *anni*, non tota ſæcula.

454 *Diſtulimus* indicat moram, durationem longam infelicitatis. Nunc adeſt Conſul, cui melioris metalli ſæcula deſtinata ſunt, quæ ab hoc ipſius Conſulatu fluere incipient.

456 Anni *floreſcunt* ingeniis hominum, decus ac ſpeciem accipiunt ab illorum virtute ac ſapientia.

Ingeniis, hilares Baccho frugumque feraces.
Non inter geminos anguis glaciale Triones
Sibilet, immodico nec frigore ſæviat Urſa.
Non torvo fremat igne Leo, nec brachia Cancri
Urat atrox æſtas, madidæ nec prodigus urnæ
Semina prærupto diſſolvat Aquarius imbre.
Phrixeus roſeo producat fertile cornu,
Ver Aries: pingues nec grandine tundat olivas
Scorpius. autumni maturet germina Virgo.
Lenior & gravidis allatret Sirius uvis.„
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos
Ingreditur, vallemque ſuam, quam flammeus ambit

Aa 2 Rivus,

457 Bacchi *MS.* 462 prorupto *malit Heinſ. & adfert uſum verbi.* 465 Scorpion *MSS.* gramina *al.* 467 finibus *Baſ. marg. & MSS.* crinibus *MS.* floribus *MSS.* halantes floribus *conj. Heinſ.*

458 Pingit Aſteriſmos poëta. *Volvitur Anguis* cæleſtis inter duas Urſas easque ſpiris pene complectitur. Hi enim ſunt *gemini triones*, q. d. teriones ſ. tritutatores boves: qui alio reſpectu *ſeptemtriones* ob ſeptem inſigniores ſtellas, quas habent ſinguli dicuntur. Audaci figura Anguis hic dicitur *ſibilare*, ut mox Leo cæleſtis *fremere*, *ſævire* Urſa etc. & quidem *ſibilare glaciale*, ut ſibilus ille ſerpentis, h. e. ventus a ſeptentrione ſpirans, glaciem indicetur efficere: quanquam etiam ſtridor ille glaciei cum comminuitur teriturve, ſibilo magni ſerpentis comparari forte poſſit.

463 *Cornu* Arietis, quo Phrixus vectus eſt (primi jam in ſignis XII Zodiacalibus) *Copiæ* Nymphæ datum, fingit noſter, quod alii de Acheloi taurino cornu fabulantur, quos laudat Muncker. ad Lactant. Plac. fab. 9, 1 & ad Hygi. f. 31. Capræ illius alii ajunt fuiſſe, cujus lacte Amalthea nympha Jovem nutrierat, quod ſuaviter narrat Ovid. Faſt. 5, 115. *Roſeum* noſtro ſimpliciter eſt pulchrum.

465 *Scorpios*, *Virgo*, *Sirius* tempora anni ſignant, rebus, quæ hic memorantur, convenientia.

467 *Hortos Solis & vallem* facit poëta, antro Aevi, credo, continentem, ubi ille per noctem equos ſuos ſtabulari & reficere ſe patitur. Hi horti *rorant* h. e. modicum, ſubfrigidum, & bene olentem humorem ſpirant, *ignibus croceis* h. e. floribus. *Ignes* vocari *ſidera*, controverſia caret, quo nomine flores vocat Columella 10, 96 *Pangite tunc varios, terreſtria ſidera, flores.* Nec refugit Ovidius, apud quem Flora cauſam reddens accenſorum in illius ſacris luminum, Faſt. 5, 363 *Vel*, inquit, *quia purpureis collucent ignibus agri*, ut eſt in libris quibusdam, pro quo *floribus* repoſuerunt alii. Pulchre huic noſtrum locum contulit Burmannus.

468 *Rivus flammeus* pro ſepimento eſt hortis Solis. Hic Sol *jubar* ſuum *herbis ingerit.*

Rivus, & irriguis largum jubar ingerit herbis,
Quas Solis paſcuntur equi. fragrantibus inde
Cæſariem ſertis, & lutea lora jubaſque
Subligat alipedum: gelidas hinc Lucifer ornat,
Hinc aurora comas: juxtaque arridet habenis
Aureus, & nomen prætendit Conſulis, Annus:
Inque novos iterum revoluto cardine curſus
Scribunt æthereis Stilichonem ſidera faſtis.

470 flagrantibus *ante Heinſ.* 473 alludit, illudit *MSS.* habenas *MSS.*

471 *Cæſariem* canibus jam dedit Grat. Cyneg. 273. Itaque de juba equorum Solis hactenus non abſurdum eſſet intelligere poëtam: ſed ſtatim *jubarum* fit mentio. Itaque ipſam Solis ſ. Apollinis comam accipere oportet. *Lutea lora* ad auri colorem pertinent. Nunc ergo cum ſuo ſatellitio Luciſero, Aurora, prodit de antro ævi & ſuis hortis Sol, novum ſtadium ingrediens, quem hilari facie comitatur inſignis Conſulis Stilichonis nomine *Annus aureus.* Hoc nomen velut formatis in literarum figuram ſideribus cælo atque æternitati inſcribitur. A tali poëtarum phantaſia forte primam originem habent monſtroſa illa commenta de ſcriptura cæleſti. E. G. in Gaffarelli libro, Curioſitates inauditæ, capitis 12 hæc eſt inſcriptio, *Stellos in cælo literarum figura, ſecundum Hebræos diſpoſitas, atque in eo tanquam libro, quæ toto orbe fiunt præcipua, legi poſſe.*

XXIII CL.

XXIII

CL. CLAUDIANI

IN LIBRUM III

DE

CONSULATU STILICHONIS*

PRAEFATIO

Major Scipiades, Italis qui ſolus ab oris
In proprium vertit Punica bella caput,
Non ſine Pieriis exercuit artibus arma;
Semper erat vatum maxima cura duci.
Gaudet enim virtus teſtes ſibi jungere Muſas.
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.
Ergo ſeu patriis primævus manibus ultor
Subderet Hiſpanum legibus Oceanum,
Seu Tyrias certa fracturus cuſpide vires
Inferret Libyco ſigna tremenda mari;

* Præſatio in laudes Stiliconis *Vic.* 1 ductus *Baſ. marg.* ductor *conj. Heinſ.*

* Hanc eſſe puto veram inſeriptionem. Vid. dicta ad 21 pr.

1 *Solus* Scipio major bellum Punicum in Africam transtulit, h. e. exercitu e Sicilia trajecto coëgit Hannibalem, ut relicta Italia ad patriam defendendam rediret: *ſolus*, inquam, repugnante præſertim & diſſuadente omnibus modis dictatore Fabio. Vid. Liv. 28.

3 Carum Scipioni fuiſſe Ennium, Cicero docet tum alias tum pro Archia c. 9. De Terentio, ipſius atque Lælii familiari, conſtat: qui ad hos magnos amicos ſuos reſpicere creditur in Prologo Adelphorum.

7 Pater Scipionis hujus & patruus in Hiſpania ceciderant: hac re nihil deterritus, ſed incitatus potius filius ante ætatem legitimam imperium ſibi illud demandari voluit, atque impetravit. Vid. Liv. 26, 19. Sic *primævus ultor* factus, h. e. primo ævo, juvenis, quo nomine vtuntur etiam optimi.

9 *Tyrias vires* vocat, quia Pœni *Tyrii coloni*, Virg. Aen. 1, 12.

Hærebat doctus lateri, caſtriſque ſolebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.
Illi poſt lituos pedites favere canenti,
Laudavitque nova cæde cruentus eques.
Cumque triumpharet gemina Carthagine victa,
(Hanc vindex patris vicerat, hanc patriæ.)
Cum longi Libyam tandem poſt funera belli
Ante ſuas mœſtam cogeret ire rotas;
Advexit reduces ſecum Victoria Muſas,
Et ſertum vati Martia laurus erat.
Noſter Scipiades Stilicho, quo concidit alter
Hannibal, antiquo ſævior Hannibale.
Te mihi poſt quinos annorum, Roma, recurſus
Reddidit, & votis juſſit adeſſe ſuis.

12 ad med. *Cuj.* 15 victor *MSS.* 21 qui *MS.* cui *conj. Heinſ.* 23 quintos *vulg.*

13 *Poſt lituos*, poſt prælia lituorum cantu incenſa, canenti verſus ſuos Ennio favebant milites Romani.

15 Carthaginem novam in Hiſpania, coloniam Punicæ, quæ hodie id nomen retinet, vicit cædis patris ſui ulciſcendæ gratia: ipſam autem antiquam Carthaginem, Africæ caput, tanquam ultor patriæ.

20 *Martia laurus*, qua utebantur Romani ut inſigni victoriæ, in literis laureatis, in lictoribus & faſcibus, in ipſo triumpho.

22 *Hannibal alter* Gildo eſt, de quo in carm. 15 dedita opera, & obiter paſſim.

23 Hinc apparet, quinquennio, quod proxime præceſſit conſulatum Stilichonis, in illius comitatu vel cohorte fuiſſe Poëtam. Hos puto eſſe *reſides annos* 25, 1.

24 *Vota* Stilichonis, quibus adeſſe juſſit Claudianum, intelligo illa, quæ in Conſulari Proceſſu, ac deinde inter ludos Conſulares nuncupari ſolebant, de quibus rebus vid. Spanh. de V. e. P. numiſ. T. 2 p. 457 ſq. it. p. 525 ſq. Sic Tibullus (ſi is auctor carminis in Meſſalam) 4, 1. 129 *Vota* ponit, ad univerſa ineundi magiſtratus indicanda ſolemnia, ubi plura Broukhuſius. Illos ludos Conſulares poſterioris ævi, in quibus pene omnis dignitas hujus magiſtratus inerat, deſcribere ſolet noſter tum in aliis, quos canit, Conſulatibus, tum hujus carminis princeps fere argumentum habet, a verſu inde 223. Ceterum hoc docemur, cum ſuſcepiſſet Conſulatum Mediolani Stilicho, deinde *peractis* ibi *ſuper omnium magnanimitatem Conſularibus feſtis* in ipſa urbe Roma proceſſum, vota, ludos inſtituiſſe. Docet hoc etiam Symmachus 4, 31 cujus modo verba dedi.

XXIV CL.

XXIV

CL. CLAUDIANI

DE

CONSULATU STILICHONIS

LIBER III *

Quem populi plauſu, procerum quem voce petebas,
Adſpice, Roma, virum. jam tempora deſine longæ
Dinumerare viæ, viſoque aſſurgere ſemper
Pulvere: non dubiis ultra torquebere votis.
Totus adeſt oculis, aderat qui mentibus olim,
Spe major, fama melior. venerare curulem,
Quæ tibi reſtituit faſces. complectere dextram,
Sub juga quæ Pœnos iterum Romana redegit.
Excipe magnanimum pectus, quo frena reguntur
Imperii, cujus libratur ſenſibus orbis.
Os ſacrum, quod in ære colis, miraris in auro,

A a 4 Cerne

* Panagyris alia in laudes Stil. *Vic. Junt.* Panegyris tertia in laudes Stil. *Vien. Baſ. Clav.* liber tertius de laud. Stil. *Ald. Plant.*

3 moræ *MSS.*

3 *Dinumerare* & inter ſe comparare hinc viæ ſpatia, hinc temporis, ſolent, qui adventum alterius cupide exſpectant: tantum viæ, aiunt, hoc ſpatio abſolui poteſt. Si Idibus Decembribus ille ab urbe, via illa, profectus eſt, poteſt intra hos tres dies adeſſe etc. *Viſo pulvere*, quod fallax admodum agminis indicium eſt: conf. 22, 398. *Aſſurgere* hic nondum ad reverentiam ſignificandam, ſed ad alacritatem obviam procedendi pertinet.

6 Pulcherrima exaggeratio. *Spes* & *Fama* ſimiles illis, quæ a re microſcopia vocantur, rem minimam inſigniter augentibus. Hinc *exſpectationem gravem adverſariam* vocat Tullius, quam *ſuperare* difficile eſt, fam. 2, 4.

7 *Reſtituit faſces* in honorem, quos polluerat, abjecerat, conculcandos præbuerat, dum geſſit Eutropius.

10 *Libratur* Imperium & velut in æquilibrio ſervatur, ne nimis in alterutram partem pendeat, *ſenſibus* h. e. ſapientia & prudentia Stilichonis.

11 De ſtatuis æneis & inauratis, forte etiam de clipeis imaginum, loquitur: numinis enim cultum vel Stilichonis, vel cujusquam privati, memoriam ſub his Imperatoribus, non poteſt, puto, probari.

Cerne libens. hic eſt felix bellator ubique,
Defenſor Libyæ, Rheni pacator & Iſtri.
Oſtentare ſuos priſco ſi more labores,
Et gentes cuperet vulgo monſtrare ſubactas:
Certarent utroque pares a cardine laurus.
Hæc Alamanorum ſpoliis, Auſtralibus illa
Ditior exuviis. illinc flavente Sicambri
Cæſarie, nigris hinc Mauri crinibus irent.
Ipſe albis veheretur equis, currumque ſecutus
Laurigerum, feſto fremuiſſet carmine, miles.
Hi famulos traherent Reges: hi facta metallo
Oppida, vel montes captivaque flumina ferrent.
Hinc Libyci fractis lugerent cornibus amnes:
Inde catenato gemeret Germania Rheno.
Sed non immodicus proprii jactator honoris
Conſul, Roma, tuus. non illum præmia tantum,
Quam labor ipſe juvat. ſtrepitus faſtidit inanes,
Inque animis hominum pompa meliore triumphat.
Non alium certe Romanæ clarius arces
Suſcepere ducem, nec cum cedente rediret
Fabricius Pyrrho, nec cum Capitolia curru

Pellææ

12 pro te bellator *Baſ. marg.* pugnator *Cuj.* pro te qui bellat *MS.* 13 calcator *Vic. Vien. Baſ. marg.* 16 certaſſent *MSS.* 22 ficta *malit Heinſ.* metallis *al.*

14 Si triumphum antiquo ritu agere placeret: nempe triumphi honorem privatis non indulſerunt Imperatores.

16 *Utroque a cardine*, a ſeptentrionali plaga & a meridionali licebat petere materiam triumphi, cuius hic velut imaginem proponit Claudianus, cum antiquis Ovidii & optimorum quorumque deſcriptionibus convenientem.

18 *Sicambros* (Sygambros) ſic etiam ſignat 26, 419.

21 *Fremuiſſet* aptum verbum clamori rauco, inconditoque militum exprimendo, qui de equorum, leonumque fremitu aliquid trahere ſolet.

24 In ferculis triumphalibus ſunt flumina ſub imagine gigantum cum capitibus bubulis, cornutis certe: *fracta cornua* vires fractas antiquiſſimo ſymbolo indicant. Cornutos id genus fluvios paſſim in nummis videre eſt, V. G. apud Spanh. Diſſ. 7 p. 394. Dictum de ea re in Theſauro, & alias.

Pellææ domitor Paullus conſcenderet aulæ,
Nec ſimilis Latias patefecit gloria portas,
Poſt Numidas Mario, poſt claſſica Martis Eoi
Pompejo. nulli pars æmula defuit umquam,
Quæ gravis obſtreperet laudes, ſtimuliſque malignis
Facta ſequebatur, quamvis ingentia, livor.
Solus hic invidiæ fines virtute reliquit,
Humanumque modum. quis enim liveſcere poſſit,
Quod numquam pereant ſtellæ? quod Jupiter altum
Poſſideat cælum? quod noverit omnia Phœbus?
Eſt aliquod meriti ſpatium, quod nulla furentis
Invidiæ menſura capit. Ductoribus illis
Præterea diviſus erat favor. æquior ille
Patribus, inviſus plebi: popularibus illi
Munito ſtudiis languebat gratia Patrum.
Omnis in hoc uno variis diſcordia ceſſit

37 laudi *vulg. inde a Junt.* laudis *Vic. & quid. MSS.* laudes *Vien. Ald. Heinſ. 2 & MSS. opt.* 41 olim *MSS.* 43 meritis *conj. Heinſ.* 45 diverſus *vulg.* diviſus *Vic. Barth. 2 & Heinſ. ex MS.*

33 *Pellæa aula* Macedoniæ regum, unde *Pellaeus juvenis* Alexander. M. Aemilius Paulus ab hoc ipſo triumpho Macedonicus dictus eſt.

34 *Portas Latias*, qualis erat triumphalis Romæ, ipſique arcuum triumphalium tranſitus.

35 C. Marius de Jugurtha Numidarum rege, Pompejus de Mithridate, Tigrane, & auxiliis Orientis triumphavit.

37 Etiam qui libri habent *obſtreperet laudis* quartum caſum pluralis numeri videntur voluiſſe, ut Ovid Met 11, 18 *Obſtrepuere ſonos* vel *ſonum Citharæ*, & Sil. 8, 251 *oblatratque ſenatum* e. i. g. a.

38 *Livorem* facit tortorem vel carnificem, quendam, qui *ſtimulis*, palis acutis, tundens & pungens ferrea præſertim corpora, dolores & cruciatum affert. *Invidiæ ſtimulo fodit* etiam *Saturnia Patrum mentes* apud Sil. 7, 512.

39 *Fines invidiæ relinquit*, qui altius aſcendit virtute & gloria, quam quo pervenire invidia poſſit: qui ſupra invidiam poſitus eſt, ut orbes cæleſtes.

42 *Novit omnia Phœbus* etiam Homericus, *ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει* Od. Λ, 208. Si ullum genus ſuperſtitionis indulgentia non indignum videtur, hoc eſt, cum homines Solem imaginati ſunt Oculum omnia videntem, fovens omnia & movens, & vita augens numen.

48 Speciofius iſta dicuntur quam verius: præſertim illud *in hoc uno*. Poſtquam enim res omnis publica in poteſtatem Auguſti & ſucceſſorum venit, jam non locus fuit amplius civilibus illis inter

Ordinibus. lætatur Eques, plauditque Senator,
Votaque patricio certant plebeja favori.
O felix, ſervata vocat quem Roma parentem:
O mundi communis amor, cui militat omnis
Gallia, quem Regum thalamis Hiſpania nectit,
Cujus & adventum crebris petiere Quirites
Vocibus, & genero meruit præſtante Senatus!
Non ſic virginibus flores, non frugibus imbres,
Proſpera non laſſis optantur flamina nautis,
Ut tuus adſpectus populo. Quæ numine tanto
Litora fatidicas attollunt Delia lauros,
Venturi quoties affulget Apollinis arcus?
Quæ ſic aurifero Pactoli fonte tumeſcit
Lydia,

59 laurus *al.*

Optimates ac Populares odiis, diſcordiis, factionibus, de quibus locus claſſicus eſt Cic. pro Sext. c. 45.

51 Videtur hic Stilichonem ſuum æquare Tullio, qui ſolemni titulo patriæ pater dictus eſt.

53 *Hiſpania*, Theodoſii Imperatoris patria, hinc itaque Serena etiam fratris Theodoſii filia, nupta Stilichoni. Videtur indicare poëta, propter res præclare geſtas in Hiſpania præmium hoc, affinitatem domus Auguſtæ conſecutum Stilichonem.

55 Hic etiam in verbo *meruit* non tam ad dignitatem Senatus reſpicitur, quam ad felicitatem voti compotem: quo pertinent verba, *præſtante* Stilichonis *genero* Honorio.

56 Poterat videri illud de virginibus nimis eſſe exiguum, & ad elevandum potius, quam ad augendum illud deſiderium Stilichonis pertinere. Sed facit certe ad genera & gradus deſiderii exprimendos. Naturalis ille pulchri amor vehementer in illo ſexu, in illa ætate, movet animos, (qua in re magnum providentiæ beneficium ineſſe putamus alias explicandum) flores ſunt per ſe amabiles, ut ſplandor virtutis. Porro imbres frugibus optantur, ſine quibus incrementa capere non poſſint: venti ſecundi a nautis, ſine quibus in portum ſalutis nequeant venire. Sunt hic ſemina omnium laudum, omnis amabilitatis in bono principe vel reip. adminiſtro.

58 *Numine tanto*, tam vehementi motu interno divinitus excitato. Adveniente Apolline in ſuam Delon, vel Delphos ſuos, ipſæ lauri, conſecratæ illi ſilvæ, videntur divinitus extollere ſe & erigere ad ſalutandum Deum ſuum.

61 Ut ſe habet Delos ad ſuum Apollinem, ita Bacchum ab Indica victoria reducem colit ſuo cum Pactolo, quem Bacchus auriferum reddidit, Lydia. Rebus inanimatis, ſilvis, flumini, tribuir, quod propric incolarum eſt vel accolarum, figura populis omnibus naturali.

Lydia, cum domitis apparuit Evius Indis?
Nonne vides, & plebe vias, & tecta latere
Matribus? hic, Stilicho, cunctis inopina reluxit
Te victore ſalus! ſeptem circumſpice montes,
Qui Solis radios auri fulgore laceſſunt,
Indutoſque arcus ſpoliis, æquataque templa
Nubibus, & quidquid tanti ſtruxere triumphi.
Quantum profueris, quantam ſervaveris urbem,
Attonitis metire oculis. hæc fabula certe
Cuncta forent, ſi Pœnus adhuc incumberet Auſtro.
Mos erat in veterum caſtris, ut tempora quercu
Velaret,

64 o Stilicho *Vien.* ut *Ald.* & *MSS. quos ſecutus Heinſ.* his *Plant. marg. Sed* hic *Vic. Junt. Baſ. Plant. Claver. Barth. V. N.* 67 inductos *al.* 69 quantæ *conj. Heinſ.* 71 Rhenus *Vien. Baſ. Sed* Pœnus *jam Vic.* & *Vien. marg.*

63 *Latent tecta*, ita impleta ſunt mulieribus, ut nihil eorum videri poſſit. Etiam hic decorem licet obſervare: plebs implet ac tegit vias: matres modeſtia publico prohibet; ſed non refugiunt conſpici de feneſtris, podiis, tectis adeo.

64 Si non tam teſtibus libris, quam judicio poëtico res gerenda ſit, præferat, credo, ipſe Heinſius lectionem quam damus, *hic*, in hac populoſiſſima, pulcherrima urbe, cujus phantaſian lectoribus excitat. Sed nec bonis auctoribus deſtitui hanc lectionem, oſtendimus.

66 Ergo tum adhuc aurum in tectis, tegulis, ſtatuis, & quidem non uno loco, ut in domo aurea Neronis, ſed ſatis frequens, in omnibus urbis montibus. Conf. mox 133 & 28. 52.

67 *Arcus* triumphales ſignat, ut 3, 339 *Veſtitam ſpoliis quercum* de tropæo dixit.

68 *Struxere triumphi* non arcus tantum, quos poëta modo nominavit, non templa ex voto Victorum condita, ſed quidquid publicarum privatarumque ædium, de pecunia victoriis capta, & egeſta e provinciis, ædificatum eſt.

70 *Metire oculis*, quaſi menſor, modum dicturus, & magnitudinem ſpatii & pretii æſtimaturus. *Attonitus* hic tanto magis exaggerat ſententiam, quia non de plebejis oculis ſermo eſt, ſed de ſummo duce. *Fabula forent*, materia loquendi & narrandi, quæ non amplius monſtrari digito poſſit, ut *fabulæ Manes* apud Horatium Car. 1, 4. 16. Omnia hic pulchra: etiam *incumbere*, quod alias *incubare* dicitur, de violento atque injuſto poſſeſſore Africæ, Gildone, qui *incubator* ſtilo ICtorum dicatur.

71 Coronam civicam deſcribit, cujus ratio, præſertim *leges arctæ & ideo ſuperbæ* habentur Plin. 16, 4 quem locum poſui etiam & illuſtravi in Chreſtom. Plin. n. 72, 15 ſq.

Velaret, validis qui fuſo viribus hoſte
Caſurum morti potuit ſubducere civem.
At tibi quæ poterit pro tantis civica reddi
Mœnibus? aut quantæ penſabunt facta coronæ?
Nec ſolam populi vitam debere fatetur
Armis Roma tuis; ſed, quo jucundior eſſet
Lucis honoratæ fructus, venerabile famæ
Pondus, & amiſſas vires & regna recepit.
Jam non prætumidi ſupplex Orientis ademtam
Legatis poſcit Libyam, famuloſve precatur,
Dictu turpe, ſuos: ſed robore freta Gabino
Te duce Romana tandem ſe vindicat ira.
Ipſa jubet ſignis, bellaturoque togatus
Imperat, exſpectant aquilæ decreta Senatus.
Ipſa tibi trabeas ultro dedit: ipſa curulem
Obtulit. hæc ultro faſtos ornare coëgit.

Nil

77 non *vulg.* 78 quod juc. *vulg.* jucundius *al.* 79 fructu *al.* 80 ut am. *conj. Barth.* 83 fulta *Cuj.* 85 bellatorique *MS.* 86 & ſpectant *vulg.* 88 obtulit, hæc ultro faſtos *vulg.* faſces *MSS. Heinſiana debetur libris.*

75 Auguſto civica velut perpetua e quercu corona ſuſpenſa ſupra fores, lauris triumphalibus ad poſtes ſtantibus imminens, quod ita exprimit Val. Max. 2, 8 extr. *Poſtes Auguſtæ domus ſempiterna gloria quercu triumphant.* Multa & varia ejus coronæ imago in nummis. Vid. in Morellianis ad Tab. 3, 81 Schlegelius.

81 Frequenter obſervo in Poëta noſtro invidiam novæ Romæ, & aulæ Conſtantinopolitanæ: Domini nempe, Stilichonis ſimilis eſt, a quo everſi Rufinus & Eutropius, quibus regendum ſe atque Orientis imperium permiſerat Arcadius, quos hic *famulos* Romæ Claudianus appellat. Vid. ad 125.

83 *Gabinum* non modo, cum de cinctu & veſtitu adeo ſermo eſt, ſed etiam alias de Romæ veteris & liberæ rebus noſter uſurpat, ut 22, 307. Specioſa Paronomaſia, Roma, robore Gabino freta, Romana ira & animo ſe vindicat.

85 *Jubet ſignis*, cum quarto caſu, ut 5, 155.

87 Semper hoc indicium felicium temporum, & reſtitutæ quodammodo antiquæ reipublicæ habebatur, ſi Senatus eſſet aliqua in exercitus, quorum proprie ſunt Imperatores, auctoritas: hoc in primis Pliniani Panegyrici argumentum eſt. Huc reſpicit apud noſtrum illud, quod ſtatim ſequitur *faſtos ornare coëgit.*

Nil perdit decoris priſci, nec libera quærit
Sæcula, cum donet faſces, cum prœlia mandet.
Seque etiam creviſſe videt. quis Gallica rura,
Quis meminit Latio Senonum ſerviſſe ligones?
Aut quibus exemplis fecunda Tibris ab Arcto
Vexit Lingonico ſudatas vomere meſſes?
Illa ſeges non auxilium modo præbuit Urbi,
Sed fuit indicio, quantum tibi, Roma, liceret.
Admonuit Dominæ gentes, inſtarque tropæi
Rettulit ignotum gelidis vectigal ab oris.
Hoc quoque majeſtas augeſcit plena Quirini,
Rectores Libyæ populo quod judice pallent;

Et

91 rutra *conj. Heinſ.* 95 auxil. non ulla ſeges *al.*
100 Libyci *al.* Libyæ *etiam Baſ.*

89 *Quærit*, deſiderat, deeſſe ſibi, cum moleſtia intelligit: ut in vulgato illo *villa fundum quærit.*

91 De hac frumentatione etiam ſupra dictum 22, 392.

93 *Fecunda Arctos* Oxymori ſpeciem habet: ipſa ſeptentrionis appellatio jam ſterilitatis notam videtur trahere.

94 *Lingonicas* has meſſes Cellarius e Burgundiæ Ducatu, ubi Divionum eſt (*Dijon* hodie) repetit: *Lingonum* nominis umbram ſervat *Langres.* Quod *ſudatas meſſes* dicit, non durius eſt quam 35, 16 *Sudata marito fibula*, aut 73, 12 *Sudata Zona Serenæ manibus*, h. e. elaborata cum ſudore. Verum *vomere ſudatæ meſſes* aliquid monſtri videntur habere, certe quiddam ſingulare, cui ſimile nondum obſervatum.

96 Quantum liceret Romæ, quid illa exigere poſſet a populis, hoc exemplo patuit: poſſe illis frumentum imperari & alias ſpecies, quas antiquæ ſuæ dominæ conferant.

99 *Hoc quoque* argumento reviviſcit *augeſcitque majeſtas Quirini*, obſoleta populi Ro. gloria, quod *Rectores* ut Africæ, ita aliarum provinciarum, *pallent*, & metuunt ſibi a *judice* populo, cum viderint, hoſtem judicatum, damnatumque Gildonem, & bona illius publicata. Ceterum primum intuenti hunc locum videri poteſt hoc ſibi velle Claudianus, captum Tabracæ (vid. 19, 71) Gildonem Romamque deductum judicium ibi quoddam & quæſtionem ſubiſſe: collato præſertim 21, 362 *Fracturumque reos humili ſub judice vultus.* Sed ibi jam oſtendimus, de eo agere poëtam, quod futurum erat, niſi occupaſſet fatum Gildo. Etiam illud hoc in loco admonendos putamus lectores, ſi tribuiſſet fortuna poëtam Claudiano ſimilem Arcadio & Conſtantinopolitanis, multa nos lecturos forte fuiſſe dura in Stilichonem de Rufini, Eutropii, Gildonis laudibus.

Et poſt emeritas moderator quiſque ſecures
Diſcrimen letale ſubit: quid Pœnus arator
Intulerit, madidus quantum tranſmiſerit Auſter.
Ardua qui late terris reſponſa dedere,
Hinc trepidant humiles. Tremuit quos Africa nuper,
Cernunt Roſtra reos. Cani virtutibus ævi
Materiem pandit Stilicho, populumque vetuſti
Culminis immemorem dominandi rurſus in uſum
Excitat, ut magnos calcet metuendus honores,
Pendat juſtitia crimen, pietate remittat
Errorem, puroſque probet, damnetque nocentes,
Et patrias iterum clemens exerceat artes.
Fallitur, egregio quiſquis ſub principe credit
Servitium. numquam libertas gratior exſtat,
Quam ſub Rege pio. quos præficit ipſe regendis
Rebus,

102 quod *al.* quid *ex MSS. Heinſ.* 105 hinc, hi *al.* nunc *conj. Heinſ.* timuit *pro* trem. *al.*

102 *Quid Pœnus arator* decumarum, vel tributi cuiuscunque nomine *intulerit* aerario provinciali, *quantum* frumentorum merciumque aliarum *tranſmiſerit* in Italiam humidus & pluvioſus *Auſter*, ab Africa ſpirans, horum omnium ratio exigetur ſub hoc Gildonis exemplo a Præſide Provinciæ.

106 *Canum ævum*, cujus *virtutibus materiem pandit* h. e. juſtitiæ & ſeveritatis exercendæ occaſionem præbet, *Stilicho*, forte eſt Nervæ illud ac Trajani, ubi cauſam dixit Marius Priſcus ob vexatam in Proconſulatu Africam, accuſante Plinio, qui rem narrat Epiſt. 2, 11. Nam quod *populum* nominat, puto magis formula antiqua libere, ut ſolet, uſum, quam indicare voluiſſe populi proprie dicti judicium: cujus populi & comitiorum omne jus, ſi quod ſervandum putarent, ad Senatum transtulerant. Si igitur vera dixiſſe volumus poëtam, hoc tantum debet dixiſſe, de populi ſententia in magiſtratuum criminibus quærendis, puniendis verſatum eſſe Senatum. Sic v. 116 *arbitrium plebis* accipio.

109 *Magnos honores calcat* poëtæ ſtilo, qui audet virum magno honore uſum damnare.

113 Etiam hic eſt imago ſæculi Pliniani, qui vir in Panegyrico multum de libertate per Trajanum reddita prædicat. *Libertas exſtat*, eminet, exſerit ſe, *ſub rege*, dictum ex contrario: nam alias Romanorum ſtilo regnum & libertas contraria. Sic Apoſtolicum paradoxon eſt, Deo ſervire libertatem eſſe.

Rebus, ad arbitrium plebis patrumque reducit:
Conceditque libens, meritis ſeu præmia poſcant,
Seu punire velint. poſito jam purpura faſtu
De ſe judicium non indignatur haberi.
Sic docuit regnare ſocer: ſic cauta juventæ
Frena dedit: teneros his moribus induit annos
Verior Auguſti genitor, fiducia belli,
Pacis conſilium; per quem ſqualore remoto
Priſtina Romuleis infloruit arcibus ætas:
Per quem fracta diu, translataque pæne poteſtas,
Non oblita ſui, ſervilibus exſulat arvis;
In proprium ſed ducta Larem, victricia reddit
Fata ſolo, fruiturque iterum, quibus hæſerat olim,
Auſpiciis, capitique errantia membra reponit.
Proxime DIs Conſul, qui tantæ proſpicis Urbi,
Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,

Nec

120 caſta *vulg. a Vien. inde.* apta *Vic. & MSS.* ſiccata, ſic foſſa, ſacra, acta, tanta *MSS.* cauta *ex MSS. Heinſ. Conſ. ad* 35, 11. ſacra *conj. Heinſ.* 121 imbuit *al.* 124 artibus *vulg.* 127 ſeducta *vulg.* ſed ducta *jam conj. Barth.*

120 *Cauta frena*, quæ cavent, impediunt, prorumpere non ſinunt, *dedit* Stilicho Honorio, dum docuit illum ſibi imperare, moderari potentiæ, non facere quidquid lubet. Si *imbuit* ſit verior lectio, congruet magis cum *teneris annis*: ſed *induit* tanquam veſte regia. Laudat Heinſius Plinii 28, 8 ſ. 26 extr. ubi medicamentum quoddam dicitur *viris probroſæ mollitiei ſeveros, non modo pudicos, mores induere.*

122 *Verior genitor*, qui dederit τὸ εὖ ζῆν, beate vivendi principia.

124 *Infloruit arcibus priſtina ætas* idem eſt ac ſi dixiſſet, efforeſcere denuo cœpit Romæ, in illis ſeptem collibus, aureum ſæculum.

125 Per Stilichonem poteſtas Senatus P. Q. R. diu fracta a tyrannis, & pene translata in novam Romam, Conſtantinopolin, non plane ſui oblita eſt, ſed *ſervilibus* quidem Orientis *arvis exſulat*, (vid. ad v. 81) verum in ſuum antiquum domicilium, Romam reducta eſt, fruitur auſpiciis, auctoritatem belli pacisque ſibi vindicat, & adjungit capiti, Auguſto, *membra* reip. diſtracta adhuc & *errantia. Reponi* dicuntur proprie luxata.

131 Breviter Horatius invocat Solem Car. ſæc. 11 *Poſſis nihil urbe Roma viſere majus*

Nec laudem vox ulla capit: quæ luce metalli
Aemula vicinis faſtigia conſerit aſtris.
Quæ ſeptem ſcopulis zonas imitatur Olympi,
Armorum legumque parens: quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula juris.
Hæc eſt, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvaque a ſede profectas
Diſperſit cum Sole manus. Hæc obvia fatis,
Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,
Hiſpanas

136 potens *MSS. quod probat & illuſtrat Heinſ.* 239 profecta *vulg.* 140 diſpeſcit *conj. Scal.* votis *MSS.*

133 De *luce metalli* i. auro in tectis dictum paullo ante ad v. 66. *Vicinis aſtris* videtur altitudinem ſimul & fulgorem ab auro tectorum ſignare.

135 *Zonas* hic *ſeptem* ponit, qui tamen ipſe communem ſecutus rationem infra 33, 258 *quinque plagas* appellat ac deſcribit. Hauſitne ex Orphicis? Certe hic etiam H. 6, 8 Stellæ, *ἀστέρες*, celebrantur Ἑπταφαεῖς ζώνας ἐφορώμενοι, qui inſpiciant Zonas ſeptemplici luce fulgentes? Sed quid ſi hæ Zonæ Orphicæ pariter & Claudiani ſint Planetarum orbes, qui, ut Zodiacus, poſſet Zonarum inſtar cogitari? Et ſane Achilles Tatius Iſago. in Phænom. c. 16 p. 135, D, memorat *ζώνας τινὰς ἑπτά, δι' ὧν φέρονται οἱ ἑπτὰ ἀστέρες.* Et c. 18 p. 138, A *οἱ ἀστρονόμοι διδόασι ζώνας τῶν πλανήτων ἀστέρων, ὁ δὲ Πλάτων σφαίρας εἶναι λέγει.* Nempe Aſtronomus Zonis tantum quibusdam opus habet in quibus Planetæ moveantur: Plato & ceteri ſphæras totas ſolidas faciunt, Muſicæ cœleſti aptiores. Verum etiam Zonæ ſolemni Geographorum ſignificatione acceptæ cæleſtes motus, ſolis curſus, definiunt. Roma debet imago, quin compendium eſſe non planetarum, ſed totius orbis terrarum. Jam Poſidonius apud Strabonem 2 p. 65, 45. ſeptem Zonas facit, illis quinque antiquis duas adjiciens anguſtiores, ei, quam torridam vocant, temperatisque adeo, vtrinque ad tropicos, qui medias has Zonas ſecant, decerptas: *δύο ἄλλας στενὰς τὰς ὑπὸ τοῖς τροπικοῖς, καθ' ἃς ἥμισύ πως μηνὸς κατὰ κορυφήν ἐστιν ὁ ἥλιος, δίχα διαιρουμένας ὑπὸ τῶν τροπικῶν.* Eodem pertinet locus Gemini l. c. c. 13 p. 54 qui Poſidonianam ſententiam tum ex hiſtoria illuſtrat, Polybio præſertim *περὶ τῆς περὶ τὸν ἰσημερινὸν οἰκήσεως*, tum ex ratione, calidiores eſſe Zonas illas ſub tropicis poſitas affirmans, quod ſol ibi diutius moretur ſupra capita incolarum, in adventu & reditu, cum habitantes ſub ipſo æquatore celerius transeat. Doctum eſſe poëtam noſtrum, Alexandrinum, Coſmica doctrina imbutum, & *πολυμαθίας* oſtentatorem, conſtat. Cf. ad 22, 436.

139 *Geminos axes* Orientem & Occidentem intelligit, unde ſol venit, & quo abit.

140 *Obvius fatis* eſt, qui ſtrenue occupat fortunam & opportunitatibus utitur ad conſequenda ea quæ fatis ipſi deſtinata ſunt.

Hiſpanas caperet, Siculas obſideret urbes,
Et Gallum terris proſterneret, æquore Pœnum,
Numquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, poſt Cannas major Trebiamque fremebat:
Et cum jam premerent flammæ, murumque feriret
Hoſtis, in extremos aciem mittebat Iberos.
Nec ſtetit Oceano: remiſque ingreſſa profundum
Vincendos alio quæſivit in orbe Britannos.
Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ, ritu: civeſque vocavit,
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.
  Hujus pacificis debemus moribus omnes,
Quod veluti patriis regionibus utitur hoſpes:

Quod

142 ſubmitteret *vulg.* obſideret *etiam Cuj.* 146 teneret *Cuj.* ferirent *MS. optimus Heinſ. qui ſimilem conſtructionem obſervavit etiam ad* Ovid. Rem. 164 *& ad* Aen. 10, 238.

142 *Obſidere* tertia conjugatione nec optimos refugiſſe, docent Theſauri noſtri.

145 In verbo *fremebat* eſt pulchritudo inſignis. Notat enim ſpiritus & animos non depreſſos calamitate, ſed erectos. Oportet hic lectorem eventus præcipuos belli ſecundi Punici memoriæ præſentes habere.

146 Non admovit arietes Hannibal, ſed portis obequitavit, & cœpit comparare ad obſidionem neceſſaria. Vid. Liv. 26, 10 ſq. Hic modo ponimus verba c. 11 *Minuere ſpem Hannibalis & aliæ, parva magnaque res: magna illa, quod cum ipſe ad moenia urbis Romæ armatus ſederet, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audivit; parva autem, quod per eos dies eum forte agrum, in quo ipſe caſtra haberet, veniſſe, nihil ob id deminuto pretio, cognitum ex quodam captivo eſt.*

149 Adhuc Virgilius Ecl. 1, 67 *penitus toto diviſos orbe Britannos* dixit.

150 Ars Romana hæc fuit, ut devictis non pacem modo ſed civitatem darent. Liv. 1, 33 de Anco Marcio, *ſecutus morem regum priorum qui rem Romanam auxerant hoſtibus in civitatem accipiendis.* Et novimus paullatim totam Italiam, tandem, conſtitutione Antonini Caracallæ omnes in Imperio Ro. liberos in civitatem receptos, qua de re velut claſſicum opus eſt Ez. Spanhemii Orbis Romanus.

151 De hac re Plin. in peroratione operis inter alia pluſcula, *unam* Italiam *cunctarum gentium in toto orbe patriam factam.*

155 Quocunque venit, civis eſt, jura communia habet, in fide magiſtratuum & Præſidum Romanorum eſt.

Quod ſedem mutare licet: quod cernere Thulen
Luſus & horrendos quondam penetrare receſſus:
Quod bibimus paſſim Rhodanum, potamus Orontem,
Quod cunⅽti gens una ſumus. nec terminus unquam
Romanæ ditionis erit. nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiiſque ſuperbia, vertit.
Sic male ſublimes fregit Spartanus Athenas:
Atque idem Thebis cecidit. ſic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes.
Subjecit Macedo Perſen, ceſſurus & ipſe
Romanis. Hæc auguriis firmata Sibyllæ,
Hæc ſacris animata Numæ: huic fulmina vibrat
Juppiter: hanc tota Tritonia Gorgone velat.
Arcanas huc Veſta faces, huc Orgia Bacchus

Trans-

157 rurſus *vulg.* 167 Numæ eſt *vulg. Sed* eſt *om. MSS. & firmat hiatum exemplis Heinſ. Pro* vibrat, librat *Cuj.* 169 ſecum *vulg.* Bacchus *ex MSS. Heinſ.*

156 *Thulen*, credo generatim inſulas ad Septentrionem hic indicare: neque enim refert Poëtæ, propius & proprie deſignare ac definire nomen, vagum & fluctuans, de quo 5, 240 it. 7, 53. *Cernere Thulen* alias res ſummi periculi, immenſi laboris; nunc *luſus* vel *ludus* eſt. Vid. 7, 23. 3, 328. 26, 204.

158 Videtur nunc quadam ratione factum, quod inter ἀδύνατα eſt Virgilio Ecl. 1, 63 *Aut Ararin Parthus bibet, aut Germania Tigrin.*

161 Feliciter uno verſu comprehendit duas peſtes rerum publicarum, *Luxuriem*, cujus nota genealogia ex illo Cic. pro Roſc. c. 27 *In urbe* luxuries *creatur, ex luxuria exiſtat* avaritia *neceſſe eſt: ex avaritia erumpat* audacia: *inde* omnia ſcelera ac maleficia *gignuntur*. Superbia odiorum mater nec ſuperiorem poteſt ferre, nec parem: hinc illi vnus non ſufficit orbis etc.

162 *Spartanus* Lyſandro duce *Athenas fregit*; ſuccubuit ipſe Thebis, duce illarum Epaminonda. *Medus* Arbaces *ademit* imperium Sardanapalo Aſſyrio, *Medo* Aſtyagi Cyrus *Perſes*, huic Alexander: regna ab hujus ſucceſſoribus condita paullatim Romana illa Lupa devoravit.

166 *Hæc*, intell. Roma, vel Romana res publica. In Romani imperii inſtrumento haud ultimum locum habuere libri Sibyllini, & jus Pontificium ab Numa inſtitutum, & diſciplina Hetruſca, quam pulchre ſignat poëta, cum, *huic*, ait, *fulmina vibrat Jupiter.*

168 *Tritonia* Minerva *Gorgone* h.e. clipeo ſuo ſ. aegide tegit Romam. Reſpicit, credo Palladium, quod conditores Romæ Trojanos Aenea duce in Italiam attuliſſe, aiunt, aſſervatum inter *pignora imperii*. Vid. paſſim Servius, præſertim ad Aen. 7, 188.

169 De *Veſta*, cujus ignes æterni ſanctum & ipſi pignus imperii Romani, omnia docuit poſt Lipſium Ez. Spanhemius. Sed *Orgia Bacchi* furioſa irrepſere potius poſt ſeveras contra illa leges, quam ut recepta dici poſſint. *Phrygia dea* mater Deorum, Idæa, Cybele eadem,

Tranſtulit, & Phrygios genitrix turrita leones.
Huc defenſurus morbos Epidaurius hoſpes
Reptavit placido tractu, vectumque per undas
Inſula Pæonium texit Tiberina draconem.
  Hanc tu cum Superis, Stilicho præclare, tueris.
Protegis hanc clipeo matrem regumque ducumque,
Præcipueque tuam. Dedit hæc exordia lucis
Eucherio, puerumque ferens hic regia mater
Auguſto monſtravit avo: lætatus at ille
Suſtulit in Tyria reptantem veſte nepotem.
Romaque venturi gaudebat præſcia fati,
Quod te jam tanto meruiſſet pignore civem.
  Nec tamen ingratum, nec qui benefacta referre
Neſciat, hunc credas populum, ſi volvere priſcos

171 depulſurus *vulg.* defenſ. *MSS.* depreſſurus *Vien.* 175 *pro* matrem patriam *MSS.* 177 hinc *MSS.* 181 toto *vulg.* tanto *MSS.* pectore *Vic. Vien. Baſ. marg.* 182 tua facta *Baſ.*

dem, Leonibus invehi ſolita in nummis, ſolemniter illa quidem recepta & Peſſinunte advecta Romam, de qua re Liv. 29, 10 & 11.

171 Liv. epit. 11 *Quum civitas peſtilentia laboraret, miſſi legati, ut Aeſculapii ſignum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui ſe in navem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportavere: eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ædes Aeſculapio conſecrata eſt.* Enarrat copioſe omnia ex aliis Freinsh. in Supplem. 11, 12 ſq. *Defenſurus* hic ponitur antiqua ratione, quam illuſtrat Heinſius, & ego in Theſauris, ut depulſurus 22, 389.

173 *Pæonius Draco*, quem inſedit Aeſculapius qui Pæon, *παιὼν*, *παιὼν*, *παιήων* non minus, quam pater ipſius Apollo, vocatur paſſim in Hymnis antiquis, quod oſtendi ad Marmor Caſſellanum Comm. Soc. Gotting. To. 2 p. 287 ſq. Quod dicit poëta *texit*, intelligi vult ex hiſtoria, evanuiſſe Draconem in Inſula, quæ inde Aeſculapii dicta eſt. Ceterum *Pæonii* epitheton late extendere ad omnia, quæ cum arte Medicorum conjuncta ſunt, etiam noſtrum poëtam, apparet v. g. 26, 121.

174 *Hanc* Romam, cujus adhuc decora & laudes enarratæ ſunt.

178 *Avus & nepos* ad adoptionem referuntur. Adoptaverat enim Serenam Stilichonis uxorem, fratris ſui Honorii filiam, Theodoſius. Vid. 29, 104.

179 Eucherium facit *πορφυρογέννητον*, ut prodere jam videatur ſpes improbas Stilichonis, & conſilia adeo, quorum pœnam non ita multo poſt luit jure, injuria, tota familia.

181 Roma ſperat, te in poſterum proprium ſibi & perpetuum civem futurum, amaturum Romæ habitare, quod ea pignus ſibi, Eucherium tuum, dederit. Romam amabis, & quantum licebit habitabis, quia patria eſt Eucherii tui.

Annales libeat, quoties hic prælia ſumſit
Pro ſociis, quoties dono conceſſit amicis
Regibus Auſonio quæſitas ſanguine terras!
Publica ſed numquam tanto ſe gratia ſudit
Aſſenſu. quis enim princeps hoc omnibus egit
Obſequiis, dominum ſeſe patremque vocari,
Quod tibi continuis reſonant convexa diebus?
Macte novis Conſul titulis. Mavortia plebes
Te dominum, Bruto non indignante, fatetur.
Et quod adhuc nullo potuit terrore ſubacta
Libertas Romana pati, Stilichonis amori
Detulit. Exſultant avidi quocumque decorus
Conſpiciare loco, nomenque ad ſidera tollunt.
Nec vaga dilecto ſatiantur lumina vultu.
Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres:
Seu celebres ludos: ſolio ſeu fultus eburno

Cingas

188 hæc omnibus *al.* non omnibus emit Obſ. *conj. Heinſ.* 190 quin tibi *vulg.* quod *MSS.* 193 coacta *al. ut* 5, 314.

185 Sic Antiocho magno ereptam Aſiam cis Taurum inter ſocios, in quibus præcipuus Eumenes, diviſere. Vid. Liv. 38, 39.

189 *Dominum* & *Patrem* vocavit Roma Stilichonem. Vid. 15, 79.

190 *Convexa*, caveæ theatri, circi. Hanc notionem eſſe nominis, ut concavum potius ſignificet, quam ut illi opponatur, quo ſenſu hodie vulgo accipitur, in Theſauro Stephaniano oſtendi. Infra 28, 614 ipſam ſpectatorum multitudinem vocat poëta *vulgus gradibus Circi convexum*. Inclinationem igitur ad unum axem, aut centrum adeo unum, *convexum* notare videtur. Plauſus datus principibus in theatro. Virg. Ge. 2, 508 *Hunc plauſus hiantem Per cuneos (geminatus enim) plebiſque patrumque Corripuit.* Cf. mox 198.

192 *Brutus* Regum expulſor, ſi viveret, non indignaretur, ſub hac circumſtantia in his rebus, Stilichonem vocari *Dominum*, quod nomen libera reſpublica, & prima adeo ætas Cæſarum, ſervorum modo reſpectu heris tribuebat. Antiquum autem fuit, uti amoris & blanditiarum cauſa *Domini*, *Dominæque* dicerentur a Caritatibus ſuis & amoribus, quod in Theſauris noſtris oſtenſum. Hunc morem hic reſpicere videtur Poëta, cum Stilichoni nomen Domini ab amore tributum, affirmat.

198 *Circum* in pompa ingrediuntur & in eo circumvehuntur Magiſtratus & primi civitatis. Dion. Halic. antiquit. 7 p. 475 *Πομπὴν ἔστελλον τοῖς θεοῖς οἱ τὴν μεγίστην ἔχοντες ἐξουσίαν.* Quod autem addit, *Seu celebres ludos*, oſtendit, non in Circenſibus modo ludis, ſed in theatralibus & amphitheatralibus etiam plaudi Stilichoni.

Cingas jure forum: denſi ſeu turbine vulgi
Circumfuſa tuæ conſcendant Roſtra ſecures.
Quæ vero procerum voces, quam certa fuere
Gaudia, cum totis exſurgens ardua pennis
Ipſa duci ſacras Victoria panderet alas!
O palma viridi gaudens, & amicta tropæis,
Cuſtos imperii virgo, quæ ſola mederis
Vulneribus, nullumque doces ſentire laborem:
Seu tibi Dictææ placuerunt aſtra Coronæ:
Seu magis æſtivo ſedes vicina Leoni:
Seu ſceptrum ſublime Jovis, ſeu Pallados ambis

 Aegida:

200 ſtringas jure *conj. Heinſ.* denſi *MS.* 201 circumdent *Vic. Vien. Baſ. marg. Sed* conſcendant *Ald. Junt. etc.* 204 ædes *al.* alas etiam *Vic. Vien. Baſ. marg.* 205 et palma *vulg.* florens *MSS.*

200 *Cingere jure forum* intelligo de cancellis quibus tribunal quod hic anguſtiore appellatione *forum* dici puto, circumdatur. Declarata olim a nobis Tribunalis ratio in libello de Sipario Quinctiliani etiam ad hunc locum illuſtrandum valet.

202 Quæ hic de *Victoria* canit noſter, non tam triumphum proprie dictum ſignare videntur, quam in univerſum, pompam omnem Circenſem, in qua, ut canit Ovid. Am. 3, 2. 45. *Prima loco fertur paſſis Victoria pennis.* Hanc porro ita deſcribit noſter, vt varias illi ſedes in cælo, varia munera, ingenio & libertate poëtæ uſus, adſignet.

205 Victoria *tropæum* manu geſtans frequens eſt in antiquis monimentis apud Montfaucon.

208 *Coronæ* ſidus ſolet adſcribi Ariadnæ Cretenſi ſ. *Dictææ* puellæ. Vid. Hygi. Poët. Aſtron. 2, 5 p. 432.

209 Virgo cæleſtis, Juſtitia, Aſtraea, *Leoni vicina* in Zodiaco. Neſcio an alii quoque Victoriæ nomen illi tribuerint: ſed *ædiculam Victoriæ Virginis dedicavit M. Porcius Cato* teſte Liv. 35, 9: quæ forte ex h. l. firmamenti non nihil contra ſuſpicionem F. Urſini petere poteſt.

210 Dignus eſt locus, cui attendamus paulo diligentius. Victoriæ ſimulacra plura ornant thronum Jovis Olympii, teſte Pauſa. Eliac. 1 ſ. 5, 11. Manibus ipſius, & aliorum Deorum, impoſitas Victoriolas, diſcimus ex monimentis, & ex ſacrilegiis Dionyſii apud Cic. de N. D. 3 c. 34 & in Verr. 4, 49. In ſummo ſigno militari conſpicitur Victoria in nummo æneo P. Septimii Getae, qui habetur Muſei Florent. T. 4 tab. 55. Sed magis huc refert, quod *ſceptro* impoſitum videmus, ut alias aquila ſolet, (vid Juven. 10, 43) ut ſupra aquilam imagines Auguſtorum paſſim in Diptychis: ita Victoriæ ſignum in arcu triumphali Conſtantini M. apud Bellorium & Rubeum Tab. 46. Itaque non dubito ad hanc in ſceptro triumphali imaginem reſpici a Caſſiod. Var. 6, 1 ubi dicitur ad Conſulem, *validam manum* Victoriali *ſcipione nobilita.* Ut *Victoriati* nummi ſunt, Victoria ſignati: ſic *ſcipio Victorialis*, cui ſignum

Aegida: ſeu feſſi mulces ſuſpiria Martis:
Adſis perpetuum Latio, votiſque Senatus
Annue, Diva, tui. Stilicho tua ſæpius ornet
Limina, teque ſimul rediens in caſtra reducat.
Hunc bellis comitare favens: hunc redde togatum
Conſiliis. Semper placidis te moribus egit,
Servavitque piam victis, nec polluit umquam
Laurum ſævitia, cives nec fronte ſuperba
Deſpicit, aut trepidam vexat legionibus Urbem.
Sed verus patriæ Conſul, ceſſantibus armis,
Contentus lictore venit, nec inutile quærit
Ferri præſidium, ſolo munitus amore:
Magnarum nec parcus opum geminare profundas
Diſtulit impenſas: ſed poſt miracula caſtris

Edita

217 *pro* victis, vita, victam, vitas, juſtis, juncta *MSS.*
218 civem *MSS.*

ſignum Victoriæ impoſitum. *Palladis Aegida* ambiit forte Victoria n nobili opere Phidiæ, poſito in arce Athenis, in cujus etiam manu fuit: etiam in baſi, inter alios Deos xx, *Victoria præcipue mirabilis* viſa Plinio 36, 5 ſ. 4. Pauſa. Att. ſ. 1 c. 24 in pectore illius memorat Meduſæ caput (quod alias in Aegide ſ. clipeo habet) & Victoriam, Νίκην, *quatuor cubitorum:* quod mirum non eſt, ſi Minerva tota fuit, quod ait Plinius, *cubitorum ſex & viginti.*

211 Hic Victoria Marti uxor vel concubina certe datur. Et ſunt apud Apollod. Bibl. 1, 2. 4 p. 5 Νίκη ſ. Victoria, Κράτος, Ζῆλος, Βία Pallantis & Stygis liberi. Sic fuit Nice inter Theſtii quinquaginta filias, e qua Nicodromum ſuſcepit Hercules, ibid. 2, 7. 8.

214 Fuerunt Romæ antiquiſſima Victoriæ templa, de quibus Antiquarii. Horum *limina* intelligi hic poſſunt, ornanda a Stilichone. Pro *Victoriæ ara* conſervanda facunde intercedit apud Valentinianum, Theodoſium & Arcadium Imperatores, Symmachus 10, 54.

215 Victoria finit bellum, redditque adeo ducem ex armato *togatum conſiliis* & negotiis pacis.

216 *Placidis moribus* Victoriam *egit* Stilicho, Romanum illud, certe Virgilianum, ſecutus, *Parcere ſubjectis*, & Horatianum, *Jacentem lenis in hoſtem.*

220 Alliteratio, *Conſul verus*, implens etymon ſ. veriverbium nominis ſui, qui *conſulat* patriæ.

221 *Contentus lictore*, ſine armatis, ad imaginem antiquae & liberæ reipublicæ, ubi legibus ſolvi imperatorem oportet, ut poſſit, cum militibus triumphans urbem inire: ubi quamdiu armatus & militari manu cinctus eſt, *ad urbem* eſt, urbem, ſenatum, non ingreditur.

224 *Miracula* ſunt ludi varii Mediolani, ut videtur, editi, ad oblectandam aulam Honorii, item donativum militi datum, in quibus admi-

Edita vel genero, Romæ majora reſervat.
Auratos Rhodiis imbres, naſcente Minerva,
Indulſiſſe Jovem perhibent: Bacchoque paternum
Jam pulſante femur, mutatus palluit Hermus
In pretium: votique famem paſſurus avari
Ditabat rutilo, quidquid Mida tangeret, auro:
Fabula, ſeu verum, canitur; tua copia vincit
Fontem Hermi, tactumque Midæ, pluviamque Tonantis.
Obſcurat veteres, obſcurabitque futuras
Par donis armiſque manus. Si ſolveret ignis,
Quas dedit immanes vili ſub pondere, maſſas:
Argenti potuere lacus & flumina fundi.
  Nec tibi, quæ pariter ſilvis dominaris & aſtris,
Exiguam Stilicho movit, Latonia, curam.

227 incluſiſſe *Cuj.* 228 laxante *MSS.* laſſante *MSS.* 233 obſcuras -- obſcurabis *MS.* futuras *MS.* 235 quod *MS.* *hinc Heinſ. conj.* Quot: *vel* Quod dedit, immanis, vili ceu pondere, maſſæ.

admirabilem poëta liberalitatem & magnificentiam prædicat. Erat eo tempore Conſulatus gravis ſarcina patrimonii, quod in primis ex Symmachi epiſtolis pluribus, & tota Diptychorum conſularium hiſtoria conſtat. Vid. ad 347.

226 Fabulæ fons Homerus Il. β, 670: ſed ubi modo ſimpliciter ait, Καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων, defudit Rhodiis divinas divitias. Verum exornavit Pindarus Ol. 7, 63 Ἔνθα ποτὲ βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσαῖς νιφάδεσσι πόλιν, aureis nimbis urbem rigavit, cum, Vulcano obſtetricante bipenni ſua, de vertice Iovis Minerva proſiliit. Reliqua dabit volentibus Meurſius in Rhodo. 1, 17.

227 Tota Lydia Baccho ſacra, nominatim Hermus, vid. 35, 67. Cum auriferis etiam alias nominat noſter: ſed hoc forte ſolus hodie habet, auro *pallere* cœpiſſe Hermum, quo tempore Bacchus, fulminatæ matris Semeles exemtus utero, & femori Jovis incluſus exitum moliretur. Certe parallela fabula illi, de aureo imbre indulto Rhodiis. *Pallere* dici de colore auri, ex Diogenis apophthegmate notum, qui interrogatus, cur aurum palleat? reſpondit, Multos inſidiatores habet. Laërt. 6, 51.

231 *Tua copia*, liberalitas tua conſularis in ſpargendo auro. Vid. ad 20, 85. Huc pertinent illi ſacci vel folles inverſi nummorum in Diptychis, de quibus nuper accurate ut ſolet egit Cl. Saxius in Dipt. Magni Conſulis a p. 34.

235 *Vili ſub pondere*, pondere adeo magno, ut qui illud indicari forte audiret, non de nobilibus metallis, ſed de lapidibus aut vili alia materia ſermonem eſſe, ſuſpicaretur.

237 Ad venationes jam tranſit & ferorum peregrinorumque animalium ſpectacula. His præeſt Diana ſilvarum Dea, eadem in cælo Luna, Hecate apud inferos.

Tu quoque nobilibus ſpectacula noſtra laboras
Illuſtrare feris, ſummoque in vertice rupis
Alpinæ ſocias arcu ceſſante pudicas,
Et pharetratarum comitum inviolabile cogis
Concilium. Veniant humeros & brachia nudæ,
Armatæque manus jaculis, & terga ſagittis;
Incomtæ, pulchræque tamen. Sudoribus ora
Pulverulenta rubent: ſexum nec cruda fatetur
Virginitas: ſine lege comæ: duo cingula veſtem
Crure tenus pendere vetant. Præcedit amicas
Flava Leontodame. ſequitur nutrita Lyceo
Nebrophone, teliſque domat quæ Mænala Thero.
Ignea Cretæa properat Britomartis ab Ida,
Et curſu Zephyris numquam ceſſura Lycaſte.
Jungunt ſe geminæ metuenda feris Hecaërge:
Et ſoror, optatum numen venantibus, Opis,
Progenies Scythiæ. Divas nemorumque potentes
Fecit

246 horrent, trahunt *MSS.* rigent *conj. Heinſ. hic* & Ovid. Epiſt. 17, 16. 252 nuſquam *malit Heinſ.* 253 Erymanthe *Vic. Vien. Baſ. marg. Ald.* Achaarte *Vien. marg.* Acaerce & *alia monſtra in MSS. quæ firmant lectionem* Hecaërge *jam receptam Junt. Baſ.* 254 venatibus *Raphel.* 255 progenitæ Scythia *MSS.*

242 *Inviolabile* ad integritatem & caſtitatem virginalem refertur.

246 *Cruda virginitas*, duræ, incultæ, horridæ viragines, ſexum non produnt deliciis, mollitie, pavore.

247 *Duo cingula* unum ſub mammis, alterum humilius, quo ſuccinguntur veſtes ad genua, vel ſupra etiam, ne curſum impediant. Paſſim tales apparent in gemmis & nummis. Inſpiciat, qui poteſt, exempli gratia illa Maximi Moduli Numiſmata e Gallico Muſeo edita T. 19. it. 31.

248 Multum in his quoque nominibus & ingenii & eruditionis. Aperiamus quædam non initiatis veſtigia. Λεοντοδάμη Leonum domitrix eſt: Λύκειον mons Arcadiæ, luporum ſtabulum: Νεβροφόνη hinnulorum interfectrix: Θηρὼ venatrix: Britomartis nympha Dianæ cariſſima, & ipſa adeo Diana Cretenſis, de qua copioſe Spanhem. ad Callim. H. in Dia. 190 p. 258. *Lycaſtes* nomen lupis & ipſum cognatum, nobile etiam alias, recurrit v. 276 ſq.

253 *Hecaërge*, epitheton ipſius quoque Dianæ atque fratris illius adeo Apollinis, cujus radii & ſagittæ e longinquo operoſæ ſunt & efficaces. Hic filiarum Boreæ una, quæ cum Opi (Ὦπις vel Οὖπις) & Loxo (Λοξὼ) prima de Hyperboreis Delon venit, a Diana ibi in conſortium aſſumta. Vide omnia apud Spanh. ad Callim. H. in Del. v. 292.

Fecit Hyperboreis Delos prælata pruinis.
Hæ ſeptem venere duces. exercitus alter
Nympharum incedunt, acies formoſa Dianæ
Centum Taygeti, centum de vertice Cynthi,
Et totidem caſto genuit quas flumine Ladon.
Has ubi collectas vidit, ſic Delia cœpit:
„O ſociæ, mecum thalami quæ jura peroſæ
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,
Cernitis ut Latio Superi communibus ornent
Hunc annum ſtudiis? quantos Neptunus equorum
Donet ab orbe greges; laudi quam nulla canendæ
Fratris plectra vacent? noſtram quoque ſentiat idem,
Quam meritis debemus, opem. non ſpicula poſcit
Iſte labor; maneant clauſis nunc ſicca pharetris:
Omnis & à ſolitis noſter venatibus arcus
Temperet, in ſolam cruor hic ſervetur arenam.
Retibus, & clathris dilata morte tenendæ
Ducendæque feræ. cupidas arcete ſagittas.
Conſulis in plauſum caſuris parcite monſtris.
Acceleret diviſa manus, mihi curſus anhelas
Tenditur ad Syrtes. mecum Dictæa Lycaſte

258 famoſa *MSS.* 259 Taygetis, Taygete, Taygetiæ *MSS. unde* Taygetæ *conj. Heinſ. Vid. ipſe & Burm. ad* Georg. 3, 44. 261 quas *al.* 266 urbe *al.* donet habere *conj. Heinſ.* quod nulla *MSS.* laudique ut nulla canendæ *conj. Heinſ.* 272 clauſtris *vulg.* clathris *ex MSS. Heinſ. quod nomen hic illuſtrat. Sed conf.* 28, 657. 275 dum curſus *MSS.* mihi currus *MSS. etiam Cuj.* 276 Dictynna *MSS.*

259 *Taygetos* Laconicæ in Peloponneſo mons, *Cynthus* Deli ſaltus, *Ladon* autem fluvius Arcadiæ: undique igitur conducit nymphas & feras Diana ad inſtruendos Stilichonis ludos Conſulares. *Caſtum flumen* Ladonis, credo, dicitur propter Syringis nymphæ fabulam, quæ Pana fugiens hic in arundinetum mutata eſt. Vid. Ovid. Met. 1, 702. Notam Spartanarum pudicitiam huc allegare nolim cum Barthio: nimis illa ambigua eſt, nec attingit Ladon Laconicam.

265 *Neptunus* equeſtris, circi & curulium ludorum ab origine inde Dominus.

266 *Laudi canendæ* habent omnes, ſine ulla, quam obſervaverim, varietate. Interea ſententia hinc oritur plane contraria conſilio poëtæ. Quid enim? *nulla plectra vacant laudi* Stilichonis; quid

Digitized by Google

Et comes Opis eat. ſteriles juvat ire per æſtus.
Namque feras aliis tellus Mauruſia donum
Præbuit: huic ſoli debet, ceu victa, tributum.
Dum nos horribiles Libyæ ſcrutamur alumnos,
Europae vos interea perquirite ſaltus,
Et ſcopulos. poſita ludat formidine paſtor,
Securiſque canat Stilichonem fiſtula ſilvis.
Pacet muneribus montes qui legibus urbes.„
Dixit, & extemplo frondoſa fertur ab Alpe
Trans pelagus. Cervi currum ſubiere jugales,
Quos decus eſſe Deæ primi ſub limine cæli

Roſcida

279 ſed victa *MSS.* 281 Europes *Cuj.* 282 laudet *MS.* 284 parent muneribus *Vic. Vien.* Parent numinibus montes, ut *reliqui editi. Plane verſum omiſit MS. Claverii, & ipſe nihil illum ait ſapere: ſic & Barth.* Parcet, parcent, placet, paret, paſcet *MSS.* qui legibus *MSS. Debetur igitur Heinſio reſtitutio loci elegantis, qui etiam verbum* pacare *hic illuſtrat.* 287 lumine *Ald. Junt. rell. Sed* limine *jam Vic. Vien.*

quid ſignificat niſi hoc, nullum plectrum otii tantum habet ut operam dare poſſit laudi Stilichonis? *Vacare laudi* an aliud ſignificat, quam vacuum ab aliis totum ſedare laudi? Niſi volumus, humani quid paſſum poëtam, & levi permutatione caſus aliud dixiſſe, quam cogitarit; poſſumus putare *laudi* auferendi caſum eſſe (ut *labi*, *lapidi*, *luci* & ſimilia apud Voſſium de anal. 2, 12 p. 733) & legendum *canenda*: vel ſi omnino *laudi canendæ* rectum ſit, vitio librarii nos habere *nulla* pro *multa*.

276 *Syrtes* hic ad Africam omnem ſignandam adhibet Poëta, quam crudelium inprimis & monſtroſarum ferarum fertilem eſſe, & *Africanarum* appellatio docet, quo nomine leones, tigres, pardi, pantheræ comprehenduntur, & proverbium illud ortum ait Plinius 8, 16 pr. *Semper aliquid novi Africam afferre.*

278 *Mauruſia tellus*, proprie Mauritania, ſed hic totam Africam indicat, quatenus Romanis paruit.

Hæc Stilichoni *tributum debet* ob devictum Gildonem.

282 Effectus conquiſitarum ad Ludos ferarum, certe probabilis conquirendarum obtentus, ſecuritas paſtorum & gregum. Qui tales Ludos parant, illi ſuis his *muneribus pacant*, ſecurosque gregibus præſtant montes & ſilvas: hoc enim eſſe *pacare*, ipſa honeſta illa oppoſitio docet, *pacare urbes legibus*. Delicata igitur laus & excuſatio Stilichonis hoc verſiculo continetur.

286 Capturam quatuor *cervarum*, quas curru ſuo junxit Diana, deſcribit Callimachus H. in Dia. a v. 100. Monimenta nummorum, ubi illa cervis junctis vehitur, vel uni inſidet, dedit Spanh. ad l. c. v. 106.

287 *Limen cæli primum* eſt ſphæra illa nobis proxima, cum qua & in qua Luna circumfertur, ut 7, 164 *Ingrediturque* globum *Lunæ* limenque *reliquit Arcados. Limen* reſpondet οὐδῷ Homerico. Vid. Burm. ad Aen. 6, 255.

Roſcida fecundis concepit Luna cavernis.
Par nitor intactis nivibus. frons diſcolor auro
Germinat, & ſpatio ſummas æquantia fagos
Cornua ramoſo ſurgunt procera metallo.
Opis frena tenet, fert retia rara Lycaſte,
Aurataſque plagas: immortaleſque Moloſſi
Latrantes mediis circum juga nubibus ibant.
Quinque aliæ paribus (Phœbe ſic juſſerat) armis
Diverſa regione ruunt; ducuntque cohortem
Quæque ſuam. Variæ formis & gente ſequuntur
Ingenioque canes: illæ gravioribus aptæ
Morſibus, hæ pedibus celeres, hæ nare ſagaces:
Hirſutæque fremunt Creſſæ, tenueſque Lacænæ,
Magnaque

290 ſpatioſa *MSS.* 296 ducitque *vulg.* 300 argutæque *conj. Vlit. ad Grat.* 236.

288 Eſt quidem Luna eadem Diana: ſed h. l. (ut interdum Sol & Apollo) diſtinguuntur. *Luna roſcida*, Roris cum Jove h. e. aëre mater Alcmani apud Plutarchum de Facie in Orbe Lunæ p. 940, A (Διὸς θυγάτηρ ἔρσα καὶ σελάνας δίας) & Macrobium Sat. 7 extr. Hæc igitur Luna *cavernas* habet, βάθη καὶ κοιλώματα Plut. l. c. p. 944, B. In his *fecundis cavernis* naſcuntur animalia quindecies majora & præſtantiora noſtris, ſi fides Pythagoreis apud Plut. de Plac. 2, 30 εἶναι γὰρ πεντεκαιδεκαπλασίονα τὰ ἐπ' αὐτῆς ζῶα τῇ δυνάμει. Vid. mox v. 290. E Luna dejecti ad nos Saturnus, Dactyli, Corybantes, Trophonius & ſimiles apud Plut. de Facie in Orbe Lunæ p. 444, C. Hinc delapſus etiam eſt Leo Nemeæus, ut eſt apud Achillem Tatium Iſagog. c. 21. Teſte ad Virg. Ge. 3, 391 Servio', vel quiſquis auctor eſt, ille Leo Lunæ filius, *& invulnerabilis dictus eſt. Taurus medio ſidere Lunæ Progenitus* conſiderabitur 101, 120. Ne nimis miremur hunc Lunæ partum, cogitemus illud Ovidii Met. 6, 118 *Et te* (Neptune) *flava comas frugum mitiſſima mater Senſit equum.* Copioſe ea de re Pauſa. Arcad. ſ. 8, 25. Et ipſam Lunam Pan fefellit ap. Virg. Ge. 3, 391.

289 Aurea cornua fere habent cervi poëtici, ut Val. Fl. 6, 71: ut auratæ hoſtiæ, Serv. ad Aen. 9, 627.

290 *Summas æquantia fagos cornua* habent merito cervæ iſtæ, quæ e Luna venerint, ubi quindecies majora naſci animalia, modo docuimus.

293 *Immortales* etiam *Moloſſos* Lunæ progeniem putare fas eſt.

300 Dubium mihi non eſt pingi hic canes pro patriis ſuis, quales erant. Certe nunc *Britannici* canes magnitudine & robore præſtant. Cui vacat & volupe eſt, ille poteſt legere Jo. Caji Britanni de canibus Britannicis librum ad Conr. Geſnerum, quem poëtis minoribus etiam ſubjecit Burmannus. Verbo *frangere* in hac re uſus etiam noſter 22, 21.

Magnaque taurorum fracturæ colla Britannæ.
Dalmatiæ lucos abruptaque brachia Pindi
Sparſa comam Britomartis agit. tu Gallica cingis
Luſtra, Leontodame, Germanorumque paludes
Eruis, & ſi quis defenſus arundine Rheni
Vaſtus aper nimio dentes curvaverit ævo.
Nubiferas Alpes, Apenninique receſſus,
Garganique nives Hecaërge promta fatigat.
Speluncas canibus Thero rimatur Iberas,
Informeſque cavis urſos detrudit ab antris,
Quorum ſæpe Tagus manantes ſanguine rictus
Non ſatiavit aquis, & quos jam frigore ſegnes
Pyrenæa tegit latebroſis frondibus ilex.
Cyrneis Siculiſque jugis venata virago
Nebrophone, cervos aliaſque in vincula cogit
Non ſævas pecudes, ſed luxuriantis arenæ
Delicias, pompam nemorum. Quodcumque tremendum
Dentibus, aut inſigne jubis, aut nobile cornu,
Aut rigidum ſetis, capitur: decus omne timorque
Silvarum.

306 curvaverat *vulg.* 308 Nicharte *Vic. Vien.* *vid.* v. 253.

304 Non puto Galliæ leones hic aſſignare voluiſſe Poëtam, quod ex appellatione nymphæ, de qua ad 248, ſuſpicari quis poſſit: ſed quæ Leones domare venatrix poteſt, cui feræ non par ſit?

305 Non ignorantiæ Poëtæ ſunt tribuendæ arundines & apri in paludibus Rheni; ſed mutatæ cum incolis faciei terrarum: unde Palæſtina, & Hiſpaniæ partes quædam non reſpondent antiquis laudibus, neque Germania noſtra opprobriis.

306 *Aevo* i. ſenio *curvari* aprorum dentes, etiam recentiorum obſervatio eſt, ut Aldrovandi de Quadrup. bifidis L. 1 p. 1030.

307 Eosdem montes ita jungit 8, 106.

311 Deſcribit ſitim urſorum ab exagitatione & vulneribus ortam: *frigore ſegnes* habet reſpectum ad illum ſomnum urſorum hibernum a quo pingueſcere etiam dicuntur. Vid. Plin. 8, 36.

314 *Cyrnæus* a Cyrne, quod Græcum nomen Corſicæ. *Nebrophonen* jam] interpretatus ſum interfectricem hinnuleorum. *Arena luxuriari* dici poteſt, cum in Amphitheatro vel circo exhibentur non feræ ſævientes, ſed quæ prædæ & menſis populi cedant.

Silvarum. Non cauta latent: non mole reſiſtunt
Fortia: non volucri fugiunt pernicia curſu.
Hæc laqueis innexa gemunt? hæc clauſa feruntur
Ilignis domibus. Fabri nec tigna polire
Sufficiunt. rudibus fagis texuntur & ornis
Frondentes caveæ. Ratibus pars ibat onuſtis
Per freta, vel fluvios. Exſanguis dextera torpet
Remigis, & propriam metuebat navita mercem.
Per terram pars ducta rotis, longoque morantur
Ordine plauſtra vias, montani plena triumphi.
Et fera ſollicitis vehitur captiva juvencis,
Explebat quibus ante famem: quotieſque reflexi
Conſpexere boves, pavidi temone recedunt.
Jamque pererratis Libyæ flagrantibus oris,
Legerat eximios Phœbi germana leones,
Heſperidas qui ſæpe fugant, ventoque citatis
Terrificant Atlanta jubis, armentaque longe
Vaſtant

320 caute *vulg. cf.* 35, 11. 326 per fluvios *MS. it. Cuj.*
329 montanis -- triumphis *vulg. Sed* montani *jam Vic. Vien.*

320 Qui *caute* legerunt, intellexere rupem excavatam ſ. cavernam. Sed *cauta* refertur ad ipſa animalia. Sic 7, 90 *Cauto nec profuit hoſti Munitis hæſiſſe locis.*

323 Multitudinem ferarum ſic indicat poëta, quod negat ſatis magnum fabrorum poſſe numerum inveniri, qui ſufficiant tantæ, quanta opus ſit lignis pro cavearum multitudine ferro quadrandis atque poliendis, itaque e rudibus frondentibusque ramis & truncis compingendas utcunque per feſtinationem eſſe.

326 *Exſanguis dextera*, trepida & tremula, vel plane a refugiente propter terrorem ſanguine immobilis.

327 *Mercem* improprie dicit pro onere & omni illo, quod vehitur, quæ ordinarie *merx* eſt.

330 Juvencis ſ. generatim bubus junctis conſtare curſum clabularem (hoc proprium illius nomen eſt) & vehiculationem illam angariasque, quibus in hoc genere uterentur, ex utroque Codice, Theodoſiano præſertim Titulo (8, 5) de Curſu pblico ſatis conſtat.

335 *Heſperidas* nymphas ſilvarum Mauritaniæ incolas, quarum & horti illi nobiles.

Vaſtant Aethiopum, quorumqve impune fragoſa
Murmura paſtorum numquam venere per aures.
Non illos tædæ ardentes, non ſtrata ſuperne
Lapſuro virgulta ſolo, non vocibus hœdi
Pendentis ſtimulata fames, non foſſa fefellit.
Ultro ſe voluere capi, gaudentque videri
Tantæ præda Deæ. Reſpirant paſcua tandem.
Agricolæ reſerant jam tuta mapalia Mauri.
Tum virides pardos, & cætera colligit Auſtri
Prodigia, immaneſque ſimul Latonia dentes,
Qui ſecti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen

Per

338 paſtores n. excepere *vulg.* auras *MS.* 346 barros *MS.*
347 *Pro duobus verſibus unum quidam MSS. habent*, Qui mox in tabulas inſcripto Conſule ſecti.

337 *Impune & nunquam* jungenda. Nunquam audiunt paſtores rugitus & murmura leonum, quin paulo poſt damna in grege facta obſervent.

339 Ignem alias metuunt. Vid. Plin. 8, 16 ſ. 19. *Lapſurum ſolum* ita intelligendum. Deprimitur h. e. effoditur ſovea ſatis profunda, eaque obtegitur ſtramentis & viridibus. Eſcæ loco in medio ſuſpenditur hædus, porcellus vel clamoſum aliud animal etc.

344 *Reſerant*, aperta relinquunt mapalia, ante, ob metum beſtiarum, claudi ſeris & repagulis ſolita.

345 *Virides pardos* dixit, ut 36, 266 de tigride *totamque virentibus iram diſpergit maculis:* quaſi a veneno quodam iræ demum virides fierent: qua quidem in re ingenio ſuo obſequitur. Quæ mihi pro tigri oſtenſa eſt beſtia, ejus maculæ in albo nigricabant: nec video, qui hodie viride quidquam in toto hoc genere Africanarum obſervarit. Maculas nigras vulgo omnes tribuunt. Supereſt ut *virides* dilutiore, ut ita dicam intellectu dixerit poëta pardos, flaveſcentes aliquantum, ravos, ut ſunt lupi. Sic *fulvus aper* Ovid. Art. 2, 373 poëtis videtur quam venatoribus notior.

347 Deſcriptio Diptychorum eburneorum, quorum hoc ipſum tempus erat feraciſſimum, quod apparet ſi quis catalogum eorum, quæ adhuc publicata ſunt percurrat, quem nuper dedit cum ſuo Diptycho Cl. Saxius a p. 8. Gorianum enim Diptychorum conſularium theſaurum, cum iſta commentaret, nondum videram. Stilichonis ipſius aliquamdiu habitum Divionenſe illud, quod non ita pridem a Geſneris fratribus indultum, quod ad utramque partem ſ. tabulam publicavit & illuſtravit Hagenbuchius ὁ ἐπιγραφικὸς cum Quiriniano Diptycho a p. 232 ſq.

347 *Auro micantia* Diptycha interdum data oſtendit Symmachus Epiſt.

Per proceres & vulgus eant. Stupor amnibus Indis
Plurimus, ereptis elephas inglorius errat
Dentibus. Inſedit nigra cervice gementum,
Et fixum Dea quaſſat ebur, penituſque cruentis
Stirpibus avulſis patulos exarmat hiatus.
Ipſos quinetiam nobis miracula vellet
Ducere ſed pigra cunctari mole veretur.
Tyrrhenas fœtus Libycos amplexa per undas
Claſſica turba ſonat: caudamque a puppe retorquens
In proram jacit uſque leo. Vix ſublevat unum
Tarda ratis. Fremitus ſtagnis auditur in imis,
Cunctaque proſiliunt cete, terrenaque Nereus

Confert

349 omnibus *vulg.* amnibus *Claverius & Barth. ex MSS.* 351 inſidit *malit Heinſ.* 353 avulſo (*intell.* ebore) *conj. Heinſ.* 356 adnixa, advexa, complexa, adnexa *MSS. Excidiſſe verſum, conj. Heinſ.* 357 claſſis, *it.* claſſi. *MSS.* 358 jacit *MSS.*

Epiſt. 2, 80 *Domino & Principi noſtro* —— *auro circumdatum Diptychon* (ſic enim leg. pro barbaro *Dypticum*) *miſi. Cæteros quoque* (addamus enim etiam hoc) *amicos eburneis pugillaribus* (Diptychis) & *caniſtellis* (ſportulis) *argenteis honoravi.* Conf. 5, 54. 7, 77. 9, 113. Ut redeam ad aurum, videtur etiam auri filamentis, opere velut muſivo, nomen magiſtratus in Diptychis expreſſum, quod poëta vocat *rutilum.*

349 *Amnes Indi* ſtupent, cum tot ad ſe elephantas potum venire vident mutilos: dignior quidem ingenio noſtri videbatur hæc lectio & diſtinctio præ illa vulgata, *Per proceres & vulgus eant, ſtupor omnibus Indis.* Diptycha ſane non ſunt *ſtupor Indis omnibus*, quorum paucis, aut nulli adeo, innoteſcunt. Ne mutata quidem diſtinctione verum eſt, elephantas exarmatos ſtupori eſſe Indis omnibus. Sed hæc ſentiri debent, non doceri.

351 Mira phantaſia pingit Dianam inſidere cervici elephantis, & dentem c nvulſum eripere.

355 *Cunctari veretur*, non ſatis conſtanter mentiendi tenorem ſervas, Claudi. Quid enim poſt reliqua miracula difficile fuit Dianæ? Sed cauſa fatua etiam a dolo malo excuſat poëtam.

356 *Fœtus Libycos*, h. e. Leones & alias Africanas (quo nomine Tigres quoque & Pardos & Pantheras & Leopardos complecti ſolent) *complexa*, captas & vinctas tenens, *turba claſſica* navium & nautarum etc.

357 Aut immanis molis leo, aut parvum navigium: retorta etiam a puppe cauda, tamen capite proram attingit. Prodigialiter augetur magnitudo, ſi dedit poëta *jacit.* Sic enim corporis ipſius longitudo æquabit navim, quam retro quaſi emetietur cauda. Sed

reliqua

Confert monſtra ſuis: & non æquare fatetur.
Aequora ſic victor quoties per rubra Lyæus
Navigat, intorquet clavum Silenus, & acres
Inſudant tonſis Satyri, taurinaque pulſu
Baccharum Bromios invitant tympana remos.
Tranſtra ligant ederæ: malum circumflua veſtit
Pampinus: antennis illabitur ebria ſerpens,
Perque mero madidos currunt ſaliuntque rudentes
Lynces, & inſolitæ mirantur carbaſa tigres.



361 ſed non *vulg.* 364 adſudant *al.* 365 pronos *pro* Bromios *Claver.* ex *MSS.* & *Barth.* 368 ſolvunt *pro* ſaliunt *vulg.* *Sed* ſaliunt *jam Baſ. marg. Claver. MSS.*
369 inſolitas *MSS.*

reliqua etiam nimis ſunt ὑπερβολικὰ, & ultra τὸ πιθανὸν elata, eamque ipſam ob cauſam placere ſobriis vix ac ne vix quidem poſſunt.

366 Videtur præ oculis habuiſſe Ovid. Met. 3, 664 *Impediunt hederæ remos, nexaque recurvo Serpunt; & gravidis diſtringunt vela corymbis. —— Quem circa tigres, ſimulacraque inania lyncum, Pictarumque jacent fera corpora Pantherarum.*

XXV

CL. CLAUDIANI
IN LIBRUM
DE BELLO GETICO*

PRAEFATIO

Poſt reſides annos longo velut excita ſomno
Romanis fruitur noſtra Thalia choris.
Optatos renovant eadem mihi culmina cœtus,
Perſonat & noto Pythia vate domus.
Conſulis hic faſces cecini, Libyamque receptam.
Hic mihi proſtratis bella canenda Getis.

Sed

* De Victoria Stiliconis contra Alaricum *Vic.* de bello Getico, id eſt, de V. St. c. A. *Vien. Ald. Junt. Plant. Barth.* de bello Pollentiaco *MS. Claverii, it. Cujac. & Heinſ. Commentario ſuo inſcripſit Barthius,* de laud. Stilic. lib. IV. 5 cecinit *Baſ. Plant.*

* De *Bello Getico* non magis, quam de aliis argumentis poëtæ noſtri hiſtoricis, promittimus Commentarios. Illud modo eos, qui opus habent, monemus, quos *Gothos* & *Veſegothos* aut *Viſigothos* adeo appellat Jornandes, eos antiquo vocabulo Herodoti, ac deinde Ovidii etc. *Getas* vocari, (vid. Oroſ. 1,16 n. 5 & ibi Haverc.) ipſumque Gothum Jornandem videri ſuum opus inſcripſiſſe *de rebus Geticis:* tum illud, Iſtri ad Pontum Euxinum appropinquantis a ſiniſtra accolas fuiſſe hos vel Getas vel Gothos, (vid. 26, 81. 135. 169) quidquid de nominis tam late patentis vel originibus vel ſedibus alias diſputetur: denique, Stilichoni ſuo cum hic etiam faveat ſuus poëta, alios alia tradidiſſe: ut Caſſiodorus Chron. *Stilico & Aurelianus* (COSS. A. 400) *His Coſſ. Gothi Alarico & Radagaiſo regibus ingrediuntur Italiam.* Deinde *Arcadio V & Honorio V* (A. 402) *Hic Coſſ. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano victum Gothi acie fugaverunt.* Et apud Jornandem 1, 29 *Alaricus rex Gothorum* —— *ſumto exercitu per Pannonias, Stilicone & Aureliano Conſulibus* —— *intravit Italiam.* Ibidem c. 30 *Stilico ex inſidiis aggreditur Gothos ad Polentiam, civitatem in Alpibus Cottiis locatam* —— *Gothi* —— *primo perterriti ſunt, ſed mox* —— *omnem pene exercitum Stiliconis in fugam converſum usque ad internecionem dejiciunt.* Vid. ad v. 78. 90. it. 583.

1 *Reſides annos* eosdem puto, de quibus 23, 23.

4 *Pythia domus*, templum Apollinis Palatinum, recitationibus & Bibliothecis olim deſtinatum ab Auguſto, ſive ipſum, ſive quæcunque ædes ad exemplum illius recitationi ſerviens.

Sed prior effigiem tribuit ſucceſſus ahenam,
Oraque patricius noſtra dicavit honos.
Annuit hunc princeps titulum poſcente Senatu,
Reſpice; judicium quam grave, Muſa, ſubis!
Ingenio minuit merces properata favorem.
Carminibus veniam præmia tanta negant:
Et magis intento ſtudium cenſore laborat,
Quod legimur medio conſpicimurque foro.
Materies tamen ipſa juvat, ſolitumque timoris
Dicturo magna ſedula parte levat.
Nam mihi conciliat gratas impenſius aures
Vel meritum belli, vel Stilichonis amor.

7 amœnam *ante Claver.* 15 timorem *vulg.* 9 hic *vulg.* hunc *MSS.* 18 libri *vulg.*

7 Statuam decretam poſitamque Claudiano, hic ipſe locus declarat. Vtrum baſis illius inventa ſit a Pomponio Læto, & vera Inſcriptio? diſputamus in Prolegomenis.

8 *Patricius honos*, credo, eſt honos a Patribus, a Senatu habitus, vt *popularis*, quem populus tribuit.

10 *Reſpicere*, vel *reſpicere ſe* jubemus, quos a calore cujuscunque affectus revocamus. A Poëta tantam gloriam conſecuto nihil mediocre exſpectatur. Hæc exſpectatio gravis velut adverſaria eſt, quam ſuperare difficile.

14 *Medio foro*, Trajani, vt eſt in Inſcriptione.

15 *Solitum timoris*, ſolitum timorem, ut *repentina belli* etc.

16 *Sedula*, materiæ epitheton mihi placere non poteſt: metuo tamen, ne potius poëtæ imputandum ſit, quam librario.

XXVI CL.

XXVI

CL. CLAUDIANI

DE

BELLO GETICO

LIBER

Intacti cum clauſtra freti coëuntibus æquor
Armatum ſcopulis audax irrumperet Argo,
Aetnam Colchoſque petens; propiore periclo
Omnibus attonitis ſolus poſt numina Tiphys
Incolumem tenui damno ſervaſſe carinam
Fertur, & ancipitem montis vitaſſe ruinam,
Deceptoque vagæ concurſu rupis in altum
Victricem duxiſſe ratem. Stupuere ſuperbœ
Arte viri domitæ Symplegades; & nova paſſæ
Jura ſoli, cunctis faciles jam puppibus hærent,

Ut

2 Arctatum *Raphel. contra libros.* 8 ſuperbi, ſuperba *MSS.* 10 *pro* ſoli, ſali, *it. pro* cunctis, certis *MS.*

1 Qui hoc exordium plene intelligere, & ſuavitatem illius percipere velit, illum oportet ſummam fabulæ Argonauticæ præſentem animo habere: cujus non minima pars ſunt Cyaneæ rupes, Symplegades, trajiciendæ navigantibus Colchos, ubi regnabat Aceres pater Medeæ. Harum rupium ſubitus concurſus conflictusque interitum minabatur præſentiſſimum. Tiphys gubernator Argûs navis, ita obſervat tempus, quo diſceſſu ſuo trajiciendi ſpatium dabant rupes, ut nihil illo conflictu præter ornamenta puppis, ultra navim eminentia, perierit. *Corymbos* vocat Valerius Flaccus 4, 691 ubi graphica hujus tranſitus deſcriptio eſt, Græci ἄφλαστα, *apluſtria* Romani. Hoc eſt *tenue damnum* noſtri poëtæ v. 5.

4 *Poſt numina* Junonis & Minervæ, quæ diſtinuerunt rupes, ne ita cito cuire poſſent. Pulchre deſcribit Valerius Flaccus l. c.

10 Poſt illum Argûs tranſitum fato jam firmatæ ſunt Cyaneæ petræ, non amplius vocandæ Symplegades, quæ συμπληγῆναι confligi deſierint. Ovid. Met. 15, 337 *Timuit concurſibus Argo Undarum ſparſas Symplegades eliſarum, Quæ nunc immotæ perſtant, ventisque reſiſtunt.*

Ut vinci didicere ſemel. Quod ſi ardua Tiphyn
Navis ob innocuæ meritum ſic gloria vexit:
Quæ tibi pro tanti pulſo diſcrimine regni
Sufficiant laudes, Stilicho? Licet omnia vates
In majus celebrata ferant, ipſamque ſecandis
Argois trabibus jactent ſudaſſe Minervam;
Nec nemoris tantum junxiſſe carentia ſenſu
Robora, ſed cæſo Tmarii Jovis augure luco,
Arbore præſaga tabulas animaſſe loquaces.
Plurima ſed quamvis variis miracula monſtris
Ingeminent teneras vincturo carmine mentes,
Harpyiaſque truces, inſopitiſque refuſum
Tractibus aurati cuſtodem velleris anguem,
Et juga taurorum rapidis ambuſta favillis,
Et virides galeis ſulcos, fetaſque novales

Matris,

13 tantis -- regnis *conj. Heinſ.* 17 vinxiſſe *al.* 18 cæſa -- Arbore *conj. Heinſ.* teneri *MSS. etiam Cuj. it. Vic.* toto *Vien.* ſummi, totum *MSS.* monitu *Ald. Junt. Baſ.* Tomari *Plant.* Tmarii *Heinſ. Heſychii & Stephani auctoritate, atque Callimachi.* 19 armaſſe *Cuj.* 21 victuro *MSS. it. Cuj.* victuri *MSS.* vincturi *vulg.*

12 *Innocua* paſſive, cui. noxa illata non eſt, ut ipſe Virg. 10, 302 *Sedere carinæ omnes innocuæ.* Sic etiam *innoxium* poni, in Lexico ruſtico oſtenſum.

18 *Tmarius* Jupiter a monte Dodonæ *Tmaro* dictus apud Heſychium & Stephanum Byz. Add. Heinſ. ad Virg. Ae. 5, 620.

19 Hæc eſt illa carina Argûs navis (*τρόπις*) loquax & fatidica, de qua portenta canunt Argonautici. Modeſtius Val. Fl. 1, 301 ſqq. tutelam facit navis, & inducit dicentem in ſomnio Jaſoni, *Dodonida quercum, Chaoniique vides famulam Jovis: æquora tecum Ingredior: nec fatidicis avellere ſilvis Me niſi promiſſo potuit Saturnia cœlo.* Hæc *arbor*, hæc quercus Dodonæa fuit carina Argus, cujus animavit & reliquas *tabulas*, e carina tanquam coſtas e ſpina dorſi aptas, ut tota navis fatidica dici potuerit. Conf. ad 7, 118.

21 *Miracula ingeminant* poëtæ h.e. augent, multiplicant *variis monſtris* enarrandis qualia ſunt Harpyiæ, Draco, Tauri ignivomi.

22 *Inſopitis tractibus*, *ὁλκοῖς* ab *ἕλκω*, ſ. ſpiris nunquam plane ſopitis ſ. quieſcentibus: *refuſum* Draconem dicit, h. e. reflexum replicatumque jacentem, ut humi *funduntur*, qui procumbunt, & jacent: unde exercitus quoque fundi dicuntur, cum cæduntur & coguntur fugere.

24 Ignivomi ſunt tauri illi cuſtodes, ipſoque adeo halitu ſuo poſſunt noxam jugo inferre aut in cineres adeo illud convertere.

25 *Virides* non colorem indicat, puto, verum hoc modo, pro herbis

Matris, & in ſegetem creſcentis ſemina belli:
Nil veris æquale dabunt. Prohibere rapaces
Scilicet Harpyias, unaque excludere menſa
Nobilior titulus, quam tot potuiſſe paratas
In Latii prædam Geticas avertere fauces?
Anne ego terrigenas potius mirabor in ipſis
Procubuiſſe fatis, vitæ quibus attulit idem
Principium finemque dies; quam cæſa Getarum
Agmina, quos tantis aluit Bellona tropæis,
Totaque ſub galeis Mavortia canuit ætas?
Per te namque unum mediis exuta tenebris
Imperio ſua forma redit, clauſtriſque ſolutæ
Triſtibus exſangues audent procedere leges.

 Jamque

26 *quid ſi* creſcentia? 31 an ego *vulg.* 36 *pro* vnum, virum *MS. unde* iterum *conj. Heinſ.* excita *MSS. quod placet Heinſ.*

bis & viridibus proſiliiſſe de ſulcis galeata capita, & reliqua deinceps membra armatorum. Quod *fetas Martis*, hoc eſt armatorum, *novales* dicit, metaphora eſt ab animantibus tracta: *feta* enim eſt quæ peperit. Ceterum facile video, per hypallagen poni poſſe *bellum* i. bello concurſuros armatos *creſcere in ſegetem*: facilius tamen & naturalius eſſe videtur, *ſemina belli creſcere in ſegetem*, venire ad maturitatem, verbo vellem in bonis libris eſſet *creſcentia ſemina*.

27 *Nihil* etiam mentientes de Argonautis poëtae fingendo dabunt ita magnificum & admirandum, quod *æquale* ſit veris, quæ narrari de gloria Stilichonis poſſunt. Hoc ut oſtendat, comparationem ingreditur.

28 *Harpyias*, fœda monſtra, Calais & Zetes Boreæ filii a Phinei menſa, quam & ſpoliabant & fœdabant, abegere. Vid. Valer. Fl. Argon. 4, 428 ſqq.

29 *Titulus*, inſcriptio, quales in ferculis triumphi ferebantur, aut ponebantur, ſub ſtatuis, in arcubus etc. Hic igitur poſſis *titulum* etiam laudem reddere vel prædicationem.

34 *Aluit* Getas *Bellona tropæis*, virtutem illorum per victoriam & ſucceſſus auxit: quanquam neque ipſum victum excludere velim, quem ſibi armis paraverint.

35 *Tota ætas* Getarum *canuit*, peritiam & prudentiam ab uſu collectam habuit, ut adoleſcentes quoque veterani eſſe viderentur.

36 *Exuta* tenebris, ſqualore & obſcuritate, qua velut involuta erat, liberata. Ut lux gloriam notat & magnam celebritatem, ita tenebris indicatur infamia & humilitas. Hic illud inſuper vult poëta, leges, inſtituta, mores Romanos barbarorum incurſione opprimi, ut non agnoſcas illum populum victorem, qui in tenebris quaſi deliteſcat.

Jamque poteſtates priſcus diſcriminat ordo
Juſtitiæ, quas ante pares effecerat una
Nube timor. Tua nos urgenti dextera leto
Eripuit, tectiſque ſuis redduntur & agris
Damnati fato populi, virtute renati.
  Jam non in pecorum morem formidine clauſi
Proſpicimus ſævos campis ardentibus ignes:
Alta nec incertis metimur flumina votis
Excidio latura moram: non poſcimus amnes
Undoſam ſervare fidem, nubeſque fugaces,
Aut conjuratum querimur ſplendere ſerenum.
  Ipſa quoque interius furiis exercita plebis
Securas jam Roma levat tranquillior arces.
Surge, precor, veneranda parens, & certa ſecundis

Fide

40 ſuffuderat *vel* infecerat *conj. Heinſ.* 46 fulmina *MSS.* 50 internis *Heinſ. ex MSS. Sic & Cuj. Pro* plebis, belli *MS. inde* interni belli *conj. Heinſ. quod malim præ verſu ſibilante, quem dedit,* internis furiis exer. plebis. 51 leva *MS.*

39 Belli tempore. cum omnes hoſtem vel jam incubantem, vel imminentem certe, metuunt, ceſſant legitima imperia. Agunt hoc ipſum hoſtes, ut ſuis a dominis, magiſtratibus, principibus homines avocent.

41 *Nubes* cum proſpectum & diſtinctionem rerum etiam propinquarum adimat, perturbationem confuſionemque rerum, officiorum, perſonarum, apte exprimit.

43 *Fato* aſſignat infelicitatem Romanorum, reſtitutam felicitatem virtuti Stilichonis, vitio mortalitatis familiari, qui ſua peccata infortuniorum nomine vocent, ſecunda autem ſuæ ſapientiæ vel virtuti adſcribant.

44 *Formido* non tam rete eſt, quam funiculus ſ. linea panniculis, pennis præſertim varii coloris, diſtincta, cujus inſolita ſpecie, & motu ab aura, perterritæ beſtiæ contineri ſe, aut coarctari adeo patiuntur. Dictum ea de re in Theſauris V Formido & Linea.

46 Qui metuunt adventum hoſtilis exercitus, illi interdum ſperant, a fluminis ſubito incremenmento illum retineri poſſe, hoc flumen metiuntur votis, optant, ut quam latiſſime diffundatur, quam profundos agat vortices. Amnis, qui ſic remoratur hoſtes, *ſervat fidem* ſuis accolis, *undoſam*, undis actis hoſti terribilem. Novimus laudari munimenta a quorum aditu inundatione arceri hoſtis poteſt. Interdum hoc beneficium a cælo ac tempeſtate exſpectatur. *Nubes fugaces*, quæ diffugiunt non demiſſo ante imbre: *conjuratum ſerenum*, ſerenitas, quæ hoſtem juvat, ſimili figura ut 7, 98 *conjurati veniunt ad claſſica venti.*

Fide Deis, humilemque metum depone ſenectæ,
Urbs æquæva polo. Tum demum ferrea ſumet
Jus in te Lacheſis, cum ſic mutaverit axem
Fœderibus natura novis, ut flumine verſo
Irriget Aegyptum Tanais, Mæotida Nilus,
Eurus ab occaſu, Zephyrus ſe prodat ab Indis,
Caucaſiiſque jugis calido nigrantibus Auſtro
Getulas Aquilo glacie conſtringat arenas.
Fatales hucuſque manus, crebriſque notatæ
Prodigiis abiere minæ: nec ſidera pacem
Semper habent, ipſumque Jovem turbante Typhœo,
Si fas eſt, tremuiſſe ferunt, cum brachia centum
Montibus armaret totidem, ſpiramque retorquens
Lamberet attonitas erectis anguibus Arctos.

58 promat *vulg.* prodat *ex MSS. Heinſ. quod verbum illuſtrat ad 8, 644.* 64 timuiſſe *vulg.* 65 ſpirasque *vulg.*

53 *Metus* omnis eſt *humilis*, deprimit, contrahitque animos: *ſenecta* non ætatem ipſam productam, ſed imbecillitatem notat, quæ illi adjuncta eſt, triſtitiamque. Sic *Senium* & *conſeneſcere* paſſim.

54 *Ferrea Lacheſis* nihil aliud eſt, quam dura ſors, cui mortalia omnia ſubjecta ſunt. Romam illa ſorte eximebant, æternam urbem, Deam vocabant, pro Dea hymnis, qualis eſt ille Erinnæ, ſtatuis, nummis celebrabant. Portamus ex illa Erinnæ Ode unam ſtrophen, quæ maxime huc facit, *Πάντα δὲ σφάλλων ὁ μέγιστος αἰών, Καὶ μεταπλάσσων βίον ἄλλοτ' ἄλλως, Σοὶ μόνᾳ πλησίστιον οὖρον ἀρχᾶς οὐ μεταβάλλει*, quam ſic reddidit H. Grotius, *Quæque res cunctas vaga fallit ætas, Dum novis vitam variat figuris, Semper ut regnes, tibi perſtat auras Flare ſecundas.*

55 *Axem* more ſuo dicit cælum, & relationem ad illud telluris, climata, & quæ inde pendent. *Fœdera* etiam alias illum, quem naturæ ordinem vocare ſolemus appellat, E. G. 3, 4.

61 *Manus* barbarorum fato huc usque proceſſerunt: *prodigiis notatæ* ſunt *minæ* hoſtiles. Prodigia ut invertunt quodammodo rerum naturam aliam: ita prodigii & portenti inſtar eſt, Romam concuti & metuere a barbaris. Scilicet ut ipſum Jovem metuere Typhoëus & conjurari gigantes coëgere.

64 *Si fas eſt*, intell. dicere, vel credere, vel fieri adeo. *Centum brachia* tribuunt poëtæ non Briareo modo, ſed huic ipſi Typhoëo, v. g. Ovid. Met. 3, 305: & univerſim gigantibus, ut Id. Met. 1, 184 *Centum quisque parabat Injicere anguipedum captivo brachia cælo.*

65 *Spira* eſt flexus ſerpentis, ſive potius ipſa pars in ſpiram flexa, *volumina* etiam vocantur. Typhoëus anguipes eſt, pro pedibus habet ſerpentes, ut ceteri gigantes, quorum *pedes*, ut ait Macrob. Sat. 1, 20 *in draconum volumina deſinebant.* Noſtri imago plane horribilis eſt: anguinei

Quid mirum, ſi regna labor mortalia vexat?
Cum gemini fratres, genuit quos aſper Alœus,
Martem ſubdiderint vinclis, & in aſtra negatas
Tentarint munire vias, ſteteritque revulſis
Pene tribus ſcopulis cæleſti machina bello.
Sed caret eventu nimius furor: improba numquam
Spes lætata diu: nec pervenere juventæ
Robur Aloïdæ. dum vellere Pelion Otus
Nititur, occubuit Phœbo, morienſque Ephialtes
In latus obliquam projecit languidus Oſſam.

Adſpice, Roma, tuum jam vertice celſior hoſtem:
Adſpice, quam rarum referens inglorius agmen
Italia detruſus eat, quantumque priori
Diſſimilis, qui cuncta ſibi ceſſura ruenti
Pollicitus patrii numen juraverat Iſtri

Non

74 Othrys *vel* Otrys *ante Claver. qui* Otos. Otis, Orys *MSS.*

anguinei illi pedes in extremo habent capita cum linguis exſertis, & adeo immani ſunt longitudine, ut reflexi retortique ac duplicata illa parte in cælum erecti pertingant ad Urſas cæleſtes, quæ ipſæ attonitæ vident Dracones, illius, qui utramque ſpiris complectitur, æquales.

68 Hi ſunt *Aloidæ* quos apud inferos etiam vidit Aeneas Virgilianus 6, 582 exemplo Homeri Od. Λ, 304 Hi *Martem* captivum, & in æneo incluſum cacabo tenuere, periturum ibi, niſi furto Mercurii evaſiſſet. Fabula eſt Iλ. E, 385.

73 *Pervenere juventæ robur*, intellecta *ad*: plane ut exprimere voluiſſe videatur etiam phraſin Homericam v. 316 *Καί νύ κεν ἐξετέλεσσαν, εἰ ἥβης μέτρον ἵκοντο.* Nec alias inſolitum eſt omittere poſt hoc verbum Præpoſitionem. Ovid. Met. 3, 462 *Verba refers aures non pervenientia noſtras.* Stat. Theb. 3, 12 *Ut vero infames ſcopulos ſilvamque nefandam Perventum.*

78 Ergo magna clade in Italia affectus eſt ſecundum hæc Alaricus. Deſcribit cladem etiam Prudentius in Symmach. 2, 695 ſq. & inter alia canit v. 708 *Dux agminis imperiique Chriſtipotens nobis juvenis fuit* (Honorius) *& Comes eius Atque parens Stilicho.* Deinde, *Illic ter denis gens exitiabilis annis Pannoniæ, pœnas tandem deleta pependit.* —— *Mirabere* — *Poſteritas* — *cadavera* — *Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.* Hæc utrum veriora ſint his, quæ ad 25 pr. attulimus, an conciliari cum iis poſſint, quærere facilius eſt, quam certum reſpondere. Fateor tamen, mihi placuiſſe rationem Jo. Lud. Vivis in libello de Getis ſ. Gothis S. Auguſtini de Civitate Dei libris præmiſſo.

Non niſi calcatis loricam ponere Roſtris.
O rerum fatique vices! qui fœda parabat
Romanas ad ſtupra nurus, ſua pignora vidit
Conjugibus permiſta trahi. qui mente profunda
Hauſerat Urbis opes, ultro victoribus ipſe
Præda fuit. noſtri quondam qui militis auro
Aggreſſus tentare fidem, deſertus ab omni
Gente ſua manibuſque redit truncatus & armis.
Hoc quoque quod veniam leti valuere mereri,
Si poſitis pendas odiis, ignoſcere pulcrum
Jam miſero, pœnæque genus vidiſſe precantem.
Quæ vindicta prior, quam cum formido ſuperbos
Flectit, & aſſuetum ſpoliis affligit egeſtas?
Sed magis ex aliis fluxit clementia cauſſis,
Conſulitur dum, Roma, tibi. tua cura coëgit
Incluſis aperire fugam, ne pejor in arcto
Sæviret rabies venturæ conſcia mortis.
Nec tanti nomen ſtirpemque abolere Getarum,
Ut propius peterere, fuit. Procul arceat altus

 Jupiter,

98 nuncia *vulg.* conſcia *a Barthio & Heinſ. e MSS.*

82 *Roſtra* fori Romani; unde concionabantur ad multitudinem, intelligi, apparet.

85 *Mente profunda* exprimit poëta inſatiabilem cupiditatem, quæ inſtar profundæ voraginis expleri nullo modo poteſt. *Mένος* cogitaſſe videtur, partem, quæ vult in nobis & appetit, non quæ intelligit & ſcrutatur. *Devorandi* verbum in tali re amat Cicero.

89 *Manus* intelligamus milites, & copias adeo omnes, præter *arma*, quæ ſeparatim nominat.

90 Hic poëta illud *veniam leti* vocat & clementiam, in quo alii vel turpem Romanis pactionem, vel proditionem adeo deprehendere ſibi viſi ſunt. Vid. Zoſimus 5, 29. Et fuiſſe rem invidioſam, etiam ex hac defenſione apparet. Ipſa formula *valuere mereri*, indicat, *mereri* hic eſſe ſimpliciter conſequi ſine reſpectu dignitatis.

96 *Tua cura* poſuit pro *tui.* Dum tibi, o Roma, conſulit, tuæ ſalutis dum rationem habet Stilicho, maluit incluſis Getis fugæ occaſionem præbere, ne deſperatio illos in rabiem verteret, pernicioſam forte Romanis futuram. Honeſta & ſpecioſa oratio, quam populares mei breviter comprehendunt, *Fugienti hoſti pontem ſubſternendum eſſe aureum.*

99 Comparat inter ſe hæc duo, Internecionem Getarum, Periculum Romæ ab illorum deſperato impetu. Hæc ſi in bilancem imponantur, non tanti ponderis eſt prius, ut poſterius ſubeatur.

Jupiter, ut delubra Numæ, ſedemque Quirini
Barbaries oculis ſaltem temerare profanis
Poſſit, & arcanum tanti deprendere regni.
Quamquam, ſi veterum certamina rite recordor,
Tunc etiam, pulcra cum libertate vigerent,
Et proprio late florerent milite Patres,
Semper ab his famæ petiere inſignia bellis,
Quæ diverſa procul tuto trans æquora vires
Exercere dabant. Currus regumque catervæ
Inter abundantis fati ludibria ductæ.
At vero Italiam quoties circumſtetit atrox
Tempeſtas, ipſumque caput læſura pependit;
Non illis vani ratio ventoſa favoris,

Sed

101 ſanctumque *al.* 108 diviſa *MSS. pro* tuto, totas *MSS. hinc* tutas *conj. Heinſ.* virtus Exer. dabat *conj. Scal.* dabat *vulg. Sed* dabant *omnes MSS. Heinſ.* 109 catenæ *ante Heinſ.* 113 furoris *MSS.* timoris *MS. hinc* tumoris *conj. Heinſ.*

103 *Arcanum regni.* Ignem in templo Veſtæ, in primis intelligerem, niſi obſtaret illud, quod jam Theodoſius ſenior ſtatim a victo Eugenio dicitur Veſtales & cultum Veſtæ abrogaſſe, quod copioſe narrat Zoſimus 5, 28. Et fruſtra jam ante conſumta erat nobilis illa Symmachi relatio, quam oppugnarunt Ambroſius & Prudentius. An igitur alia imperii Ro. pignora reſpicit? Serv. ad Aen. 7, 188 *Septem fuerunt paria* (leg. *pignora*) *quæ imperium Ro. tenerent, acus Matris Deum, quadriga fictilis Vejorum, cineres Oreſtis, ſceptrum Priami, velum Ilionæ, Palladium, ancilia.*

109 *Regum catervas*, ab Heinſio ex bonis libris aſſumtas, eo minus mutare, & reducere *catenas*, quæ alioqui pulchre conveniunt, auſus ſum, quod auguſtius ſpectaculum ſunt *Reges* plurium numero, nec inviſum Romæ, cum *Reges* ſint etiam filii & fratres regum, ut non abſurde poſſimus etiam *catervas* illorum putare in triumpho ductas. Currum triumphalem Aemilii Paulli Macedonici præceſſerunt ipſe Perſes rex, tres illius liberi, Bitis, Cotyis regis filius etc.

110 *Abundans fatum*, quod plura tribuit, quam quis ſperare vel optare adeo audeat. *Ludibria* dicuntur non tam reſpectu triumphantis, quamquam id quoque, quam eorum de quibus triumphatur, quos, paullo ante in ſummo velut faſtigio conſtitutos, jam *Fortuna ſævo læta negotio, & Ludum inſolentem ludere pertinax*, (Hor. Car. 3,29.49) ad miſerrimam conditionem depreſſit.

112 *Tempeſtas --- pependit* pictura eſt nubis capitibus ac cervicibus imminentis, fulmina & grandines intentantis. Ceterum in hac prudentiae Stilichonis prædicatione ineſt tacita confeſſio, quam timendus etiam poſt prælium ad Pollentiam fuerit Alaricus.

Sed graviter ſpectata ſalus, ductorque placebat,
Non qui præcipiti traheret ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo vel læta vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu nimius, ſpatiumque morandi,
Vincendique modum mutatis noſſet habenis.
Cautius ingentes morbos, & proxima cordi
Ulcera Pæoniæ tractat ſolertia curæ,
Parcendoque ſecat, ferro ne largius acto
Irrevocandus eat ſectis vitalibus error.
Sublimi certe Curium canit ore vetuſtas,
Aeaciden Italo pepulit qui litore Pyrrhum.
Nec magis inſignis Pauli Mariique triumphus,
Qui captos niveis reges egere quadrigis.
Plus fuga laudatur Pyrrhi, quam vincla Jugurthæ.
Et quamvis gemina feſſum jam clade fugarit,
Poſt Decii lituos, & nulli pervia culpæ
Pectora Fabricii donis invicta vel armis,
Plena datur Curio pulſi victoria Pyrrhi.
Quanto majus opus ſolo Stilichone peractum
Cernimus! hic validam gentem, quam dura nivoſis
Educat Urſa plagis, non Chaonas atque Moloſſos,
Quos

114 ſuſpecta *MS.* 118 præ *MS.* tumidus *vulg. ſed* nimius *MSS. & exemplis tuetur Heinſ.* 122 longius *vulg.* latius *MS.* largius *Heinſ. ex MSS.*

121 *Pæoniam curam* eſſe medicam, monuimus ad 24, 173.

122 *Secando parcit* debebat dicere naturaliter: ſed etiam ipſa hypallage habet vim ſuam: ſecat dum parcit, & quia parcit: ne pars ſincera trahatur. Itaque cavet ne ſectio plus damni ferat, quam caveat.

125 *Aeacidæ* cognomen Pyrrho, quod per Achillem ab Aeaco deſcenderet, tributum etiam ab illo nobili oraculo, ſive verum fuerit, ſive confictum ab Ennio *Ajo te, Aeacide, Romanos vincere poſſe*, de quo Cic. Divin. 2 c. 56.

128 *Fuga Pyrrhi*, Pyrrhus in fugam actus a Curio: non laudatur Pyrrhus, quod fugit: ſic Jugurthæ vincula, quibus vinctus Jugurtha.

133 *Solo Stilichone:* cum ſolus eſſet Stilicho. Nam præpoſitionem paſſivi, *peractam*, ſimpliciter omitti, durius eſſe puto.

135 *Chaones & Moloſſi* ac *Dodonæi*, gentes

Quos Epirus alit, nec Dodonæa ſubegit
Agmina, fatidicam fruſtra jactantia quercum.
Primus fulmineum lento luctamine Pœnum
Compreſſit Fabius: campo poſt auſus aperto
Marcellus vinci docuit: ſed tertia virtus
Scipiadæ Latiis tandem deterruit oris.
Unus in hoc Stilicho diverſis artibus hoſte
Tres potuit ſuperare duces, fregitque furentem
Cunctando, vicitque manu, victumque relegat.
  Atque hæc tanta brevi miſcentem incendia Pyrrhum
Suſtinuit tota mærens Oenotria luſtro,
Et prope ter ſenas Itali per graminis herbas
Maſſylus Pœno ſonipes vaſtante cucurrit,
Hannibalemque ſenem vix ad ſua reppulit arva
Vindex fera patrum poſt bellum nata juventus.
Hic celer effecit, bruma ne longior una
Eſſet hiems rerum, primis ſed meſſibus æſtas
Temperiem cælo pariter belloque referret.

Sed

138 cunctamine *MS. quod placet Heinſio: mihi* ταυτολόγον *videtur.* 143 complere *ante Heinſ.* ſuperare *etiam Baſ. marg.* frangit *Raphel. quod probat Barth.* & *mox* vincit *MSS. Favet, quod ſequitur* relegat. 145 miſc. prælia *MSS.* & *Baſ. marg.* 147 Latii per graminis herbas *conj. Barth.* Latii per gramina meſſes: & v. 160 bellorum *editio Amſtel. Cæſiorum laudata Heinſio.*

gentes Epiri ſub Pyrrhi regno, quos cur deteriores faciat Getis, non apparet, cum bellicoſa ſemper illa pars Græce loquentium habita ſit. De fatidica Dodonæ quercu ad 7, 118 it. ad 26, 19 dictum.

138 *Fulmineum Pœnum & lentum luctamen*, antitheton vehemens.

144 *Relegat*, removet & remotum tenet. vid. 21, 250. Ceterum concinna brevitate (verum a poëta tali quis exſpectet?) trium ſummorum ducum laudes hic in unum confert Stilichonem ſuum.

145 Pyrrhi bellum duravit annis quinque: Punicum ſecundum, annis XVIII. *Herbæ* ſignificant ver: quot *herbæ graminis*, tot ſunt anni. Ut *poſt aliquot ariſtas*, poſt aliquot annos. Sic *meſſes*, *hiemes* etc.

150 *Poſt bellum* primum Punicum finitum nata juventus intelligi debet, ſi non volumus nimis excedere modum poëtam. Pauci ſane eſſe potuerunt milites, XVI vel paullo amplius annorum in exercitu Romanorum, poſt cœptum bellum cum Hannibale nati, qui ultimis annis duobus in acie contra illum ſtare poſſent.

152 *Hiems rerum*, tempeſtas, procella, turbo. Pulchre comparavit Heinſius Ovid. Epiſt. 1, 5. 34 *Peſſima mutati coepit amoris hiems.*

Sed quid ego Hannibalem contra, Pyrrhumque tot annis
Certatum memorem? cum illis Spartacus omne
Per latus Italiæ ferro bacchatus & igni,
Conſulibusque palam toties congreſſus, inertes
Exuerit caſtris dominos, & ſtrage pudenda
Fuderit imbelles aquilas ſervilibus armis.
Nos terrorum expers, & luxu mollior ætas
Deficimus queruli, ſi bos abductus aratro,
Si libata ſeges. non hanc ergaſtula nobis
Immiſere manum, nec conjurantis arenæ
Turba fuit. qualem Stilicho dejecerit hoſtem,
Thraces & Aemonii poterunt Mœſique fateri.
Frigida ter decies nudatum frondibus Aemum
Tendit hiems veſtire gelu; totidemque ſolutis
Ver nivibus viridem monti reparavit amictum,
Ex quo jam patrios gens hæc oblita Triones,
Atque Iſtrum tranſvecta ſemel veſtigia fixit
Threïcio funeſta ſolo; ſeu fata vocabant,

Seu

155 vili *al.* 156 furto *al.* 167 totiesque *vulg. ante Heinſ.* 170 ſimul *MS.*

153 *Temperiem cælo referre* pulchre dictum: *bello*, non item. Nempe optimi etiam in jungendis ſ. conjugandis uni verbo communi diverſis nominibus ſ. notionibus non ſemper ſatis accurate verſantur, quæ res figuræ nomen accepit, Zeugma vocant. Poſſis tamen dicere, invito verum hic excidiſſe Poëtæ: non enim finem allatam bello Getico illa receſſione Alarici de limite Italico, ſed qualemcunque temperiem ſ. moderationem.

155 De *Spartaco* dictum ad 3, 255.

162 Servorum pars *ergaſtulis* apertis prodiit, pars de ludis gladiatoriis, ubi *arenæ* & ſpectaculis parabantur.

170 *Semel* hic eam vim habet quam primum, ut noſtrum *ein mahl.* Ut Liv. 33, 9 *Ter prodita patria — ſemel, iterum, tertio.*

171 *Fata*, & *ira Deûm* ſibi opponuntur. Illa ſerie immutabili atque æterna cauſarum & eventuum continentur: hæc interponit ſe extra illum ordinem. Sic dicunt *fato* ſuo mori, qui ex lege & machinali ratione corporis morbo conſumuntur, quod quæſitæ manu ſua vel aliena morti opponitur. Hæc ipſa tamen *ira Deûm* quoque ordinem ſervat, & modum quendam agendi per cauſas naturaliter efficientes, hoc eſt *ſeriem meditatur ruinis*, quæ non uno impetu & ſine alia cauſa ingruunt, ſed velut e longinquo parantur, & per ſeriem quandam velut rotarum ſe contingentium & impellentium ad finem & effectum ſuum perveniunt.

Seu gravis ira Deum, ſeriem meditata ruinis.
Ex illo, quocumque vagos impegit Erinnys,
Grandinis aut morbi ritu per devia rerum
Præcipites per clauſa ruunt. nec contigit ullis
Amnibus, aut ſcopulis proprias defendere terras.
Nil Rhodope, nil vaſtus Athos, nil profuit Aemus
Odryſiis. facili contemtum Strymona ſaltu,
Et fruſtra rapidum damnant Aliacmona Beſſi.
Nubibus intactum Macedo miratur Olympum
More pererratum campi. Gemit irrita Tempe
Theſſalus, & domitis irriſam cautibus Oeten.
Sperchiuſque, & virginibus dilectus Enipeus,
Barbaricas lavere comas. Non objice Pindi
Servati Dryopes; nec nubifer Actia texit
Littora Leucates. ipſæ, qua durius olim

Reſtite-

173 exilio *al.* quoscunque *al.* 175 clauſa *vel* luſtra *al.* clauſa *MSS. Heinſ.* 177 Hebrus *Baſ. marg.* & *MSS. quid. Barth.* & *Heinſ.* 178 contemnunt *vulg.* 180 hinc tectum *vel* en tectum *conj. Heinſ.* 181 gerit *vulg.* gemit *etiam Baſ. marg.* 182 cotibus *al.* Oetam *al.* 186 quæ *vulg.*

179 *Aliacmon* ſ. Haliacmon Macedoniam propriam a Theſſalia dividit. *Beſſi* inter Thracas etiam bellicoſiores habiti. Sed qui hic totam Græciam deſcribit Poëta, & velut depingit in tabula, non ſatis huic loco intentus fuit, cum Beſſos multum ad Orientem & Septentrionem remotos facit damnantes Aliacmona, qui, rapidus licet, non potuerit arcere Getas. Atqui Hebrus ad quem colebant Beſſi, & Strymon erant ante ſuperandi, quam ad Aliacmona pervenirent ab Iſtro Getæ. Reliqua lector jucundius cum tabula Cellariana vel alia comparabit, quam longis adnotationibus hic declarata leget.

180 Montes *nubibus intactos* memorat Iſ. Voſſ. ad Melam 2, 2 p.443.

181 *Irrita*, profanata, cum ſanctitas illa poëtica & fabularis non magis, quam montes & ſilvæ, tueri illa poſſet.

183 *Enipeus* Theſſaliæ fluvius ob aquarum & litorum amœnitatem frequentatus Nymphis etiam antiquis, in quibus Tyro Salmonei filia, cui ſub Enipei ſpecie obrepſit Neptunus. Fabula eſt Od. Λ, 234. Conf. Lucia. Dial. Mari. 13 T. 1 p. 320.

184 Ab *Objiciendo* primum *objex* dictus: deinde, ut in *adjicere*, *abjicere*, ceteris, *i* prius ejectum, quod hic jure ſuo, & exemplo optimorum, revocat Claudianus.

186 *Durius*, pertinacius, Metaphora ab his, quæ in via agenda per Alpes, in cuniculis item militaribus vel bellicis effodiendis, objiciuntur.

Reſtiterant Medis, primo conamine ruptæ
Thermopylæ. Vallata mari Scironia rupes,
Et duo continuo connectens æquore muro
Iſthmos, & anguſti patuerunt clauſtra Lechæi.
Nec tibi Parrhaſios licuit munire colonos
Frondoſis, Erymanthe, jugis, equitataque ſummi
Culmina Taygeti trepidæ vidiſtis Amyclæ.
Tandem ſupplicium cunctis pro montibus Alpes
Exegere Getis tot tandem flumina victor
Vindicat Eridanus. Docuit nunc exitus, alte
Fatorum ſecreta tegi. quiſquamne recluſis
Alpibus ulterius Latii fore credidit umbram?
Nonne velut capta rumor miſerabilis urbe
Trans freta, trans Gallos, Pyrenæumque cucurrit;
Famaque nigrantes ſuccincta pavoribus alas

Secum

190 templa *vulg.* Lycæi *vulg.* Lechæi *e conj. Scal. & MS.*
196 hunc *Cuj.* 200 fluvios *Cuj.*

189 Ut antiqui perfodere Iſthmum ad navigandi commoditatem conati ſunt aliquoties: ita recentioribus curæ fuit illas anguſtias, muris ab uno ſinu ad alterum, a portu Lechæo ad Cenchreenſem ductis, munire. Hoc factum ſub Valeriani imperio refert Zoſimus 1, 29 *Πελοποννήσιοι τὸν Ἰσθμὸν διετείχιζον.* Hoc muro freti ſuas urbes ſine mœnibus reliquere, quod male illis per Alarici expeditiones ceſſit, narrante eodem Zoſimo 5, 6, cum Gerontius, præfectus muro, transeundi copiam illi daret.

195 Alpes vindicarunt injuriam tot montibus factam, ulti ſunt contumeliam ab Alarico & Getis illatam celebratiſſimis jugis. Vellem ego in bonis libris eſſet *Getas:* & apud Ovid. Faſt. 4, 230 *Hunc pœnas exigit ira deæ.* Apud Elzevirios 1650 jam expreſſum hic erat *Getas*: ſed mutari juſſum in erratorum indiculo. Apud Ovidium *Hinc* legebatur ante Heinſium. Sed mihi videtur non minus recte dici *exigere aliquem pœnas*, quam *Otium rogare divos*, & horum ſimilia. Et de paſſivo non eſt dubium, ut in illo Metelli apud Gell. 15, 14 *Seſe pecunias maximas exactos eſſe.* Sed nolim contendere in tali re, contra tales auctores, acrius.

198 *Latii umbram* dictam puto cum alluſione ad etymon. Umbra eſt, ubi latere licet adverſus lucem & æſtum etc.

200 *Freta* intelligo oram maris inferioris, litora Liguriæ, Galliæ, Hiſpaniæ.

201 *Fama*, horribile monſtrum, ſubter alas ſibi habet ſuccinctos pavores, ut *Scyllam* Virgilius Ecl. 6,75 facit *Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris.* Non impediunt hi pavores ſuccincti volatum & celeritatem famæ, quia leves ſunt, aura & vento conſtant.

Secum cunƈta trahens a Gadibus uſque Britannum
Terruit Oceanum, & noſtro procul axe remotam
Inſolito belli tremefecit murmure Thulen?
Mandemuſne Noti flabris, quoſcumque timores
Pertulimus, feſtæ doleant ne triſtibus aures?
An potius meminiſſe juvat, ſemperque viciſſim
Gaudia præmiſſi cumulant inopina dolores?
Vtque ſub occidua jaƈtatis Pleiade nautis
Commendat placidum maris inclementia portum;
Sic mihi tunc major Stilicho, cum læta periclis
Metior, atque illi redeunt in corda tumultus.
Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
Turribus invalidis fragiles procumbere muri,
Ferratæque Getis ultro ſe pandere portæ?
Nec vallum denſæque ſudes arcere volantes
Cornipedum ſaltus. Jam jam conſcendere puppes,
Sardo-

214 infragiles validis *MS.*

202 *Secum cunƈta trahere* dicitur Fama, quatenus illam, & rumores, quamvis vanos, ſequitur vulgus h. e. major pars hominum.

204 *Thulen* ad Septentrionem locat, nihil definit, ut ſolet. Vid. ad 5, 240 it. 24, 157.

205 An oblivione deleamus metus, quos ſuſtinuimus? plane ut Horat. Car. 1, 26 pr. *Triſtitiam & metus Tradam protervis in mare Creticum Portare ventis.*

208 Huc pertinet illa Socratis fabella, de voluptate & dolore a Jove catena inter ſe devinƈtis, ut altera ſemper alterum, aut alteram alter trahant.

209 *Occidua Pleias* ſ. occaſus Vergiliarum in IX Calend. Nov. refertur a Colum. 2, 8. 2 cum jam tempeſtuoſum eſſe mare ſolet, & navigatio cum periculo. Vid. ad 8, 437. Uſus verbi *commendare* plane ſimilis, quin ſententia eadem Plin. Pan. 5, 8 *Sicut maris cœlique temperiem turbines tempeſtatesque commendant* etc.

211 *Læta periclis metiri*, magnitudinem felicitatis æſtimare perpendendis periculis, quibus illa nos liberavit: ut medici beneficium æſtimamus magnitudine morbi, gravitate vulneris, quibus nos exemit.

214 *Turres* ſunt partes robuſtiores & velut articuli mœnium: *his invalidis* reliquum murum, tanquam fragilem, procumbere, mirum non eſt.

216 *Vallum* poſuiſſe videtur pro ipſo aggere: qui vero proprie antiquis valli erant, rami arborum bifurci aut plurium ſurculorum defixi in aggerem & ſibi implexi, hos vel pro his *denſas ſudes* ponit noſter. Fungebantur autem vice eorum, quos recentior diſciplina *equos Friſios* vel *equites Hiſpanos* appellat.

Sardooſque habitare ſinus, & inhoſpita Cyrni
Saxa parant, vitamque freto ſpumante tueri.
Ipſa etiam diffiſa brevi Trinacria ponto,
Si rerum natura ſinat, diſcedere longe
Optet, & Jonium refugo laxare Peloro.
Fultaque deſpiciens auro laquearia dives,
Tutior Aeoliis mallet vixiſſe cavernis.
Jamque oneri creduntur opes, tandemque libido
Hæſit avaritiæ gravioribus obruta curis.
Utque eſt ingenioque loquax, & plurima fingi
Permittens credique timor; tum ſomnia vulgo
Narrari; tum monſtra Deum, monituſque ſiniſtri:
Quid meditentur aves, quid cum mortalibus æther

Fulmineo

218 Sardoniosque *vel* Sardonios *it.* Cypri *vulg. ante Claver.* 219 ſinas *MS. belle.* 220 diffuſa *vulg.* diſtincta *Cuj.* & *MSS. unde* diſtenta *conj. Heinſ.* diffiſſa *it.* divulſa *al.* diffiſa *Clav. miſc.* p 13, b, & *Heinſ. ex MSS.* 222 optat *omnes: ſed* optet *vol. Heinſ.* & *ratio.* 228 tunc omina *conj. Heinſ.*

220 Cum Itali alii Sardiniam & Corſicam (hæc enim *Cyrne* eſt) inſulas petant, ut mari circumfluo tuti ſint: Siculi non ſatis fidunt anguſto freto, quod ſuam inſulam ab Italia ſeparat. Optat igitur Sicilia recedere ab illa longius, & *Jonium* mare, in anguſtias coactum in freto Siculo, dilatare recedente Peloro promontorio, ne nimirum ita facilis ex Italia trajectus ſit hoſtibus.

223 *Laquearia auro fulta* ſunt columnæ aureæ, ſuſtinentes laquearia ſplendide & ipſa culta. De verbo *fulta* vid. 28, 168. Hæc laquearia nunc deſpiciunt divites domini, nihil ſibi prodeſſe ſentiunt, & malint deliteſcere in cavernis vicinarum Inſularum Aeoliarum.

226 *Hæſit avaritia*, ſubſtitit, in quantum tali tempore nemo quisquam plus habere, augere poſſeſſiones ſuas cupit, ſed quæ habet, ea removere ſtudet ab oculis hoſtium, vel partis jactura conſervare reliqua.

227 Quid fieri in magno metu ac terrore ſoleat, exemplo eſt illud Veſuvii incendium, de quo Plin. Epiſt. 6, 20. 15 *Nec defuerunt, qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent --- falſò, ſed credentibus narrabant --- plerique lymphati terrificis vaticinationibus & ſua & aliena mala ludificabantur.*

230 Calumniator fuerit, ſi quis accuſet poëtam, aut ſibi perſuaſiſſe, aut voluiſſe credere alios, *meditari*, conari aliquid aves, conſcias vel has vel æthera ſibi ſuarum eſſe ſignificationum: ſed ſunt iſtæ Metaphoræ, a qualibus nec vita communis ſemper abhorret. Quis non dicat cum Cicerone Verr. 2 c. 61 *Quid ergo ſibi illæ ſtatuæ equeſtres inauratæ volunt?* e. i. g. a.

D d

Fulmineo velit igne loqui, quid carmine poſcat
Fatidico cuſtos Romani carbaſus ævi.
Territat aſſiduus Lunæ labor, atraque Phœbe
Noctibus æriſonas crebris ululata per urbes.
Nec credunt vetito fraudatam Sole ſororem
Telluris ſubeunte globo: ſed caſtra ſecutas
Barbara Theſſalidas patriis lunare venenis
Inceſtare jubar. Tunc anni ſigna prioris,
Et ſi quod fortaſſe quies neglexerit omen,
Addit cura novis: lapidoſos grandinis ictus,
Molitaſque examen apes, paſſimque crematas
Perbacchata domos nullis incendia cauſſis,
Et numquam cælo ſpectatum impune cometen,
Qui primum roſeo Phœbi prolatus ab ortu,
Qua micat aſtrigera ſenior cum conjuge Cepheus,
Inde Lycaonia paullatim expulſus ab Arcto

Crine

232 Caucaſus *Cuj.* 234 horriſonas *vulg.* Auſonias *Baſ. marg.* 239 neglexerat *al. etiam Heinſ. 2.* 246 Lycaoniam ad arcton *MSS.*

232 *Carbaſus* lintei genus Hiſpanici ſubtilis. Sed eodem nomine etiam vela navium ſignant, forte ſimili Aſteiſmo, quo tenuiſſimum quoddam byſſi genus *Baptiſtæ* nomine diſtinguunt. *Linteos libros* faſtorum h. e. in textili linteo ſcriptos, paſſim laudat Livius. Ex eo genere fuiſſe Sibyllinos, indicat etiam Symmachus 4, 34 *Monitus Cumanos*] *lintea texta ſumſerunt.* *Cuſtos ævi Romani*, in quo fata imperii deſcripta ſunt per omnia ſæcula, ad quem aditur rebus dubiis.

233 Pulchre hic & ſuperſtitiones plebeculæ, & ſuam rerum cæleſtium peritiam, juxta ſe ponit.

236 Etiam hic loquitur ita, ut motum telluri tribuat. Vid. ad 1, 1.

238 Hæc & ſimilia prodigia conſideravimus ad 18, pr. it. 20, 40 ſq. Qui Prodigia Liviana vel ex Indice Drakenborchiano vel ex Julio Obſequente percurrerit, & hæc & plura alia inveniet.

243 *Cometen non impune ſpectari* dicit etiam, de vulgi nempe ſententia, noſter 33, 234 h. e. ſemper conſequi ſolere mala quædam publica. Ceterum quem hic deſcribit cometen, hunc in Catalogo chronologico, ſed ſola hac auctoritate refert Lubieniecius ad A 405. Via quam dat cometæ, probabilis eſt, & ex obſervatione ſumtam haud dubito, quod comparatio viarum oſtendit, quæ a duobus inde ſæculis in literas relatæ ſunt.

247 *Geticum plauſtrum* appellat hoc ſidus cum alluſione ad bellum Geticum, & cladem gentis: ideo etiam fœdandi verbo utitur. Nempe *Lycaoniam urſam* puto eam, quæ minor vulgo vocatur: *plauſtrum* (noſtris *der Heerwagen*) urſa major.

Crine vago Getici fœdavit ſidera plauſtri,
Donec in exiguum moriens vaneſceret ignem.
Sed gravius mentes cæſorum oſtenta luporum
Horrificant. duo quippe lupi ſub principis ora,
Dum campis exercet equos, violenter adorti
Agmen, & excepti telis, immane relatu
Prodigium, miramque notam duxere futuri.
Nam ſimul humano geminas de corpore palmas
Vtraque perfoſſis emiſit bellua caſtis:
Illo læva tremens, hoc dextera, ventre latebant
Intentis ambæ digitis, & ſanguine vivo.
Scrutari ſi vera velis, fera nuntia Martis
Ora ſub Auguſti caſurum prodidit hoſtem.
Utque manus utero virides patuere retecto,

250 terrificant *MS.* 253 veramque *conj. Heinſ.* 256 latebat *Raphel.* 259 orbe *vulg.* ore *al.* ora *a Claverio.* 260 reſecto *conj. Heinſ.* recepto *MS.*

248 Pulchre pingit hic verſus phænomenon cometæ diſcedentis, & ſubducentis ſe conſpectui.

250 *Principem* pro more bonorum temporum intelligit Imperatorem Honorium. Utrum porro ſimpliciter finxerit hoc, & ex ſuo ingenio pepererit prodigium, an narratum ab aliis acceperit, non temere dixerim.

251 *Violenter adorti* quod ſunt agmen lupi, in hoc jam eſt prodigium, cum non niſi dura hieme, & in ſumma omnium inopia, invadere homines rapax beſtia ſoleat. Lupi in urbe viſi aliquoties in prodigiis apud Julium Obſequentem.

253 *Notam duxere* tranſlate dictum videtur, a ſcribentibus pingentibusve. Lupi ſignificationem dederunt non minus claram & apertam, quam ſi carmine fatidico nobis ceciniſſent periculum imperii. Ceterum vero ſimile eſt, aliquid accidiſſe, quod quamcunque ſimilitudinem haberet hujus narrationis.

254 *Palmæ humano de corpore* nihil aliud ſunt quam humanæ manus emergentes e vulneribus, quibus perfoſſæ erant beſtiæ, dextra e latere unius, ex latere alterius ſiniſtra.

258 Mutato genere & numero *fera nuncia* dicitur, qui paullo ante *duo* erant *lupi*, ut facilius lector cogitet Lupam Romuli. Jam Poëta primo ipſe interpretatur prodigium, deinde quomodo formido hominum illud interpretata ſit, oſtendit.

260 *Virides manus* ſunt vivarum, ſimiles ſucco ſuo plenæ, Metaphora ſolemni. *Uterum* de omni ventre dici poëtis, & ipſum frequens eſt. Interpretatio oſtenti ſecundum poëtam hæc erat: ruptis jam lateribus luporum in conſpectum veniunt manus: ſic perruptis jam Alpibus, quibus Lupa Martia ſe texerat, prodeunt manus, a quibus conficiuntur Barbari.

Romula poſt ruptas ſic virtus emicat Alpes.
Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium pejore via, truncataque membra,
Nutricemque lupam, Romæ regnoque minari.
Tunc reputant annos, interceptoque volatu
Vulturis, incidunt properatis ſæcula metis.
Solus erat Stilicho, qui deſperantibus augur
Sponderet meliora manu: dubiæque ſalutis
Dux idem vateſque fuit. *„Durate parumper,*
Inquit, *& excuſſis muliebribus ore querelis*
Fatorum toleremus onus. Nil nautica proſunt
Turbatæ lamenta rati: nec ſegnibus undæ
Planctibus, aut vanis miteſcunt flamina votis.

Nunc

264 Obſervari hic poteſt ellipſis verbi *dicit* vel ſimilis, quæ hiſtoricis quoque in uſu eſt.

265 Meticuloſi homines ita rationes ſubducunt. Duodecim vultures, qui omen regni fecerunt Romulo, Liv. 1, 7, tot ſæcula imperio portenderunt: nunc ſæculum agitur duodecimum, dicebant; ſed truncabant illa ſæcula, metas ac terminos illorum (ſi etiam demus reſpondere vulturum numerum numero ſæculorum) incidebant, neque enim niſi ex dimidia parte tum finitum erat ſæculum Romæ XII. Comparatur enim cum A. V. 1152, Chriſtianorum annus 400, circa quem iſta gerebantur. Si Sibyllina ſæcula annorum CX ponas, quod in hac re neceſſe eſt, alii plus centum anni decedent. Hoc, puto, ſibi voluit Claudianus, cum interceptum volatum vulturis minimum unius, cum *inciſa ſæcula properatis metis*, ait. Neque vero hic ſimpliciter fingit poëta. Audiamus Cenſorinum (qui libellum ſuum ſcripſit Anto. Pio & Pontiano Proculo COSS. V. C. 990. vid. Reland) de die nat. c. 17 extr. *Quot ſæcula urbi Romæ debeantur, dicere meum non eſt: ſed quid apud Varronem legerim, non tacebo, qui libro Antiquitatum duodeviceſimo ait, fuiſſe Vettium Romæ in augurio non ignobilem —– eum ſe audiſſe dicentem: ſi ita eſſet, ut traderent hiſtorici de Romuli urbis condendæ auguriis, ac duodecim vulturibus; quoniam* CXX *annos incolumis præteriiſſet populus Romanus, ad mille & ducentos perventurum.* Hæc non incognita fuerunt doctiſſimo poëtæ, ut neque fugerunt Apollinarem Sidonium, qui attingit Car. in Avitum 7, 55 & 358. Alia quæſtio eſt, an verus fuerit augur Vettius? quod putat Barthius, nixus verbis Marellini Comitis in Chronico Aetio & Studio COSS. (A. V. 1206. C. 455 ſecundum Rel.) *Aëtius patricius —– trucidatur, atque cum ipſo Heſperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari.*

268 *Manu*, non voce tantum *ſpondebat meliora* Stilicho. Fidem promiſſis viri & conſolationi addebat manus illa victrix, fortitudine non minus quam fide præſtans.

Nunc inſtare manu, toto nunc robore niti
Communi pro luce decet; ſuccurrere velis,
Exhaurire fretum, varios aptare rudentes,
Omnibus & docti juſſis parere magiſtri.
Non, ſi perfidia nacti penetrabile tempus
Irrupere Getæ, noſtras dum Rhætia vires
Occupat, atque alio deſudant Marte cohortes,
Iccirco ſpes omnis abit. Mirabile poſſet
Eſſe mihi, ſi fraude nova, vel calle reperto
Barbarus ignotas invaderet inſcius Alpes.
Nunc vero geminis clades repetita tyrannis
Famoſum vulgavit iter. nec nota fefellit
Semita præſtructum bellis civilibus hoſtem.
Per ſolitas venere vias, adituſque ſequendos
Barbarico Romana dedit diſcordia bello.
Sed nec præteritis hæc res incognita ſæclis.
Sæpe laceſſitam, ſed non impune, fatemur
Auſoniam. hæc Senonum reſtinxit ſanguine flammas.
Hæc & Teutonico quondam patefacta furori
Colla catenati vidit ſqualentia Cimbri.

 Vile

274 pectore *vulg. Sic* & Sil. 11, 492 Adductis percuſſa ad pectora tonſis.
275 ſuccedere *MS.* 278 non niſi *vulg.* non ſi *etiam Boſ. marg.*
287 ſecandos *it.* ſecundos *al.*

276 *Exhaurire fretum*, ſi quа rimam & vitium fecerit navis, qua aqua irruat, exhaurire illam, obſtruere lacunam.

277 *Docti* apud poëtas præſertim, non ſoli, qui literas tractant, ſed quicunque artem quamcunque, vel præceptis vel uſu, conſecuti ſunt.

278 *Penetrabile tempus* activa ſignificatione ut *penetrabile telum*, quod irrumpit & penetrat: ipſa temporis opportunitas inſtar teli eſt, certe celeritatem & vim adeo addit armis.

284 Eugenius & Maximus *tyranni* inter Alpes oppreſſi. Itaque bellis illis civilibus hoſtis *præſtructus*, q. d. præ inſtructus, edoctus & munitus eſt.

289 Pergit oſtendere, Alpes olim quoque tranſitas ab Romanorum hoſtibus, ſed nempe magno hoſtium infortunio, exitu certe triſti.

291 *Hæc Auſonia* ſ. Italia reſtinxit flammas, a Gallis Senonibus excitatas, illorum ſanguine.

293 Pertinet ad bellum Cimbricum a Mario confectum ingenti Teuto-

Vile decus, quod non erexit prævius horror.
Ingentes geminant diſcrimina magna triumphos.
Quid turpes jam mente fugas, quid Gallica rura
Reſpicitis, Latioque libet poſt terga relicto
Longinquum profugis Ararin præcingere caſtris?
Scilicet Arctois conceſſa gentibus Vrbe
Conſidet regnum Rhodano, capitique ſuperſtes
Truncus erit. Veſtros ſtimulant ſi pignora ſenſus,
Me quoque non impar naturæ cura remordet.
Nec ferro ſic corda rigent, ut noſſe recuſem,
Quam ſanctum ſoceri nomen, quam dulce mariti,
Quantus prolis amor. ſed numquam oblita decoris
Obſcenam latebram pietas ignava requiret.
Nec vobis fortis monitor, mihi cautior uni.
Hic conjux, hic progenies, hic carior omni
Luce gener. pars nulla mei ſubducta procellæ.
Accipe tu noſtræ, tellus Oenotria, mentis
Vincula communes tecum ſubeuntia caſus,
Exiguamque moram muris impende tuendis,
Dum redeo lectum referens in claſſica robur.„

His

295 generant *MS.* 300 captique *Vien. Baſ. Plant. Sed* capitique *jam Vic.* 302 cauſa *Baſ. marg.* 303 aut noſſe recuſant *vulg.* 311 pignora *vulg. nec damno. Sed* Vincula *jam Vien. & Baſ. marg. Heinſ.*

Teutonum & Cimbrorum ſtrage. *Colla catenata* noſter memorat etiam 22, 374.

294 *Vile decus*, gloria tenuis, quam non extollit & auget periculum, quo liberavit victor laborantes. *Geminare* hic eſt in alterum tantum augere.

298 *Profuga caſtra*, quæ poſt fugam transferuntur a media Italia ad ripas Rhodani: *præcingere*, velut tegere & veſtire, eaque re munire ac tueri.

302 *Naturæ cura*, quam dictat natura, naturalis: vt *noſſe recuſem*, non ſentiam, vel reprimam illum ſenſum naturæ, ac pietatem in meos.

306 *Obſcena latebra* turpis & pudenda: *pietas ignava*, amor qui non audet pugnare & facere ac pati omnia pro his qui amantur.

308 *Omni luce* h. e. vita *carior gener* Honorius, qui non ſit gener tantum, ſed idem terrarum dominus & Imperator. *Partes ſui* vocat neceſſarios, quos jam indicavit.

313 *Claſſica* poſuit Metonymia quadam, ut intelligamus exercitum. Neque enim *claſſicum canitur*, vel *canit* adeo, niſi ubi collecta eſt *claſſis*, hoc eſt exercitus.

His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
Pectora, migrantiſque fugam compeſcuit aulæ.
Auſaque tum primum tenebris emergere pulſis
Heſperia, ut ſecum junxiſſe pericula vidit
Auguſtum, tantoque ſui ſtetit obſide fati.
Protinus, umbroſa veſtit qua litus oliva
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parva puppe lacum prætervolat. ocius inde
Scandit inacceſſos brumali ſidere montes,
Nil hiemis cælive memor. Sic ille relinquens
Jejunos antro catulos immanior exit
Hiberna ſub nocte leo, tacituſque per altas
Incedit furiale nives. ſtant colla pruinis
Aſpera, flaventes adſtringit ſtiria ſetas.
Nec meminit leti, nimboſve aut frigora curat,
Dum natis alimenta paret. Sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia ſilvæ:
Quæ ſe Danubii jactat Rhenique parentem,
Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.
Primo fonte breves, alto mox gurgite regnant,
Et fluvios cogunt unda coëunte minores

 In

320 fluxu *MS.*

318 *Stetit* firma, non amplius vel fugit vel plane jacuit.

320 *Larius* lacus in Transpadana Gallia, hodie Comenſis (*Lago di Como*) Plinii junioris villis & poſſeſſionibus & laudibus nobilis, qui illum ſuum vocare ſolet, v. g. 2,8.1. Hic *Nerea* h. e. mare imitatur *fluctu*, undis, ſed *dulci*; itaque *mentitur*, ſimulat, non eſt.

326 *Furiale* pro adverbio ponitur, ut *horrendum clamat*: furit autem Leo propter famem ſuam & catulorum.

329 *Arcton* ſeptentrionesque videtur hic & alias poëta noſter valde extendere, nempe Alexandrinus ipſe, qui frigus & hiemes metuit etiam, ubi aliis moderata ſatis temperies cæli videtur. Sic *Rhætiam* valde extendit, cum non Hercyniæ modo ſilvæ facit conterminam, ſed eandem & Rheni & Danubii patriam. Scilicet fines regionum & nominum barbarorum, ut illis videbantur, regere difficile eſt. Et fontes duorum fluminum, quæ tum naturales fines erant imperii Ro. non longis a ſe intervallis diſtare, conſtat.

332 Etiam hoc audaciuſculum *Rhætia — prætendit flumina regno Romuleo*: i. fundit duo flumina quæ utraque imperii Romani fines (quibusdam certe partibus & temporibus diverſis) conſtituunt.

In nomen tranſire ſuum. te Cimbrica Tethys
Diviſum bifido conſumit, Rhene, meatu.
Thracia quinque vadis Iſtrum vorat Amphitrite.
Ambo habiles remis, ambo glacialia ſecti
Terga rotis; ambo Boreæ Martique ſodales.
Sed latus, Heſperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra jugis, panditque terendam
Vix æſtate viam. multi ceu Gorgone viſa
Obriguere gelu. multos hauſere profundæ
Vaſta mole nives, cumque ipſis ſæpe juvencis
Naufraga candenti merguntur plauſtra barathro.
Interdum glacie ſubitam labente ruinam

Mons

339 Martiſque *probat Bentl. ad Horat. car. 1, 25. 19.* 341 tremendam *ante Heinſ. qui dedit ex Delrii conj.* terendam. *ipſe conj.* premendam. *MS.* tenendam.

335 *Cimbrica Tethys* & ipſa late valde extenſa eſt: forte magis id conveniat Albi aut ab altera parte Viadro. Interea tamen cauſam habuit poëta *Cimbricum* mare, Tethyn *Cimbricam* vocandi partem Oceani Germanici, in quam procurrit Cherſonneſus Cimbrica: licet enim remotior ſit, nulla tamen vel Inſula major vel Peninſula intercedit. De oſtiis Rheni totis libris diſputatum. Conf. ad 21, 222.

337 Etiam Iſtri oſtia diverſimode a Geographis numerantur. *Quinque* facit cum noſtro Dionyſius Periegetes v. 301. Plinius 4, 12 *ſex*: Strabo 7 p. 212 *ſeptem*.

339 Videtur poëta in mente habuiſſe Horatii illum Car. 1, 25 extr. *ſodalem hiemis* ſive *Hebrus* eſt, ſive *Eurus*. Et, ne quid diſſimulem, *Hebro* magis videtur favere, neque tamen rem plane conficere. Hoc apparet, Danubium atque Rhenum fluvios dici *ſodales Boreæ*: ſi preſſo pede ſecutus eſt Horatium noſter, legit apud illum, *Hebrum* fluvium *ſodalem Hiemis*. Sed tamen nihil impedit, quo minus, ſervata analogia, etiam *Eurum* ventum dixerit ſodalem hiemis Horatius, quemadmodum Car. 4, 12. 1 *Veris comites animas Thracias*. Feliciter quidem imitatus eſt noſter, quoquo modo legerit, Horatium.

341 *Ferit aſtra* non audacius dictum illo Hor. Car. 1, 1 extr. *Sublimi feriam ſidera vertice*: ſed hic magis etiam proprie h. e. optice. Vid. v. 470.

342 Conſpectus capitis Meduſæ mutavit in ſaxa adſpicientes, hic ſaxorum inſtar durantur homines frigore.

345 *Naufraga* illud viſionem nobis offert horribilem quaſi maris glutientis & mergentis fracta navi onera illius omnia: *barathrum*, alias nigrum ab ipſa profunditate, hic *candet* a nive.

346 Tales ruinæ nec hodie inſolentes. Vel recentiſſima hujus ipſius anni hiſtoria exemplum habet villæ totius a mole nivium, volumine ſuo & vertigine in immenſum aucta, oppreſſæ. Quod *juvencos* ad *plauſtra* memorat, pertinet ad conſuetum ea tempeſtate

curſum

Mons dedit, & tepidis fundamina ſubruit Auſtris
Pendenti malefida ſolo. Per talia tendit
Frigoribus mediis Stilicho loca. Nulla Lyæi
Pocula; rara Ceres: raptos contentus in armis
Delibaſſe cibos, madidoque oneratus amictu
Algentem pulſabat equum. Nec mollia feſſo
Strata dedere torum. tenebris ſi cæca repreſſit
Nox iter, aut ſpelæa ſubit metuenda ferarum,
Aut paſtorali jacuit ſub culmine fultus
Cervicem clipeo. Stat pallidus hoſpite magno
Paſtor, & ignoto præclarum nomine vultum
Ruſtica ſordenti genitrix oſtendit alumno.
   Illa ſub horrendis prædura cubilia ſilvis,
Illi ſub nivibus ſomni, curæque laborque
Pervigil, hanc requiem terris, hæc otia rebus
Inſperata dabant. illæ tibi, Roma, ſalutem
Alpinæ peperere caſæ. Jam fœdera gentes
Exuerant, Latiique audita clade feroces

Dd 5 Vinde-

347 trepidis-aſtris *Vic. Vien. Baſ. marg.* tepidis-aſtris *al.* auſtris *MSS.* 350 cruda *it.* nulla *MS.* 355 tegmine *MS.* 360 illis *vulg.*

curſum clabularium, qui bubus conſtabat. Vid. Iac. Gothofr. ad l. 22 C. Th. de Curſu publ.

347 Philoſophatur more ſuo. Teporem aëris ab auſtris juvat naturalis calor terræ, molleſcunt igitur fundamenta h. e. ima ſtrata nivium humo proxima, & in loco declivi hærens adhuc, glacie nempe durata & firmata, moles, jam pondere ſuo victa cedit ac ruit. *Pendens ſolum* hic intelligo nimis accline, in quo moles paulo amplior ſedere non facile poſſit.

350 *Raptos* cibos non opus eſt intelligere vi ablatos incolis: quamquam illos forte hiſtoria ipſa non excludit ſimpliciter. Sed hoc indicat poëta, celeriter, & in ipſo itinere, raptimque adeo captos eſſe cibos. *Delibatos* ad moderationem & parſimoniam pertinet.

358 *Sordens* hic *alumnus* elegantiam addit & lucem picturæ poëticæ, ut Hor. Car. 2, 18. 28 *ſordidi nati*.

359 Pulchrum antitheton, quo oſtenditur, quæ dura & moleſta ſuſceperit Stilicho, illa omnia profuiſſe Romanis civibus.

364 *Latii* cladem intelligo non proprie, verum latiori ſignificatione de toto imperio Romano. Ceterum accuſat *Vindelicos* & *Noricos*, novarum rerum exſpectatione ſuſpenſos fuiſſe, & excutere jugum Romanorum paratos.

Vindelicos ſaltus, & Norica rura tenebant.
Ac veluti famuli, mendax quos mortis herilis
Nuntius in luxum falſo rumore reſolvit,
Dum marcent epulis, atque inter vina choroſque
Perſultat vacuis effrena licentia tectis;
Si reducem dominum fors improviſa revexit,
Hærent attoniti, libertatemque peroſus
Conſcia ſervilis præcordia concutit horror:
Sic ducis adſpectu cuncti ſtupuere rebelles,
Inque uno princeps Latiumque & tota refulſit
Roma viro. Frons læta parum, non triſtior æquo,
Non dejecta malis, miſta ſed nobilis ira:
Qualis in Herculeo, quoties infanda jubebat
Euryſtheus, fuit ore dolor: vel qualis in atram
Sollicitus nubem mæſto Jove cogitur æther.
„*Tantane vos*, inquit, *Getici fiducia belli*
Erigit? hinc animo fruſtra tumuiſtis inani?
Non ita Romanum fati violentia nomen
Opprimit; ut veſtros nequeat punire tumultus
Parte ſui. (*Neu vos longe ſermone petito*

Demorer

365 caſtra *MSS. inde* clauſtra *conj. Heinſ.* 370 fors *vulg.* fors *ex MSS. Heinſ.* revixit *Vien.* revinxit *Baſ.* reduxit *Plant. marg. Sed* revexit *jam Vic.* 378 color *MSS.* iniquam *MS.* 384 pace *Vien. marg.*

371 *Libertatem peroſus horror*, verbo, ſervilis metus, qui cum libertate conſiſtere non poteſt. Ubi libertas eſt, ea expellit metum, inimicum ſuum, quicum habitare in uno pectore nequit.

372 *Conſcia pectora* abſolute, ut intelligatur quidquid metum incutere vel augere poteſt: *conſcia* promeritorum, iræ domini, exemplorum ab illo editorum etc.

364 *Latium*, imperium Ro. ut v. 364.

378 *Euryſtheus* Mycenarum rex, cui fato quodam, & arte Junonis, ſervire coactus Hercules, celebratos illos labores ſ. ἀγῶνας ab illo imperatos peregit.

380 Vindelicos & Noricos alloquitur hic Stilicho, defectionem ſpectantes, de quibus a v. 363.

384 Si mihi recitaſſet ante quam ederet hos verſus Poëta, rogaſſem, ut hanc parentheſin, *Neu vos —Demorer*, omitteret, quæ neſcio quid indecens mihi, & languidum, & parum efficax habere videtur. Non tantum nihil decedat huic loco, ſed vigor accedat & nervorum aliquid, ſi hæc verba ſimpliciter omittantur.

Demorer) exemplum veteris cognoſcite facti.
Cum ferus Auſonias perfringeret Hannibal arces,
Et Trebiam ſævo geminaſſent funere Cannæ,
Nequidquam Emathium pepulit ſpes vana Philippum,
Ut velut afflictos ferro tentaret inerti.
Romanos commovit atrox injuria Patres,
Vrgerent majora licet: graviterque tulere
Urbibus inter ſe claris de culmine rerum
Congreſſis, aliquid gentes audere minores.
Nec pœnam differre placet; ſed bella gerenti
Punica Lævino Regis quoque prælia mandant.
Paruit imperiis Conſul; fuſuſque Philippus
(Vilia dum gravibus populis interſerit arma,)
Prætereunte manu, didicit non eſſe potentum
Tentandas, mediis quamvis in luctibus, iras.„
Hoc monitu pariter naſcentia bella repreſſit,
Et bello quæſivit opes, legitque precantes
Auxilio, menſus numerum, qui congruus eſſet,
Nec gravis Italiæ, formidanduſve regenti.
Nec minus accepto noſtræ rumore cohortes
(Sic ducis urget amor) properantibus undique ſignis
Conve-

385 fati *Vic. Vien. Baſ. marg. Recte, puto. marg. MSS. quod placet.* 387 ſocio *Baſ.*

387 *Trebia* & *Cannæ*, duo quaſi ſepulcra populi Ro. *Emathius*, Macedonicus a populo ſ. parte gentis.

396 Valerius *Lævinus* cum bellum contra Philippum geſſit, non *Conſul* fuit, ſed pro Prætore, quem etiam *Prætorem* recte dixit Livius. Vid. Viri docti ad Florum 2, 7 ubi eſt hiſtoriæ ſumma.

397 *Vilia* Philippi *arma*, cauſæ ſerviens vocat, quæ contemni nullo modo merebantur. Equidem ſi mei res arbitrii fuiſſet, feciſſem, quod modo dicebam ad 384.

400 Mirum fuerit, ſi hac vel ſimili oratione tantum profecit Stilicho, ut qui defectionem paullo ante vel rebellionem minabantur Vindelici atque Norici, ii non tantum quieſcerent, ſed in caſtris etiam Romanis militarent. Videtur poëtam cum veritate ipſe etiam ſpiritus defeciſſe.

402 *Menſus numerum*, rariuſcula, ut videtur, forma, ſed recti certe ſenſus: menſura ſine numero intelligi vix poteſt, certe commodius quam numeris expediri nequit.

Conveniunt; viſoque animi Stilichone recepti,
Singultus varios lacrymoſaque gaudia miſcent.
Sic armenta boum, quæ vaſtis turbida ſilvis
Spargit hiems, cantus ac ſibila nota magiſtri
Certatim repetunt, & avitæ paſcua vallis;
Inque vicem ſe voce rogant, gaudentque fideles
Reddere mugitus; & qua ſonus attigit aurem,
Rara per obſcuras apparent cornua frondes.
  Accurrit vicina manus, quam Rhætia nuper
Vindelicis auctam ſpoliis defenſa probavit.
Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exſangues Picto moriente figuras.
Agmina quinetiam flavis objecta Sicambris,
Quæque domant Cattos, immanſuetoſque Cheruſcos,
Huc

406 animis -- receptis *malit Heinſ.* 410 vel notæ paſc. *ante Heinſ. qui avitæ tuetur libris & exemplis.* pabula *MS.* 411 regunt *omnes editi.* rogant *MSS. quod placet etiam Delr. & Scal.* 413 vara *conj. Heinſ. pulchre.* 415 Vandalicis *MSS. Vicent. Cuj. Alludit* Vindalicis *Vien.* 418 exanimes *ante Claver.* exſangues *jam Baſ. marg.* 420 Cinthos *Vic.* Scinthos *Vien. Baſ.* Scinthios *Junt.* Citos *Ald.* Cattos *MSS. meliores, Claver. &c. Sic* Cherucas *Vic.*

411 Audito poſt tempeſtatem, quæ gregem diſperſit, paſtoris ſibilo vel cantu, mugitu reſpondent boues quædam, his aliæ; eâque ratione brevi intervallo grex colligitur. Pulchra Metaphora *rogant ſe invicem*, & *reddunt fideles mugitus*.

414 Debent Vindelici impetum feciſſe in Rhætiam: hos qui ſuperatos ſpoliaverant, nunc accurrunt ad Italiam liberandam a Getis.

416 *Prætendere*, *prætentus*, *prætentura* indicant milites paullo ultra limitem Romanum, velut extra mœnia ſive caſtra, tuendi cauſa collocatos, *Excubias* mox pulchre vocat v. 422 & *præſidia* v. 426. *Tendere*, eſt tendendis pellibus vel ſagis parare ſibi, vel parata habere qualiacunque tecta, quæ inda *tentoria* vocantur. Eſt ergo *legio Britannis prætenta*, quæ limitem meridionalis Britanniæ ſ. proprie dictæ, contra ſeptentrionales Britannos, qui hodie etiam *Scoti* ſunt, tuetur. Hæc univerſim ex notitia Imperii & hiſtoricis, de Britannia autem ex Horsleji Britannia Romana illuſtrari, ſi quis hoc agat, poſſunt. De *Pictis* vid. ad 7, 54. De *Sicambris*, (*Sygambris*) ad 8, 446 it. 24, 18.

418 *Perlegit*, cum admiratione animadvertit, qui morientem ex vulneribus Pictum, ſtigmatis inſignem conſiderat, illa ſtigmata quoque colorem mutare deſerente ſanguine.

Huc omnes vertere minas, tutumque remotis
Excubiis Rhenum ſolo terrore relinquunt.
Ullane poſteritas credet? Germania quondam
Illa ferox populis, quæ vix inſtantibus olim
Principibus tota poterat cum mole teneri,
Tam ſeſe placidam præſtat Stilichonis habenis,
Ut nec præſidiis nudato limite tentet
Expoſitum calcare ſolum, nec tranſeat amnem,
Incuſtoditam metuens attingere ripam.
Celſior o cunctis, unique æquande Camillo!
Veſtris namque armis Alarici fracta quievit,
Ac Brenni rabies. confuſis rebus uterque
Divinam tribuiſtis opem: ſed tardior ille
Jam captæ vindex patriæ; tu ſoſpitis ultor.
O quantum mutata tuo fortuna regreſſu!
Ut ſeſe pariter diffudit in omnia regni
Membra vigor, vivuſque redit color urbibus ægris!
Creditur Herculeis lucem renovaſſe lacertis
Femina dilecti fatis impenſa mariti.
Et juvenem ſpretæ laniatum fraude novercæ

Non

423 credat *ex MS. Heinſ. Sed* credet *omnes.* 424 populi *MS.* 426 jam *ante Barth.* præbet *vulg.* 427 principe *Baſ. marg.* 437 calor *vulg.* 438 reparaſſe *MS.*

425 Verba *tota cum mole* jungenda ſunt participio *inſtantibus.* Inſtabant barbaris, urgebant illos Principes Romani cum toto exercitu, & vel ſic vix *tenere* illos & coërcere poterant.

434 *Ultor* igitur hic eſt, qui intentatam modo, nondum illatam, injuriam repulit.

437 *Color* poëticum magis eſt quam *calor*: hic pars, ille ſignum ſanitatis.

439 Tangit fabulam Alceſtis, quæ vicariam pro viro ſuo Admeto Theſſaliæ rege mortem ſubire auſa, ab Hercule revocata in vitam eſt. Argumentum fabulæ cognominis Euripidæ. Reſpicit noſter etiam 29, 12. Amare, ut ſolet Juvenal. 6, 653 *Spectant, ſubeuntem fata mariti Alceſtim, &, ſimilis ſi permutatio detur, Morte viri cupient animam ſervare catellæ.*

440 *Juvenem* Hippolytum, Theſei filium, cum inceſtum Phædræ novercæ amorem repudiaſſet, hæc apud maritum calumniata perfecit, ut precibus Theſei monſtrum marinum & furorem obiiceret Neptunus illius equis, a quibus laceratus, ſed Dianæ venatricis (hæc eſt *Latonia*) ſtudiis in vitam eſt revocatus.

Non ſine Circæis Latonia reddidit herbis.
Cretaque, ſi verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire ſepulcro:
Quem ſenior vates avium clangore repertum
Gramine reſtituit; miræ nam munere ſortis
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
Sed tot communi populos ſub morte jacentes,
Totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.
Ipſo Roma die, nec adhuc oſtenditur auctor,
Perſonuit veniſſe ducem, lætiſque Quirites
Vocibus auſpicium certi plauſere triumphi,
Muniti Stilichone ſuo. Quis gaudia vero
Principis, amplexus alacris quis diſſerat aulæ?
Pulveris ambiguam nubem ſpeculamur ab altis
Turribus, incerti, ſocios apportet an hoſtes
Ille globus: mentem ſuſpenſa ſilentia librant,

Donec

442 vera *Baſ. Junt. Ald.* 453 veri *Ald.* & *MSS.* veros *al.*

revocatus. Suaviter narrat ſummam rei Virg. Aen. 7, 765 ſqq. Extant Euripidis & Senecæ hoc nomine & argumento tragœdiæ. *Circææ herbæ* ſunt magicæ, quibus præeſt Diana, quatenus Hecate eſt. Itaque non opus habuit Aeſculapio quem Virgilius l. c. ob reſuſcitatum Hippolytum a Jove fulminatum, cum aliis refert.

442 Monſtroſa fabula, quæ tangitur ab Ovidio Ibide 559; narratur, ſed cum diverſitate quadam ab Apollodor. Bibl. 3, 3. 1 & Hygino f. 136. Nos breviter ſupplebimus abruptam brevitatem noſtri poëtæ. *Minous puer* eſt Glaucus Minois, Cretæ regis, filius, hic in mellis dolium nemine conſcio delapſus perierat. Reperit illum augurio Polyidus vates, & a dracone edoctus herbam potentem, vitam ei reſtituit.

450 Ipſo die, quo Stilicho ad Alpes vicit, Romæ increbuit fama victoriae. Imitatur, puto, poëta vetera ejus genus miracula, de victoria qua Sybaris eſt deleta, ad Sagram, Cimbrica, Macedonica, quæ collegi olim in Chreſtom. Pliniana ad n. 12 no. 28 ſqq.

454 *Diſſerat* poſitum pro *ediſſerat*, enarret.

455 De pulveris fallaci indicio v. ad 22, 398.

457 Ad *ſuſpenſa* appoſite admodum convenit *librant*, ut mens concipiat imaginem bilancis nondum conſiſtentis, ſed alternis momentis huc illuc nutantis Hic verſus, & aliquot ſequentes divini ſunt, & optimis Virgilianis nihilo inferiores.

Donec pulvereo ſub turbine ſideris inſtar
Emicuit Stilichonis apex, & cognita fulſit
Canities. Gaviſa repens per mœnia clamor
Tollitur, Ipſe venit! Portas ſecura per omnes
Turba ſalutatis effunditur obvia ſignis.
Non jam delectus miſeri, nec falce per agros
Depoſitâ jaculum vibrans ignobile meſſor.
Nec tentat clipeum projectis ſumere raſtris
Bellona ridente Ceres, humiliſque novorum
Seditio clamoſa ducum: ſed vera juventus,
Verus ductor adeſt, & vivida Martis imago.
Proſpera ſed quantum noſtræ ſpes addita menti,
Tantum exemta Getæ: qui vertice proximus aſtris
Poſt Alpes jam cuncta ſibi promiſit apertas,
Nil ſupereſſe ratus. poſtquam tot flumina pulſus,
Cinctaque fluminibus crebris tot mœnia cernit;

Tot

458 vertice *MSS.* vortice *malit Heinſ.* 462 ſalutandis *malit Heinſ. recte.* 471 promittit *Junt. Ald. Baſ.* 472 pulſis *vulg.* pulſa, paſſim, paſſis *al.* vallis *conj. Heinſ. Totum verſum tollendum cenſet Barth.*

461 *Ipſe venit!* Pulchre exprimit illud αὐτὸς Græcorum, quo patrem familias, herum, magiſtrum ſignant, ut illo ſuo αὐτὸς ἔφα Pythagorei.

462 *Salutatis* poteſt ſignificare, jam de turribus ac mœnibus ſalutata ſigna. Non nego tamen, mihi quoque *ſalutandis* magis placere, quod de ſe dicit Heinſius.

464 *Ignobile* adverbii vicem ſuſtinet.

466 *Bellona* ridet *Cererem*, h. e. ruſticum miles pro falce ac raſtris, jaculum ſi ſumat & clipeum. *Novi* illi & imperiti *duces* etiam cum clamant & imperiis ſuis vim voce volunt addere, humile quiddam ſonant, ut ſeditionem potius turbulentam audire videare, quam iuſtum imperium. *Vera juventus* videtur dicta, quæ veritatem, ἔτυμον, veriverbium nominis ſui implet, a *juvando* dicta.

470 In ſummis Alpibus cum eſſet, propior ſibi aſtris videbatur naturali ratione: ſed multo magis figura dicendi, qua *aſtra vertice ferire* vel *digito tangere* dicuntur felices. Vid. v. 341.

472 *Pulſus*, percuſſus nouitate rei et inſperata conditione commotus, vt Cic. Nat. De. I c. 10 *Natura ſenſu pulſa ſentit*, vt id. Fin. 2 c. 10 *Status non dolendi nullum habet ictum, quo pellat animum.* Percuſſit animum Alarici nova rerum facies, tot urbes capiendæ, tot ſuperanda flumina ante quam ad Romam adſpirandi facultas detur. An hæc vera ſint, an tam imprudens, tam inſcius Geographiæ, tam barbarus denique fuerit Alaricus, non diſputo. Sed video, hanc illi ἀγεωγραφησίαν hic tribui.

Tot ſubitos pedites, equitum tot conſpicit alas,
Seque velut clauſum laqueis, ſub pectore furtim
Aeſtuat, & nimium prono fervore petitæ
Jam piget Italiæ, ſperataque Roma teneri
Viſa procul. magni ſubeunt jam tædia cœpti.
Occultat tamen ore metum, primoſque ſuorum
Conſultare jubet bellis annisque verendos.
Crinigeri ſedere patres, pellita Getarum
Curia: quos plagis decorat numeroſa cicatrix,
Et tremulos regit haſta gradus, & nititur altis
Pro baculo contis non exarmata ſenectus.
Hic aliquis gravior natu, cui plurima dicti
Conſiliique fides, defixus lumina terræ,
Concutienſque comam, capuloque acclinis eburno,
„Si numero non fallor, ait, *triceſima currit*
Bruma fere, rapidum poſtquam tranavimus Iſtrum,
Romanamque manum tantis eludimus annis.
Sed numquam Mavors adeo conſtrinxit in arctum
Res, Alarice, tuas. Per tot certamina ducto
Crede ſeni, qui te tenero vice patris ab ævo

Geſta-

474 ſubito *ante Heinſ.* 479 ira *MSS. quod argutum videtur Heinſio.* 485 dictis Conſiliisque *ante Heinſ.* 487 acclivis *Baſ. Junt. Ald. Pul. male.* 492 docto *ante Heinſ.*

477 *Roma* quam ſperabat ſuperatis Alpibus jam teneri, nunc *viſa* eſt *procul* abeſſe.

481 *Crines* prolixi & *pelles* utrumque inſigne gentium barbararum. De *pellibus* 5, 79 it. 8, 466. Et 21, 203 habuimus *crinigera flaventes vertice reges.*

484 *Conti* non videntur diverſi ab *haſtis*: bis idem dixit, ut indicet rem inſolitam, ſenes etiam non uti venia ætatis, pro baculis & ſcipionibus gradum firmare haſtis.

485 *Fides dicti* pertinet, puto, ad hiſtoricam fidem; *conſilii*, ad auctoritatem ex opinione prudentiæ uſu collectæ.

489 Non ego ſuaſerim poëſeos candidato dicere, neque poſt Claudianum, *currit bruma*: bruma enim dies eſt. Saepe imponit hominibus illud, quod tropos putant ſimpliciter ponere nomen pro nomine, quæ res mille poteſt parere ineptias. *Gladium* intelligimus, cum audimus *mucronem*: ſed nonne ridiculus fuerit, ſi quis dicat quanti emiſti hunc mucronem?

Geſtatum parva ſolitus donare pharetra,
Atque aptare breves humeris puerilibus arcus.
Sæpe quidem fruſtra monui, ſervator ut iſti
Fœderis Emathia tutus tellure maneres.
Sed quoniam calidæ rapuit te flamma juventæ,
Nunc ſaltem, ſi cura tibi manet ulla tuorum,
His clauſtris evade precor. dumque agmina longe,
Dum licet, Heſperiis præceps elàbere terris,
Ne nova prædari cupiens, & parta reponas,
Paſtorique lupus ſcelerum delicta priorum
Intra ſepta luas. Quid palmitis uber Etruſci,
Quid mihi neſcio quam proprio cum Tibride Romam
Semper in ore geris? Referunt ſi vera parentes,
Hanc urbem inſano nullus qui Marte petivit
Lætatus violaſſe redit. Nec Numina ſedem
Deſtituunt. jactata procul dicuntur in hoſtem
Fulmina, divinique volant pro mœnibus ignes:
Seu cœlum, ſeu Roma, tonat. Si temnis Olympum,

A ma-

497 *Emathiam* tellurem non videtur ponere pro illa piguiori Macedoniæ particula: ſed licentia poëtæ ita extendere uti Theſſaliam maxime intelligat, exemplo Lucani ipſiusque Maronis Ge. 1, 491 qui ipſe locus nos admonere poteſt, quam multum ſibi in locorum & regionum nominibus veteres indulſerint. Alaricus totam Græciam cum exercitu ſuo pervagatus fuerat. Suaſerat igitur ſenex, qui hic loquitur, ut illa tueretur potius, quam ultra tenderet.

498 Non poterat valde juvenis tum eſſe Alaricus, ſi jam XXX anni ſunt, ex quo Iſtrum tranſiit, ut v. 488 dictum. Sed ſeptuagenario etiam juvenes videntur quinquagenarii &c.

502 *Reponere* hic idem eſſe debet, quod deponere, dimittere: contrarium *parta tueri.*

507 Ita intelligi voluit hic orator, id ipſum inſanum eſſe, ſi quis Romam Marte petat, bellum eo ipſo nomine inſanum, quod Romam petat.

508 Reſpicitne poëta ad illam Deorum evocationem, Romanam cerimoniam, qua vſi v. g. ad Vejos, e qua evocarunt Junonem Reginam, Liv. 5, 21. Indicamus hic modo locos claſſicos, Plin. 28, 2 ſ. 4. Macrob. Sat. 3, 9. tum Diſputationes ea de re Bergerianam & Coccejanam.

510 Auget forte illa, quæ Liv. 26, 11 narrantur de præliis Annibalis ad Urbem bis tempeſtate impeditis.

511 Magnifica dictio, *Seu cælum* naturaliter, *ſeu Roma* Dea ſuam urbem & populum defenſura, *tonat.* Illud *Si temnis Olympum,* impietatis exprobratio videtur, ut

E e perju-

A magno Stilichone cave, qui ſemper iniquos
Fortuna famulante premit. ſcis ipſe, peroſis
Arcadiæ quam denſa rogis cumulaverit oſſa:
Sanguine quam largo Grajos calefecerit amnes.
Exſtinctusque fores, ni te ſub nomine legum
Proditio regnique favor texiſſet Eoi.„
Talia grandævum flammata fronte loquentem
Obliquiſque tuens oculis non pertulit ultra;
Sed rupit rabidas accenſa ſuperbia voces:
„Si non mentis inops fraudataque ſenſibus ætas
Præberet veniam, numquam hæc opprobria linguæ
Turpia Danubius me ſoſpite ferret inultus.
Anne, tot Auguſtos Hebro qui teſte fugavi,
Te patiar ſuadente fugam, cum ceſſerit omnis
Obſequiis natura meis? Subſidere noſtris
Sub pedibus montes, areſcere vidimus amnes.
Non ita Dii Getici faxint Maneſque parentum,
Ut mea converſo relegam veſtigia curſu.
Hanc ego vel victor regno, vel morte tenebo
Victus humum. per tot populos urbeſque cucurri,
Fregi Alpes, galeiſque Padum victricibus hauſi.

Quid

513 ſtimulante *MSS.* peroſus *vulg.* pereſis *Raph.* 514 regis *Baſ. marg.* rogis *Cuj. & MSS.* jugis *probant primæ editt. MSS. Heinſius, ratio.* 517 fratrisque favor *MS.* 520 rapidas *al.* 525 ſuadere *Raphel. contra libros.* 527 faciant *vulg.*

perjurii, illud quod dixerat v. 496 *Servator icti federis.*

513 Difficile eſt, modo non plane impoſſibile, has res ordinare, & componere inter ſe ſcriptores. Illud tamen apparet, hinc Ruffini in Oriente, hinc per Occidentem Stilichonis artibus ſubornatos, incitatos, immiſſos emiſſosque barbaros, eaque re Imperii Romani interitum acceleratum. Conſerat mihi aliquis Zoſimum 5,29, &, quæ hic Conſtantinopolitanis vertuntur vitio, ea, h. e. horum ſimilima ab eo imputari Stilichoni videbit. Cf. 564 ſq.

523 *Danubii* nomine oſtendit accolas, Getas.

524 *Hebrus* teſtis indicat res in Thracia & Macedonia geſtas.

532 *Galeis* haurire de fluvio eſt militiæ duræ & fortis, quæ non opus habeat multo apparatu.

Quid reſtat niſi Roma mihi? Gens robore noſtra
Tunc quoque pollebat, nullis cum fideret armis.
At nunc Illyrici poſtquam mihi tradita jura,
Meque ſuum fecere ducem; tot tela, tot enſes,
Tot galeas multo Thracum ſudore parari,
Inque meos uſus vectigal vertere ferri
Oppida legitimo juſſu Romana coëgi.
Sic me fata fovent. ipſi, quos omnibus annis
Vaſtabam, ſervire dati. nocitura gementes
Arma dabant, flammiſque diu mollitus & arte
In ſua damna chalybs fabro lugente rubebat.
Hortantes his adde Deos. non ſomnia nobis,
Nec volucres, ſed clara palam vox edita luco eſt:
Rumpe omnes, Alarice, moras. hoc impiger anno
Alpibus Italiæ ruptis penetrabis ad Urbem.

537 parari *MSS.* 538 ducere *Cuj.* 540 arvis *conj. Heinſ.* 542 dabunt - rubebit *vulg.* redibat, fremebat, rudebat *MSS.* jubebat *MS.* *hinc* fluebat *conj. Heinſ. ut 33, 241.*

534 *Arma* hic intelligit copiarum adſcitarum, auxiliarium: quod ſunt arma militi, inſtrumentum rei gerendæ, hoc præſtant auxiliares copiæ imperatori & exercitui.

535 *Illyrici jura* Alarico *tradita* hic intelligimus pactione, & eo genere agendi, quod modo ad v. 513 indicavimus. Suadet hoc formula *legitimo juſſu*, quo dicit ſe *coëgiſſe oppida Romana. Illyrici* videtur duplicem quaſi perſonam ſuſtinere Illyrici, regionis jura tradita ſunt Alarico, nomine Imperatoris: Illyrici ſ. Illyrii Alaricum *ſuum fecere ducem.* Vid. ad 8, 288.

536 Thraciam obtinens conceſſu Romani Imperatoris Alaricus metalla & officinas ferri omnes ad arma fabricanda adhibuit. Itaque ſuis poſtea armis pugnare contra Romanum imperium potuit, natis & fabrefactis in provincia Romana.

543 Reciprocatio obſervanda, *Chalybs fabro lugente in ſua* (fabri) *damna rubebat* a ſanguine civium, vel neceſſariorum adeo. Nempe nec bonæ ætatis ſcriptores ad canonas Grammaticorum alligari ſemper ſe patiuntur.

545 Hæc non ſimpliciter finxit poëta; ſed forte ipſe Alaricus. Certe noſtri, Socrates H. E. 7, 10 & Sozom. 9, 6 referunt, illum Monacho roganti ut Romæ parceret, reſpondiſſe, ὡς οὐχ ἑκὼν τάδε ἐπιχειρεῖ ἀλλά τις συνεχῶς ἐνοχλῶν αὐτὸν βιάζεται (ſic Sozom. apud Socratem eſt βασανίζων) καὶ ἐπιτάττει τὴν Ῥώμην πορθεῖν *Se non ſponte ſua hæc ſuſcipere, ſed aliquem ſemper ſibi moleſtum eſſe, & cogere ſe, & jubere Romam ut deleret.*

547 Attende, lector, ad nomen *urbem*, ut intelligas, quæ dicentur v. 555.

Huc iter uſque datur. Quis jam poſt talia ſegnis
Ambigat, aut cælo dubitet parere vocanti?„
Sic ait, hortatusque ſuos belloque viæque
Inſtruit. Attollunt vanos oracula faſtus.
O ſemper tacita ſortes ambage malignæ,
Eventuque patens & neſcia vatibus ipſis
Veri fera fides! Ligurum regione ſuprema
Pervenit ad fluvium (miri cognominis) Urbem,
Atque illic domitus vix tandem interprete caſu
Agnovit dubiis illuſa vocabula fatis.
Nec non & Stilicho pugnam poſcentia movit
Pleno caſtra gradu, dictiſque inſtigat euntes.
„Nunc o nunc, Socii, temeratæ ſumite tandem
Italiæ pœnas. Obſeſſi Principis armis
Excuſate nefas, deploratumque Timavo
Vulnus, & Alpinum gladiis abolete pudorem.
Hic eſt, quem toties campis fudiſtis Achivis;
Quem diſcors odiiſque anceps civilibus orbis,
Non ſua vis tutata diu, dum fœdera fallax
Ludit,

550 ſic eat *MS.* *ut* 20, 155. hortaturque - viaque *ante Heinſ.* bellique viæque *MS.* 553 noxia *ante Heinſ.* & *Gron.* 554 ſacra fides *ante eosd.* 555 Flavi *pro* fluvium *conj. Scal. quia Pollentia Flavia colonia. Fruſtra.*

552 Pulchra de oraculis ſententia, cujus quædam certa ratione ad ipſa etiam noſtrorum Prophetarum vaticinia referri poſſunt; certe illud *eventu patent*, & *neſcia vatibus ipſis.*

555 Fluvius hic *Orba* vocatur hodie, ut monentGeographi. Claudianus vult, voce oraculi deceptum Alarichum, qui ad *Urbem* Dominam Romam ſe vocari putaret, cum *Urbs* vel *Urbis* fluvius oſtenderetur. Plena eſt hujusmodi oraculis hiſtoria.

557 *Vocabula illuſa* h. e. per ludibrium & illudendi cauſa applicata eventui incerto.

560 *Temerata* Italia, temere læſa, & affecta iniuriis ſine cauſa.

561 *Obſideri* dicitur non ille modo, qui incluſus undique eſt; ſed cui ex proximo hoſtis imminet, occaſionibus nocendi intentus.

562 *Excuſare* eſt hic ulciſcendo tollere, & in tantum abolere, ut non amplius ignavia obiici injuriam paſſo queat. *Timavus* fons & fluvius in intimum ſinum Venetum inter Aquilejam & Tergeſten influit. In hac porro regione preſſos a barbaris Romanos, vel hic ipſe locus ſatis indicat.

Ludit, & alternæ periuria venditat aulæ.
Credite nunc omnes, quas dira Britannia, gentes,
Quas Iſter, quas Rhenus, alit, pendere paratas
In ſpeculis. Uno tot prælia vincite bello.
Romanum reparate decus, molemque labantis
Imperii fulcite humeris. Hic omnia campus
Vindicat: hæc mundo pacem victoria ſancit.
Non in Threïciis Aemi decernimus oris:
Nec ſuper Alpheas umbrantia Mænala ripas
Conſtitimus. non hic Tegeen Argoſque tuemur:
Viſceribus mediis, ipſoque in corde videtis
Bella geri. Patrem clipeis defendite Tibrin.„
Talia, nunc pediti, turmæ nunc miſtus equeſtri,
Dicta dabat: ſimul externis præcepta ferebat
Auxiliis. Ibat patiens ditionis Alanus,
Qua noſtræ juſſere tubæ: mortemque petendam
Pro Latio docuit gentis prælatus Alanæ;
Cui natura breves animis ingentibus artus

 Finxerat,

567 vendicat, *& hinc* vindicat *vulg.* venditat *Raphel. Claver. &c.* 568 ſocii, quas dura *Cuj.* 580 edicta *Baſ. marg.* 583 præclarus *adhuc editum. Sed* prælatus *MS. Claver. hinc* genti prælatus *Scal. Raph. & ſic dedit Barth. 2, licet ipſe in alia omnia eat in Comm.* gentis dux clarus *conj. Delr.*

567 Illud *alternæ aulæ* admonet nos infelicitatis illius, quae & ipſum imperium turbavit & hiſtoriam: cum barbaris uterentur Rufinus & Stilicho adverſus ſe invicem, ambo una cum ipſo imperio ab illis illuderentur everterenturque; fraudibus & perfidia graſſarentur omnes, ut quid verum eſſet, ne qui extra partes quidem eſſent facile ſcire poſſent, vix autem eſſet integer aliquis a ſtudiis partium, qui vellet vera tradere.

569 *Pendere* dicuntur, qui non firmiter ſtant, non toto veſtigio nituntur, ſed ſuſpenſo, ut ad leviſſimum quemque impulſum moveantur. Noſtra Germanorum conſuetudo habet formulam plane ſimilem, *auf dem Sprunge ſtehen*, vt qui jam in digitos erecti, ſignum exſpectant procurrendi.

574 Non in remotis imperii Orientalis partibus pugnandum eſt, quæ non ita prope ad nos pertinent, quas alienas poſſumus putare: *in viſceribus* Occidentalis, Honoriani imperii res gerenda.

575 *Mænala* Mons ſilvoſus Arcadiæ, cujus pars Alpheo alluitur &c.

583 Certum hic hominem, ducemque adeo, deſignari, mihi non dubium eſt, quantumvis fluctuet lectio

Finxerat, immanique oculos infecerat ira.
Vulneribus pars nulla vacat, reſciſſaque contis
Gloria fœdati ſplendet jactantior oris.
Ille tamen mandante procul Stilichone citatis
Acceleravit equis, Italamque momordit arenam;
Felix, Elyſiiſque plagis & carmine dignus,
Qui male ſuſpectam nobis impenſius arſit
Vel leto purgare fidem: qui judice ferro
Diluit immeritum laudato ſanguine crimen.
Morte viri turbatus eques flectebat habenas:
Totaque præciſo nutaſſent agmina cornu,

Ni

586 reciſaque cunctis *vulg.* cuncti *Clav.* reſciſſaque cunctis *Barth.* *qui ſuſpicatus erat* punctis, *item* inuiſaque comtis. 589 accelleratur *vulg.* accelcravit *etiam Baſ. marg.* 595 mutaſſent *vulg.*

lectio. Forte ſic tum dici cœpit *Prælatus*, ut in Eccleſia Ro., ut gentis *Prælatus* ſit dux. Certe *Prælati* nomen de civili etiam poteſtate dictum, monent Dufreniani continuatores. Sed quod S. Valerianum Cimelenſem hujus circiter ſæculi ſcriptorem, auctorem faciunt, illud nihil eſſe, fateri debeo. Quem hic deſcribit poëta fuit forte idem, de quo ponemus verba Pauli Diac. hiſt. miſc. 13, 26, & paullo plura ponemus quam opus hic erat, quod firmant, quæ de incerta hiſtoriarum in quibus verſamur, fide dicimus: Alaricus, cujus reliqua hic narrat, *Italiam ingreſſus, cum ab Honorio ſedes, quo cum ſuo exercitu conſiſtere poſſet expeteret, Honorius diliberato conſilio Gallias eisdem conceſſit. Qui dum ad Gallias pergens, ob recuperationem iumentorum ad Pollentiam reſediſſet, Stilicho patricius in perniciem reip. Gothos pertentans dum eos inſidiis aggredi cuperet, bellum* Sauli *pagano duci commiſit: qui ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ, Gothis ſupplicantibus, nihilque tale ſperantibus, ſuper eos irruit, magnamque eorum partem proſtravit. Nam primum perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more ſolito ſe cohortantur, victoremque virtute potiori proſternunt exercitum.* Similia Oroſ. 7, 37.

586 *Contos* generatim pro telis poſuiſſe videtur. Cicatrices, quæ vultum viri deformaverant, eædem tituli erant fortium facinorum.

591 Suſpecta Romanis fides barbarorum, quam hic volunt experiri. Et alioquin antiqua ars, committere duo populos, ut mutuis cladibus ſe atterant, & minus nobis ſint metuendi.

593 *Sanguine* ſuo, in pugna adverſus hoſtes Romanorum fuſo, & eam ob rem laudato, *diluit* crimen perfidiæ nullo ſibi ſuo merito imputatum.

595 *Cornu*, quam alam hodie vocant omnes, ſervata Metaphora *præciſum* dicit.

598 *Pæan* Apollo eſt. Hic cum Muſis occupat & velut inſidet poëtas, qui *recepto* ſic intra præcordia Apolline & ſpiritu poëtico canunt.

599 *Gradivus* pater, Mars, *fundator* atque auctor Romanæ gentis,

Ni celer inſtructa Stilicho legione ſecutus
Subſidiis peditum pugnam inſtauraſſet equeſtrem.
 Quis Muſis ipſoque licet Pæane recepto
Enarrare queat, quantum Gradivus in illa
Luce ſuæ dederit fundator originis urbi?
Altius haud umquam toto deſcendimus enſe
In jugulum Scythiæ: tanta nec clade ſuperbum
Contudimus Tanain, vel cornua fregimus Iſtri.
Inviſum miles ſitiens haurire cruorem
Per varias veſtes, oneratаque plauſtra metallo
Tranſit, & argenti cumulos; & cædis avarus
Contemtas proculcat opes. pretioſior auro
Sanguis erat. paſſim neglecti prodiga lucri
Ira furens ſtrictis odium mucronibus explet.
Purpureos cultus, abſumtique igne Valentis
Exuvias, miſeriſque graves crateras ab Argis,
Raptaque flagranti ſpirantia ſigna Corintho,

 Callidus

610 aſſumptas igne valentes *vulg.* aſſumptoque, abſumtasque, abſumtoque *MSS.* Valentis *debetur Claverio.*

tis, illo die multum *ſuæ Originis*, paternæ virtutis h. e. Martiæ multum, dedit *urbi*, h. e. Romanis militibus.

603 De *cornibus Iſtri* diximus ad 21, 220.

604 Præ ſtudio & cupiditate vindictæ atque cædis negligunt prædam milites: quod ſæpe cum contra accideret, ea cauſa magnarum poſt victoriam cladium fuit.

610 Qui *Valentem* Imperatorem victum vivum tamen cremarunt, *Scythæ* vocantur a Zoſimo 4, 22 generali nimirum nomine. Sed *Gothos* appellat Paullus Diac. Hiſt. miſ. 12, 16. Utrum autem hi Gothi vel Getæ, qui cum Alarico militabant, *exuvias*, ſpolia, ſigna militaria, tentoria Valentis ſecum habuerint, forte nec ipſe Claudianus ſciebat. Poëtæ fatis fuit hac imagine ſplendorem conciliare ſuo carmini.

611 Illud de Græcis ſpoliis facilius eſt, cum ipſe Alaricus paullo ante Græciam vaſtarit.

612 Etiam hic veſtigium doctrinæ poëtæ noſtri, non modo, quod Virgiliano epitheto *ſpirantia* ſigna vocat: ſed quod videtur corrigere fabulam de origine aeris Corinthii e metallis per incendium urbis confluentibus. Dicit enim *ſigna flagranti Corintho rapta*, non ſigna ex aere, quod per Corinthi fluxit incendia. Viderat jam Plinius 34, 2 ſ. 3 *Corinthium æs*, & *vaſa Corinthia* antiquiora eſſe incendio Corinthi: & vixit tamen, firmata ab ipſo, fabula: quam plane evertit Bochartus Hieroz. 2, 6. 16, præſertim ex Athenæo 4, 1.

Callidus ante pedes venientibus objicit hoſtis
Incaſſum; neque enim feralis præda moratur,
Sed juſtos præbent ſtimulos monumenta doloris.
Aſſeritur ferro captivum vulgus, & omnes
Diverſæ vocis populi, quos traxerat hoſtis
Servitio, tandem dominorum ſtrage redemti
Blanda cruentatis affigunt oſcula dextris,
Deſertoſque Lares & pignora læta reviſunt.
Miratur ſua quemque domus, cladeſque renarrant
Ordine, tum grati referunt miracula belli.
Quis tibi nunc, Alarice, dolor, cum Marte perirent
Divitiæ, ſpoliiſque diu quæſita ſupellex,
Pulſaretque tuas ululatus conjugis aures;
Conjugis invicto quæ dudum freta marito
Demens Auſonidum gemmata monilia matrum,
Romanaſque alta famulas cervice petebat?
Scilicet Argolicas Ephyreiadaſque puellas
Cœperat & pulcras jam faſtidire Lacænas.
Sed Dea, quæ nimiis obſtat Rhamnuſia votis

Ingemuit

620 deſuetosque *MS.* 622 ord. cognati *vulg.* cum grati *MSS. Cuj.* congrati *MSS.* congreſſi *MS.* cognatis *Raphel.* tum grati *MSS.* 623 tunc *Baſ. marg.* 625 flebilis *MSS.* 628 parabat *MSS.* *Baſ. marg.* 629 Argolicus *vulg.*

613 Hæc fuit ars Mithridatis e Ponto, regno ſuo, fugientis, quam cum Medeæ facto, fratris ſui Abſyrti membra ſpargentis in via, qua illam pater ſequebatur, comparat Cicero pro L. Manil. c.9.

616 *Aſſeritur* verbum juris Romani, *liberali cauſa aliquem manu aſſerere* i. e. vindicare, & liberum eſſe defendere.

619 Suavitas ex paradoxo: *cruentata* manus horribilis alias, *blanda* hic oſcula excipit.

622 *Gratum bellum*, pro quo gratias ſe debere Deo & Stilichoni, agnoſcunt.

629 Recens erat a Græciæ vaſtatione Alarici exercitus. *Argolides* puellæ Argivæ & vicinæ regionis, quæ Argolis vocatur, incolæ: *Ephyreiades* Corinthiæ.

631 *Rhamnuſia*, Nemeſis Dea, in Rhamnunte Atticæ pago culta: h. e. juſtitia diuina, vindex ultrixque ſuperbiæ. Hæc *ingemuit*, infremuit, ut iræ potius quam doloris ſignificationem habeat. *Flexit rotam* Nemeſis. Hanc illi aſſignat verus hymnus editus ſub Arato Oxo. 1672, 8 Τὰ σὸν τρόχον ἄστατον, ἀσιβῆ, χαροπὰ μερόπων στρέφεται τύχα, ipſam Fortunam illam arridentem hominibus, ſub illius rota inconſtanti, orbitam non ſignante, ait circumagi. Hinc Nemeſi in Smyrnæorum nummis ſignum rota additur.

Ingemuit flexitque rotam. Domat aſpera victos
Pauperies, unoque die Romana rependit
Quidquid ter denis acies amiſimus annis.
O celebranda mihi cunctis Pollentia ſæclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum; memorabile buſtum
Barbariæ! nam ſæpe locis ac finibus illis
Plena laceſſito rediit vindicta Quirino.
Illic Oceani ſtagnis excita ſupremis
Cimbrica tempeſtas, aliasque immiſſa per Alpes
Hiſdem procubuit campis. Jam protinus ætas
Adveniens geminæ gentis permiſceat oſſa,
Et duplices ſignet titulos commune tropæum:
Hic Cimbros forteſque Getas, Stilichone peremtos
Et Mario claris ducibus, tegit Itala tellus.
Diſcite veſanæ Romam non temnere gentes.

637 virtuti *malit Heinſ.* 644 duplici titulo *malit Heinſ.*
647 tendere *Claver. ex MS. argutum, non verum.*

634 *Romana acies*, exercitus & victoria &c.

635 *Pollentiæ* nomen affine verbo *pollendi*, quod quam vim habeat, intelligitur ex illa formula, qua pater patratus imprecatur Jovem, *Tu populum Ro. ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque.*

640 Comparat, poëtæ magis licentia, quam ex vero, Alarici cladem Cimbricæ ſub Mario. *Stagna Oceani* vocat mare illud, in quo eſt Cherſoneſus Cimbra, quia pigrum & pene immobile illud mare credebatur. *Aliæ* autem fuere *Alpes*, per quas venere Cimbri ac Teutones; & *campi Randii*, ubi pugnatum eſt controverſi inter Geographos: certe tamen in Gallia Ciſalpina, quod ad hunc locum ſatis eſt, & Cimbrica clades contigit, & pugna ad Pollentiam. Splendidiſſima ſane eſt hujus libri clauſula, & ultimus verſus cum majeſtate quadam expreſſus ex illo Virgiliano, *Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.*

XXVII

CL. CLAUDIANI

IN VI. CONSULATUM

HONORII AUGUSTI

PRAEFATIO

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſilvas & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapſas quærit avarus opes.

Blan-

8 *quid ſi legamus* vigili?

* Neſcio quid moverit Pulmannum, ut hanc præfationem libro tertio de Raptu Proſerpinæ denuo præmiſerit, quem ſecutæ ſunt Plantinianæ: cum tamen MSS. optimi quique & Parrhaſius, & antiqui, præter Vicentinum & Juntam, editores hunc illi locum aſſignarint merito; quem ipſum etiam argumentum pulchre tuetur. Cf. dicta ad v. 17.

1 *Senſu diurno volvuntur*, quæcunque interdiu, per quemcunque ſenſum externum vel internum, vigilantium mentibus obverſantur. Locus hic communis, tractatus centies ab omni ſcriptorum genere, ſua unicuique experientia notus eſt. Si quis tamen ſuaviter affici velit, legat Lucret. 4, 960-1031.

6 *Meta cavetur*, aperta alluſione ad illud Horatianum *Metaque fervidis evitata rotis.* Summa ars aurigæ in circo quam proxime metam flectere currum anfractu breviſſimo, & evitare eadem, ne offenſus ad metam frangat axim, currum evertat.

7 *Furtum*, κλέμμα, eſt, quidquid occulte, non animadverſum his, quorum metuitur, vel vitatur certe, conſcientia, peragitur, ſive de cetero bonum, ſive malum ſit. Sedem tamen peculiariter etiam in rebus amatoriis habet.

8 Poteſt hic ſenſus eſſe, Avarus evigilans quærit elapſas ſibi per quietem opes, quaſi non ſomnium eſſet.

Blandaque largitur fruſtra ſitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoque Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus aſſuetis ſollicitare ſolet.
Namque poli media ſtellantis in arce videbar
Ante pedes ſummi carmina ferre Jovis.
Utque favet ſomnus, plaudebant numina dictis,
Et circumfuſi ſacra corona chori.
Enceladus mihi carmen erat, vinctuſque Typhoëus:
Hic ſubit Inarimen, hunc gravis Aetna domat.
Quam lætum poſt bella Jovem ſuſceperit æther,

Phle-

11 ſtudiis *it.* ſtudio *MSS.* 12 aſſiduis *MSS.* invigilare jubet *MS.* 17 victusque *vulg. Sed* vinctus *MSS.* 18 hunc premit Inarimes *vulg* 19 lætus *omnes præter Heinſ. ex MSS. quod fere magis placet.*

eſſet, ſed verum damnum. Sed molle item, & facetum, ſi eſſet in libris *vigili* elapſas opes quærit in ſomnis.

10 Sed contrarium etiam accidere ſolet, pueris præſertim. Lucret. l. c. *Puri ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta, Somno devincti credunt extollere veſtem* &c.

15 Modeſtiam tuetur his verbis, *Utque favet ſomnus:* ſomniare poteſt poëta, quidquid lubet: non mirum ſi de ſe, quæ optat, ſomniet.

17 Tanto pulchrior hæc phantaſia eſt, quod re vera Gigantomachian ſcripſit noſter, de qua ad 37 pr. quam forte hoc ipſo tempore jam animo conceperat & meditabatur. In his Gigantibus nobiliſſimi Enceladus & Typhoëus. Cæterum cum hujus quoque rei mentio fiat in tertio de raptu Proſerpinæ ſ. 36, 335 ſq. hinc forte nata librario veteri cogitatio, hanc eſſe libri illius præfationem.

18 *Inarime*, Crux & ludibrium Criticorum. Fons eſt Homeri verſus in Catalogo navium ſ. Iλ. B, 783 *Εν Αρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.* Manifeſte dicit, In loco qui vocetur *Arimi* vel *Arima*, *orum*, eſſe cubile Typhœi. Contra non minus aperte Virg. Aen. 9, 716 *Durumque cubile*, Inarime, *Jovis imperiis impoſta Typhœo:* quem deinde ſequuntur Latini poëtæ pene omnes, qui Inarimen dixerunt Aenariam ſ. Pithecuſan in Cumano litore inſulam, hod. *Iſchia*. Placet ſententia Clarckii ad Homeri l. c. arbitrantis, illo ipſo verſu, qui in omnium ore verſaretur, ortam eſſe illam nominis mutationem: ut ex καὶ ἕτεροι ortum eſt *cæteri*.

Phlegrææ referens præmia militiæ.

Additur

20 Cum *Phlegræa* hæc *militia* ſæpius apud noſtrum memoretur, nempe 35, 155. 36, 201 & 337. 37, 4. 40, 27: placet hic breviter nomen illud declarare. Antiquiſſimi, apud quos eſt ejus mentio, aſſignant *Phlegræ* nomen Pallenæ, quæ eſt cherſonneſus Macedoniæ vel Thraciæ (quarum terminos, ac Theſſaliæ adeo confundi conſtat) iidemque Herculem faciunt illius belli partem præcipuam. Sic Pindarus Nem. A, 100 & Iſth. 5, 48, utroque loco certe Thraciæ tribuunt vetera ſcholia, non minus quam apud Apollo. Argon. 3, 234. Sic & Stephanus de urb. Herodotus 7, 123 poſt enumeratas urbes Pallenes, *αὗται*, inquit, (*αἱ πόλεις*) *τὴν νῦν Παλλήνην πρότερον δὲ Φλέγρην καλεομένην νεμόμεναι*. Apertum eſt Phlegram, campum Gigantomachiæ, eſſe in illa Thracia Macedonica vel Theſſalica, in vicinia Pelii, Oſſæ, Olympi &c. Nec aliter Strabo in Excerptis l. 7 p. 228, b pr. *Ὅτι ἡ Παλλήνη χεῤῥόνησος — Φλέγρα τὸ πρὶν ἐκαλεῖτο· ᾤκουν δ' αὐτὴν οἱ μυθευόμενοι Γίγαντες — οὓς Ἡρακλῆς διέφθειρεν.* Rurſus haud dubie campi Phlegræi ſunt in Italia Plin. 3, 5 ſ. 9 *Dein Puteoli — poſtque Phlegræi campi, Acheruſia palus Cumis vicina.* Et 18, 11 ſ. 29 *Pars campi Campani, quæ Laboriæ vocantur, quem Phlegræum Græci appellant.* Phlegræum campum diſerte Campaniæ aſſignat Strabo l. 5 p. 168, 19 *ἐν ᾧ τὰ περὶ τοὺς Γίγαντας μυθεύουσιν.* Sic p. 169. 51 ubi poſt deſcriptionem ſoli ſulphure & aquis calidis abundantis, addit ideo *Φλέγραν* quosdam dici putare regionem Cumanam, *καὶ τῶν πεπτωκότων Γιγάντων τὰ κεραύνια τραύματα ἀναφέρουσι ταῖς τοιαύταις προχοαῖς τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ὕδατος.* Sic enim legendum, hoc ſenſu, *vulnera gigantum ibi cæſorum* in fabulis, *referunt ad ejusmodi ignis & aquæ eruptiones.* Et jam paullo ante p. 194, 31 memorarat *τοὺς περιληφθέντας τῶν Γιγάντων ἐν τῇ κατὰ Καμπανίαν Φλέγρᾳ.* Sapiens hic etiam Polybius videtur pulchre hanc Mythologorum diſſenſionem compoſuiſſe, certe explicuiſſe l. 3 c. 91 ubi in laude Campaniæ addit, *ἐπιεικέστατος παρὰ τοῖς μυθογράφοις ὁ περὶ τούτων τῶν πεδίων λέγεται λόγος· προσαγορεύεται δὲ καὶ ταῦτα Φλεγραῖα, καθάπερ καὶ ἕτερα τῶν ἐπιφανῶν πεδίων. Θεοὺς γε μὴν μάλιστα περὶ τούτων εἰκὸς ἐρισμένους.* Probabilem valde ait de his campis fabulam, appellari etiam hos Phlegræos, non minus quam alios inſignes fertilitate campos: credibile enim eſſe, de his potiſſimum Deos contendiſſe. Diodorus Siculus (qui 4, 21 Phlegræum campum viciniæ Veſuvii montis aſſignaverat, &, quod in ſcriptore aevi Auguſtei valde memorabile eſt, dixerat, eum locum habere multa ſigna *τοῦ κεκαῦσθαι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους*, arſiſſe antiquis temporibus) pulchre ipſe quoque rem componit 5, 71, Conflata eſſe præter ea, quæ indicaverat, ait, alia quoque bella Jovi, *πρὸς Γίγαντας τῆς μὲν Μακεδονίας περὶ τὴν Παλλήνην, τῆς δὲ Ἰταλίας κατὰ τὸ πεδίον ὃ τὸ μὲν παλαιὸν ἀπὸ τοῦ κατακεκαυμένου τόπου Φλεγραῖον ὠνομάζετο, κατὰ δὲ τοὺς ὕστερον χρόνους Κυμαῖον προσηγορεύθη.* Poëtæ itaque Phlegram appellant, Phlegræa bella, e. i. g. a. prædicant, cum de Gigantum in Deos conatibus agunt, lectori plerumque integrum relinquunt, velitne Phlegram in Macedonia collocare an in Italia.

Additur ecce fides, nec me mea luſit imago,
  Irrita nec falſum ſomnia miſit ebur.
En Princeps, en orbis apex æquatus Olympo.
  En, quales memini, turba verenda, Deos.
Fingere nil majus potuit ſopor; altaque vati
  Conventum cælo præbuit aula parem.

22 mittit *MSS.* 23 æquandus *MSS.* 24 Dei *Raphel. ſine cauſa.*
25 *pro* vati, menti *MSS.*

21 *Additur fides*, intell. ſomnio, expetit vel impletur ſomnium. Illud *ebur falſum* reſpicit ad portam eburnam, per quam falſa ſomnia veniunt, apud Virgilium Aen. 6 extr.

24 Cum DIs comparat Senatum Romanum. Themiſtio Or. 13 p. 178, B *σύγκλητος ἀγορὰ θεῶν*, Senatus Deorum concilium, eſt. Conf. 28, 74.

25 Splendidum mendacium. Ipſe ſomnus, aut Morpheus, non potuit auguſtius diviniusque concilium fingere: quales vidi per quietem Deos, tales cerno Senatores Romanos.

XXVIII

CL. CLAUDIANI

DE SEXTO CONSULATU

HONORII AUGUSTI

PANEGYRIS

Aurea Fortunæ Reduci ſi templa priores
Ob reditum vovere ducum, num dignius umquam
Hæc Dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes,
Quam ſua cum pariter trabeis reparatur & Urbi
Majeſtas? nec enim campus ſollennis & urna
Luditur in morem: ſpecies nec diſſona cœtu,

Aut

2 pro reditu *MS.* non *vulg.* nunc *MS.* 3 Latias - arces *MS.* 4 repetatur *primæ editt.* reparetur *Heinſ. ex 2 MSS.* reparatur *Vien.* & *Baſ. marg. Claver.* & *MSS. plurimi optimique.* 5 campi & urnæ *conj. Scal. recepta a Barth.* campo *MS.*

* Incidit hic Conſulatus in A. C. 404 geſtus in Occidente, cum Orientalis conſul eſſet Ariſtænetus.

1 *Fortunæ reduci Cæſaris Auguſti* aram dedicavit S. P. Q. R. cujus imago in duobus nummis aureis apud Morell. tab. 11 n. 1. & 2, ubi vid. Schlegel. & quos laudat Fabric. ad Dionem 55, 10 n. 98, qui *τύχην ἐπανάγωγον* vocat. Nempe *Redux* in hac formula eſt qui reducit. *Templum* Domitiano datum celebrat Martialis 8, 65.

4 *Trabeis* conſularibus *reparatur* ſua majeſtas, quod ſuſcipit conſulatum Honorius: *urbi*, quod præſens, antiquo ritu ſuſcipit.

5 Reſpicere videtur ad acerbam illam Lucani querelam de Cæſaris comitiis, 5, 392 *Fingit ſolemnia campus, Et non admiſſæ dirimit ſuffragia plebis, Decantatque tribus,* & *vana verſat in urna.* Simulacra qualiacunque interdum *ludebant* potius quam agebant priſci ritus: in his *urna* adhibita, in quam conjectæ erant tribuum ſortes ſ. nomina, ut inde educeretur prærogativa; cujus ſuffragium fere ſequi ſolebant reliquæ. Alii principes ne hos quidem ludos poterant perpeti. Laudem magnam ſuo Trajano ex eo arceſſit Plinius, quod priſco more ſe conſulem deſignari, adigique adeo jure jurando paſſus eſt. Vid. Pan. 63 & 64.

6 *Species* & habitus externus hominum non abhorrebat ab ea re, quæ gerebatur: non erat *peregrina* ob habitum & veſtitum imago *juris* quod ſimularetur Romani: verbo, togati verſabantur in campo, pro roſtris, in palatio.

Aut peregrina nitet ſimulati juris imago.
Indigenas habitus nativa Palatia ſumunt,
Et, patriis plebem caſtris ſociante Quirino,
Mars auguſta ſui renovat ſuffragia campi.
Qualis erit terris, quem mons Evandrius offert
Romanis avibus, quem Tibris inaugurat, annus?
Quamquam omnes, quicumque tui cognominis, anni
Semper inoffenſum dederint ſucceſſibus omen,
Sintque tropæa tuas ſemper comitata ſecures!
Hic tamen ante omnes miro promittitur ortu
Urbis & Auguſti geminato nomine felix.
Namque velut ſtellas Babylonia cura ſalubres

Optima

8 indignos - fumant *Vien. marg.* 10 ſibi *al.* 11 erat *MSS.* *hinc* eat *conj. Heinſ.* 12 annus *vulg.* amnis *MSS. quod ortum ex* annus. 14 dederant *Cuj.* 16 protenditur *i.* portenditur *MS.* 17 Terbis in Aug. *conj. Scal. recepta a Raphel.* Liber *Vien. marg.* numine *MS.* munere *MS.*

8 *Nativa palatia*, q. d. naturalia Romano Imperatori. Repugnare videtur naturæ rei, Imperatorem Romanum eſſe, & Palatium Romanum nunquam adire.

9 *Quirinus*, Quirites, *Plebs*, *Campus* nomina pacis ac togæ ſocientur cum militaribus *Caſtris*, *Marte*. *Mars renovat* inſtauratque *ſuffragia campi ſui*, Martii, reſtituit priſca comitiorum ſolemnia.

11 *Mons Evandrius*, Palatinus, in quo ille habitaſſe credebatur, Liv. 1, 5. Hunc *Romulus ad inaugurandum templum* ceperat Liv. 1, 7. Ex Palatino itaque colle proſpiciebant cælum augurii captandi cauſa: hoc vocat poëta *offerre annum* novi conſulis proſperandum & felici augurio ſignandum, *avibus*, quæ inde a Romulo fauſtæ fuerunt Romanis: ad *Tiberim* eſt campus Martius, ubi habentur comitia.

13 *Tui cognominis*, quos tu nomine tuo Conſul ſignaſti.

15 Felicia quædam ſingulis Honorii conſulatibus contigiſſe, inductione quadam faſtorum & chronicorum probari poteſt.

17 Hoc anno jungitur, hoc enim eſt *geminare nomen Urbis & Auguſti*, quia Honorius Romae conſulatum ſuſcipit. Habet illa Romæ & Auguſti geminatio felix quoddam omen. Origo repetenda videtur ab ipſo Imperatore Auguſto, de quo Sueto. c. 52 *Templa, quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere, in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo Romæque nomine recepit.* Videmus talia templa in nummis v. g. Morelliani theſauri Aug. Tab. 15, 5 it. Claud. Tab. 4, 21 ubi plura Haverc.

18 Conveniunt hæc cum Aſtrologorum dictatis, quorum, ut nullius non artis quæ tum colebatur, peritum fuiſſe noſtrum poëtam, hic locus oſtendit. Non eſt tempeſtivum rem totam diſputare. Ponamus modo verba Firmici junior. 2, 3 *Altitudines - in opportunis genituræ locis homines faciunt beatos.* —— *Hac ex cauſa*

Optima tunc ſpondet mortalibus edere fata,
Cælicolæ cum celſa tenent, ſummoque feruntur
Cardine, nec radios humili ſtatione retundunt:
Haud aliter Latiæ ſublimis ſignifer aulæ,
Imperii ſidus propria cum ſede locavit,
Auget ſpes Italas: & certius omina ſurgunt,
Victrici concepta ſolo. Cum pulcer Apollo
Luſtrat Hyperboreas Delphis ceſſantibus aras,
Nil tum Caſtaliæ rivis communibus undæ
Diſſimiles, vili nec diſcrepat arbore laurus:
Antraque mœſta ſilent, inconſultique receſſus.

At

21 recondunt *vulg.* recumbunt *MS.* 23 prima *vulg. Sed* propria *jam Vic. Vien. Baſ. marg.*

ſa Babylonii *ea ſigna in quibus ſtellæ exaltantur, domicilia earum eſſe voluerunt.*

21 *Retundunt radios*, vt minus potentes ſint, minus efficiant, cum non directe cadant, ſed velut ex transverſo debiliori impetu veniant. Vid. 1, 23. 8, 185. præſertim 35, 135.

22 *Signifer aulæ Latiæ*, Zodiacus, cum quo comparat ordines & dignitates omnes imperii, *locavit ſidus* ſ. ſolem *Imperii*, Honorium Auguſtum, *propria ſede* ſ. ſumma, in conſulatu. Itaque Honorius tanquam beneficum jam per ſe ſidus, locatum in *domicilio* ſuo, Romæ, eo beatiorem faciet rempublicam.

25 In verbo *concepta* miſceri videntur duæ translationes. *Concipi* dicuntur *omina*, vota, preces, in quantum certæ verborum formulæ includuntur: ſed cum dicit *ſurgunt*, cum addit *ſolo victrici* aperte illa cum plantarum ſeminibus comparat. Ceterum ad exaggerandam felicitatem, quam percipiat Roma ex Auguſti præſentia, comparat hunc cum Apolline, qui præſens Delphos ſuos animat, illo apud Hyperboreos abſente nihil aliis præſtantes.

26 *Hyperborei* illi, ad quos ſtatis temporibus inviſit Apollo ſ. Phœbus, videntur Occidentalis Hiſpanici vel Africani adeo litoris incolæ intelligi non nunquam, ut ad 7, 56 monuimus. Actum eſt de Hyperboreorum illa cum Apolline ſocietate, & hujus ad illos poſt XIX annorum intervalla adventu, copioſe in Commentariis Academiæ ſcientiarum Gottingenſis. Hic illud modo meminerimus, Solis ad ſeptentriones acceſſum hoc modo ſignari a docto poëta non videri, licet *Riphæi* ſ. *Rhipæi* axis mentionem iniiciat: nec enim relinquit Delum Sol, cum ad Tropicum cancri accedit, & æſtatem facit Septentrionalibus. Eſt igitur hic nihil φυσικὸν, ſed imago tantum poëtica, ut per Apollinis ſic abſentiam languent Delphi, ita Roma Auguſto abſente triſtitia quadam conſeneſcit.

29 *Inconſultus*, quod res ipſa ſatis declarat, hic non nominis more accipiendum, ut *inconſideratus*, neque notat eum, cui non reſpondit oraculum; ſed ipſius eſt

oraculi

At ſi Phœbus adeſt, & frenis grypha jugalem
Riphæo tripodas repetens detorſit ab axe,
Tunc ſilvæ, tunc antra loqui, tunc vivere fontes,
Tunc ſacer horror aquis, adytiſque effunditur Echo
Clarior, & doctæ ſpirant præſagia rupes.
Ecce Palatino crevit reverentia monti,
Exſultatque habitante Deo, potioraque Delphis
Supplicibus late populis oracula pandit,
Atque ſuas ad ſigna jubet revireſcere laurus.
Non alium certe decuit rectoribus orbis
Eſſe larem, nulloque magis ſe colle poteſtas
Aeſtimat, & ſummi ſentit faſtigia juris.

Attol-

38 lauros *al.*

oraculi epitheton, quod nemo conſulit, quod conſulit nemini. Illud hic indicandum cenſui, quod in Theſauro hæc notio prætermiſſa eſt.

30 *Gryphos* currui Phœbi junctos ita olim cecini in Gryphum fabula: *Eſt tamen ut magnos quoque viderit India Gryphas. Hic etenim ſi quis Phoebi radiantia pictor Ora dedit tabulis inſcripta aut pariete templi, Non ille addit equos rapido in temone jugales, Sed Gryphas jungit curru ad lora aurea vinctos.* Vid. Philoſtr. Vita Apollo. 3, 48. Tales ex monimentis lapidum & nummorum dedit Spanh. Diſſ. 5 p. 271 ſq.

31 *Tripodas* plures, non tantum ſolemnem illam Pythiæ ſedem, ſed plures, cortinasque, & pocula adeo, partem divitiarum templi Delphici. cf. 2, 12.

33 *Echo* naturalis effectus ſpeluncarum & cavorum (quæ hic *Adyta* vocantur, quo ſubire, δύεσθαι, non licet niſi ſacerdotibus) certa ſibi proportione reſpondentium. Ad eandem vocis repercuſſionem reſpiciunt *doctæ rupes*. Doctus eſſe putatur, qui reddere accepta a doctore poteſt.

35 Hinc jam applicat, quæ de Delphis dixerat, ad Palatium, & domum Cæſarum.

38 *Laurus* ornat capita, poſtes, faſces, Imperatorum: in primis etiam *ſigna* militaria.

40 *Poteſtas*, imperium, non magis ſentit majeſtatem ſuam, ejusque ſibi conſcia eſt, quam cum Romæ verſatur in Cæſarum palatio, in monte Palatino. Nec enim dubito, illud intelligendum eſſe urbis an orbis miraculum, cujus deſcriptionem divinatione mathematica ex ruinis veteribus effictam dedit Franc. Blanchinus in magnifici ſplendoris opere poſtumo *Del Palazzo de' Ceſari* Vero. 1738. Duraſſe per varios caſus atque incendia hoc Palatium videtur etiam aliquanto ultra hæc tempora. Vid. *formulam curæ Palatii* apud Caſſiod. 7, 5 & Savaro. ad Sidon. car. 23, 432 p. 200. Cf. Iac. Gothofr. ad l. un. C. Theod. de comitib. & tribunis ſcholarum, ubi pulchre obſervat, ab illa *Cura Palatii* ortum habuiſſe ſplendidiſſimam illam *Curopalatarum* in Orientali Imperio dignitatem, ab Auguſti faſtigio proximam.

Attollens apicem ſubjectis Regia Roſtris,
Tot circum delubra videt, tantiſque Deorum
Cingitur excubiis. Juvat infra tecta Tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe Gigantas,
Cælataſque fores, mediiſque volantia ſigna
Nubibus, & denſum ſtipantibus æthera templis,
Aeraque veſtitis numeroſa puppe columnis
Conſita,

44 intra *vulg.* infra *Ald.* & *MSS.* 45 gigantes *al.* 48 veſte *MSS.* vecte *MS.* *unde conj. Heinſ.* numeroſo vecte *i. haſta.*

42 Hæc domus *Regia* vocatur præter morem veterum, ſublata nempe nominis invidia. Sic de habitatione Imperatorum poſuit noſter 5, 97. 8, 123. 19, 35 &c. Regia igitur *ſubjecta* ſibi habet in foro *roſtra* &c. Simplex conſpectus tabulæ Romam antiquam exhibentis hunc locum illuſtrat.

44 *Excubiæ Deorum*, Regiam tuentium, videntur ex contrario, nec ſine elegantia dictæ cum reſpectu ad illud Plinii Pan. 52 ubi de ſtatuis Imperatoris extra cellas templorum poſitis, *Tibi*, inquit *maximus honor* excubare *pro templis.* Excubiæ ſi proprietatem verbi ſpectes, ſunt militum extra vallum ſtationes. Utra vero melior ſit lectio, *infra* an *intra* difficile mihi certe eſt dicere, quod rem ipſam ignorem. Probabile tamen videtur fuiſſe in parte rupis Tarpeiæ, forte ex ipſa rupe certe anaglypho opere exciſum, magnificum argumentum, gigantomachiam, aptum ſi quod usquam Jovi Tarpejo & Capitolino. Sic quidem malim, quam argumenta valvarum, de quibus ſtatim, intelligere cum Juſto Rycquio de Capitolio c. 17 p. 172. Certe *pendentes Tarpeja rupe gigantas* tale opus quale deſcripſi modo, commode, & graphice dici, mihi liquet.

46 *Cælatæ fores*, valvæ argumentoſæ, ſ. hiſtorica aut fabuloſa argumenta habentes ex aureis laminis quales in templis magnificentioribus fuiſſe vel ſolae Ciceronis Verrinæ docent. De his Capitolii valvis paullo poſt hæc tempora aurum detraxit Stilicho, ſi fides Zoſimo 5, 38.

Signa mediis nubibus volantia intelligam, non vexilla, quæ certis temporibus, ut comitiis, propoſita videntur: ſed ſigna proprie dicta i. e. ſtatuas deorum in faſtigio templorum poſitas ita alto loco, ut qui de imo illas ſuſpicerent, volare eas inter nubes putarent. Paſſim ea videmus in nummis V. G. Tiberii Tab. 5 n. 2 & 18 Morell.

47 *Denſum* æthera interpretari forte licet obſcuratum, ut vix videri poſſit præ templis illum intercipientibus.

48 Columnas roſtratas deſcribit, quas plures fuiſſe in Capitolio & circa illud, oſtendit Rycquius c. 33. Talis eſt, de qua Liv. 42, 20. Quod *Aera conſita columnis* vocat Roſtra illis fixa, ad illum æris præ ferro uſum pertinet, ab antiquiſſimis inde temporibus receptum. Sic Virg. Ge. 3, 29 *Navali ſurgentes ære columnas* appellat. Vid. Servius. *Puppis* mentio hic videtur intempeſtiva, cum de roſtris ſermo ſit, proræ præfixis. Vid. V. L.

Conſita, ſubnixaſque jugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu; ſpoliisque micantes
Innumeros arcus. Acies ſtupet igne metalli,
Et circumfuſo trepidans obtunditur auro.
Agnoſciſne tuos, Princeps venerande, Penates?
Hæc ſunt, quæ primis olim miratus in annis,
Patre pio monſtrante, petis. Nil optimus ille
Divorum toto meruit felicius ævo,
Quam quod Romuleis victor ſub mœnibus egit
Te conſorte dies, cum ſe melioribus addens
Exemplis, civem gereret terrore remoto,
Alternos cum plebe jocos dilectaque paſſus
Jurgia, patriciaſque domos, privataque paſſim
Viſere depoſito dignatus limina faſtu.
Publicus hinc ardeſcit amor, cum moribus æquis
Inclinat populo regale modeſtia culmen,

51 innumeris *conj. Heinſ. marg. Plant. marg.*

55 monſtrante vias *Vien. marg. Baſ.*

57 quam quos *conj. Heinſ.*

49 Quæ *juga immania* poëta vocat quibus *ſubnixas ædes* celebrat, illæ ſunt *inſanæ ſubſtructionum moles* (ut vocat Cic. pro Milo. c. 20 & 31) quarum hodie miramur cum horrore quodam reliquias.

50 *Cumulare* eſt aliquid ultra juſtum modum menſuramque adjicere. Excelſis collibus ſuperimpoſitæ moles ædificiorum.

51 *Arcuum* triumphalium ex reliquiis ſ. ruderibus, nummisque reſtitutorum contemplatio apud antiquarios, V. G. Montf. 6, 3 fidem Claudiani firmat. Conf. hic 24, 66.

54 Ponit poëta, neſcio, an ſuffragante hiſtoria, hic & mox v. 82 Honorio puero ita placuiſſe Romanam urbem & Palatium, ut a Theodoſio patre, cum de dividendo inter ipſum fratremque imperio ageretur, Occidentem ſibi expeteret. Ceterum ab illis primæ pueritiæ temporibus ind ad hunc ſextum conſulatum ſuum, Romæ illum non fuiſſe, ex Gothofrediana chronologia legum, & hoc ipſo poëtæ loco fit veri ſimile. Romæ autem egit Theodoſius, ut docet laudata legum chronologia A. C. 389 poſt devictum Maximum Tyrannum.

58 *Meliora exempla* vocat Trajani præſertim & primorum Antoninorum.

60 *Alternos jocos & dilecta jurgia* referenda videtur ad illam circi & ſpectaculorum aliorum libertatem. Sed etiam in convivio *jocandi libertatem* non *permiſſam* modo ab Auguſto, ſed *exactam* quoque narrat Sueto. c. 98.

64 *Modeſtia* principis *inclinat* ac demittit majeſtatem ſuam ad populum.

Teque rudem vitæ, quamvis diademate necdum
Cingebare comas, ſocium ſumebat honorum,
Purpureo fotum gremio, parvumque triumphis
Induit, & magnis docuit præludere fatis.
Te linguis variæ gentes, miſſique rogatum
Fœdera Perſarum proceres, cum Patre ſedentem
Hac quondam videre domo, poſitoque tiaram
Submiſere genu. tecum prælarga vocavit
Ditandas ad dona tribus: fulgentia tecum
Collecti trabeatus adit delubra Senatus,

Romano

67 trophæis *MS.* 68 imbuit *al.* faſtis *omnes ante Heinſ.* 71 poſitaque tiara *primæ editt.* poſitoque tiara *al.* 72 præclara *MSS.* 74 collecto ſenatu *MSS.*

65 Primum Conſulatum geſſerat Honorius, h. e. nomen anno dederat vix bimulus A. C. 386: ſed quod *ſocium honorum ſumſiſſe* hic dicitur, illud non ad conſulatum, ſed ad communicatum cum puero triumphi, congiariique diſtribuendi honorem ipſe poëta refert: Auguſti enim nomen & diadema illi dedit demum A. 393 undecenni.

67 Conf. 7, 129.

70 Si audiamus Idacii chronicon, & chronologiam legum Gothofredianam, legati Perſarum A. 384 ipſo, quo natus eſt Honorius, venere, nec Romam venere, ſed Conſtantinopolin. Sed credendum eſt noſtro, etiam hoc anno veniſſe alios, forte occaſione victoriæ & triumphi de Maximo. Haberemus hæc explicatiora, ſi exſtaret commentarius Latini Pacati, qui in fine ſui in Theodoſii hanc victoriam Panegyrici, triumphi ipſius deſcriptionem vel deprecatur vel promittit hoc modo, *Ea vero, quæ Romæ geſta ſunt & geruntur, ingeniis permittenda Romanis ſunt:* (ipſe Pacatus erat Gallus) *qualem te urbi dies primus invexerit, quis in curia fueris, quis in roſtris; ut pompam præeuntium ferculorum curru modo, modo pedibus ſubſecutus, alterno clarus inceſſu, nunc de bellis* (curru invectus) *nunc de ſuperbia* (pedibus ipſe incedendo) *triumpharis.* —— *Romam vidi, Theodoſium vidi* —— *Ad me longinquæ convenient civitates, a me geſtarum ordinem rerum ſtilus omnis accipiet; a me argumentum poëtica, a me fidem ſumet hiſtoria. Compenſabo tibi iſtam, Imperator, injuriam; ſi, quando de te ipſe nihil dixerim, quod legendum ſit; inſtruam* (ſcriptores dignos) *qui legantur.*

71 *Tiaram*, tegumentum capitis Perſicum, non abſtulere, ſed una cum capite *ſubmiſere* ad genua imperatoris. Hunc habitum declarant nummi.

72 Congiarii deſcriptio, in qua luxuriari Poëtam, non mirabitur, qui recordetur illud Plinii Pan. 25, 2 *locupletatas tribus, datumque congiarium populo*, & reliqua magnifice ibi dicta.

74 *Delubra Senatus* cum vocat, divinitatem ei tribuit, ut 27, 24. Nempe Græcula in primis adulatione non modo Θεὰ Ῥώμη, ſed etiam Θεὰ σύγκλητος, & ἱερὰ σύγκλητος in nummis celebratur, qua de re Spanhem. diſſ. 3 p. 139 ſq.

Romano puerum gaudens offerre favori,
Ut novus imperio jam tunc aſſueſceret hæres.
Hinc tibi concreta radice tenacius hæſit,
Et penitus totis inolevit Roma medullis,
Dilectæque urbis tenero conceptus ab ungue
Tecum crevit amor: nec te mutare reverſum
Evaluit propria nutritor Boſporus arce.
Et quoties optare tibi, quæ mœnia malles,
Alludens genitor regni pro parte dediſſet,
Divitis Auroræ ſolium ſortemque paratam
Sponte remittebas fratri. „*Regat ille volentes*
Aſſyrios: habeat Pharium cum Tigrite Nilum:
Contingat mea Roma mihi!„ Nec vota fefellit
Eventus. Fortuna, novum molita tyrannum,
Jam tibi quærebat Latium; belloque ſecundo
Protinus Eoa velox accitus ab aula
Suſcipis Heſperiam patrio bis Marte receptam.

77 conſerta *Vien. Baſ. Plant. omnes in marg.*
79 teneris - annis *ante Heinſ.*

77 *Concreta radice*, pulchra metaphora, a ſeminibus & plantis, quæ *concreſcere*, *coaleſcere*, *comprehendere* dicuntur. Vim verbi auget *penitus*, quod intimarum conjunctionem partium indicat; & *inoleſcere*, increſcere, & *medullæ* quæ arborum etiam ſunt.

81 *Propria* Honorii *arx* Conſtantinopolis ad *Boſporum*, quo nomine non anguſtiæ tantum illæ maris quæ Propontidi Pontum jungunt, ſed ſpeciatim portus ille venit, ad cujus ingreſſum erat prima regio urbis, & in ea ipſum Palatium magnum, ſedes Imperatorum, vbi natus Honorius & prima nutrimenta hauſerat.

82 Confirmat poëta & declarat, quæ v. 54 brevius innuerat. Jungenda verba, *quæ moenia*, utram urbem, *pro parte* tua *regni* malles.

85 *Remittere* eſt velut de jure ſuo concedere aliquid: poterat nempe in illo ludo Honorius data ſibi optandi poteſtate deſumere ſibi utrum mallet.

86 *Pharium* vocant poëtæ, quidquid Aegyptium eſt, ob nobilitatem Phari turris & inſulæ ad Alexandream. *Tigridis* nomine extremum ad Orientem finem imperii ultra Euphraten indicat, ut Meſopotamiam complectatur, Niſibin, Seleuciam, Cteſiphonem.

88 Videtur Fortuna ideo faviſſe Maximo, ac deinde Eugenio tyranno, ut alliceret in eas partes Theodoſium, et cum eo Honorium, quem triumphi ſui ille volebat eſſe participem.

91 *Bis receptam*, a Maximo, & Eugenio. De hoc Zoſim. 4, 58: de illo ibid. c. 46.

Ipſa per Illyricas urbes Oriente relicto
Ire Serena comes, nullo deterrita caſu,
Materna te mente fovens, Latioque futurum
Rectorem, generumque ſibi. Seniore ſupernas
Jam repetente plagas, illo ſub cardine rerum
Sedula ſervatum per tot diſcrimina pignus
Reſtituit ſceptris patrui, caſtriſque mariti.
Certavit pietate domus, fidæque reductum
Conjugis officio Stilichonis cura recepit.
Felix ille parens, qui te ſecurus Olympum
Succedente petit. quam lætus ab æthere cernit
Se factis creviſſe tuis! duo namque fuere
Europæ Libyæque hoſtes. Mauruſius Atlas
Gildonis furias, Alaricum barbara Peuce
Nutrierat: qui ſæpe tuum ſprevere profana
Mente patrem. Thracum venientem finibus alter
Hebri clauſit aquis; alter præcepta vocantis
Reſpuit; auxiliiſque ad proxima bella negatis
Abjurata palam Libyæ poſſederat arva.
Quorum nunc meritam repetens non immemor iram
Suppliciis fruitur, natoque ultore triumphat.
Enſe Thyeſtiadæ pœnas exegit Oreſtes:

Sed

100 officiis *al.* obſequiis ***MS.*** 107 veniens e *Vien. Junt. Ald. Baſ. Barth.* 109 rogatis *Vic. Vien. Baſ. marg.* 113 Thyeſtiadem, *it.* Thyeſtiades *al.*

92 *Serena* Stilichonis uxor ſoror patruelis, & adoptiva Honorii, ſed aliquantum ætate illum prægreſſa, mox futura ſocrus, nunc educatrix (Vid. Tabula generis Theodoſii).

95 Nempe Theodoſius mox ab illa de Eugenio victoria & triumpho vita functus eſt A. C. 395.

101 *Securus* proprie, ſine cura, quid futurum eſſet relictis & poſteris. Cf. 7, 158

108 Vid. 15, 246.

111 Neſcio quam bene Theodoſius apud ſuperos dicatur *frui* h. e. gaudere *ſuppliciis* rebellium. Vid. 22, 14. Sed demus veniam poëtæ externo, vel illius dicta interpretemur, ut ſolemus ſimilia eorum, qui nobis ſacroſancti ſunt.

113 *Thyeſtiades* Agamemnon, quem Pliſthenis filium alii faciunt, ut Apollod. 3, 2. 2, fratris Thyeſtæ, apud Homerum Il. B, 108 certe ſceptrum accepit a Thyeſte: fuerit igitur Thyeſtiades certe ſucceſſor Thyeſtæ.

Sed miſtum pietate nefas; dubitandaque cædis
Gloria, materno laudem cum crimine penſat.
Pavit Iuleos inviſo ſanguine Manes
Auguſtus. ſed falſa pii præconia ſumſit
In luctum patriæ civili ſtrage parentans.
At tibi cauſſa patris rerum conjuncta ſaluti
Bellorum duplicat lauros, iiſdemque tropæis
Reddita libertas orbi, vindicta parenti.
Sed mihi jam pridem captum Parnaſſia Maurum
Pieriis egit fidibus chelys. arma Getarum
Nuper apud ſocerum plectro celebrata recenti.
Adventus nunc ſacra tui libet edere Muſis,
Grataque patratis exordia ſumere bellis.
  Jam Pollentini tenuatus funere campi,
Conceſſaque ſibi (rerum ſic admonet uſus)

115 maternæ *ante Heinſ.* 117 ſæua *MSS. Cuj.* 118 parentis *vulg.* parentans *etiam Baſ. marg.*

Thyeſtæ. Grammatici virtus eſt quædam neſcire. Genealogiæ quædam hic quoque ἀπέραντοι, qualibus interdicitur 1 Tim. 1, 4. Ceterum Clytæmneſtram matrem, quæ adjuvante Aegiſtho adultero virum ſuum Agamemnona interfecerat, ab Oraculo excitatus occidit Oreſtes, & tamen ob hoc facinus Furiarum taedis ardentibus exagitatur.

116 Interfectores Julii Cæſaris bello & omni alia vi perſequi non deſiit Auguſtus, *Cæſaris ultor* Hor. Car. 1, 2. 44. Sed dum pius videri vult in patrem adoptivum, cui ſic *parentat* & honores ultimos perſolvit, impius eſt in patriam.

119 Tu, Honori, dum paternas injurias ulciſceris, eadem ſalutem reip. procuras, ac duplicem ita laurum coronamque mereris.

121 De Bello Gildonico agit carmen 15, de Getico contra Alaricum n. 26, & quidem *apud ſocerum.* Stilichonem enim alloquitur, & prædicat, unde maluit eum librum quartum de laudibus Stilichonis vocare Barthius.

125 Nunc *libet Muſis meis ſacra,* cerimonias, *adventus tui* Romani ad Conſulatum ſuſcipiendum *edere,* & *exordia* hujus enarrationis *ſumere a bellis* patratis. Verum eſt, quod monet Barthius, *exordia* poni ſolere a Columella pro totis libris: ſed hoc nihil, ſi quid video, ad h. l. Hic enim hoc tantum dicit, ſe velle præmittere ſolemnibus conſulatus deſcribendis imaginem devicti & redacti ad incitas Alarici. Ceterum ad Auguſti adventum redit demum v. 331.

128 *Pollentini campi funere* h. e. cæde exercitus ſui ad Pollentiam fractus erat Alaricus. Vid. 26, 635.

129 Non omiſimus monere ſupra, fuiſſe in criminibus Stilichonis emiſſum Alarichum. Ipſe noſter non clementiæ modo illud tribuit, ſed etiam prudentiæ cuidam 26, 95.

Luce, tot amiſſis ſociis, atque omnibus una
Direptis opibus, Latio diſcedere juſſus
Hoſtis, & immenſi revolutus culmine fati,
Turpe retexit iter. Qualis piratica puppis,
Quæ, cunctis infenſa fretis, ſcelerumque referta
Divitiis, multaſque diu populata carinas,
Incidit in magnam bellatricemque triremem;
Dum prædam de more parat, viduataque cæſis
Remigibus, ſciſſis velorum debilis alis,
Orba gubernaclis, antennis ſaucia fractis,
Ludibrium pelagi vento jactatur & unda,
Vaſtato tandem pœnas luitura profundo.
Talis ab Urbe minas retro flectebat inanes
Italiam fugiens, & quæ venientibus ante
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reverſis.
Clauſa putat ſibi cuncta pavor, retroque relictos,
Quos modo temnebat, rediens exhorruit amnes.
Undoſa tum forte domo vitreiſque ſub antris
Rerum ignarus adhuc ingentes pectore curas
Volvebat pater Eridanus, quis bella maneret
Exitus: imperiumne Jovi, legeſque placerent,
Et vitæ Romana quies, an jura peroſus
Ad priſcos pecudum damnaret ſæcula ritus.

Talia

136 triremim *MS.* 137 putat *vulg.* 143 Italia *MS.* 146 terrebat *anteHeinſ.* 152 victus *MS.* rictus *MS.*

132 *Retexit iter*, relegit, Metaphora pulchra, non judicanda ex noſtris moribus, ſed ex illius conſuetudine temporis, quo nulla domus eſſet, neque tam humilis, neque tam magnifica, quæ non haberet textrinum, cujus operis nec reginas puderet, quæ ſua manu, veſtes texere ſuis caritatibus, decorum ſibi putarent.

140 Videtur reſpexiſſe Hor. Car. I, 14 illud præſertim v. 15 *Tu*, navis, *niſi ventis ludibrium debes, cave.*

144 Illud *prona* etiam in proſa placuit Plinio Pan. 16, 5 *Omnia hæc tam prona, tam cedentia virtutibus tuis ſentiet* &c.

149 *Eridanum* inducit, quod res in ſuperiori parte Italiæ, ubi Padus regnat ſ. Eridanus, geſta eſt.

150 Epitheton *Romana* etiam ad *Imperium* & *Leges* revocandum.

Talia dum ſecum movet anxius, advolat una
Naiadum, reſoluta comam; complexaque patrem,
„*En Alaricus*, ait, *non qualem nuper ovantem*
Vidimus. exſangues, genitor, mirabere vultus.
Percenſere manum, tantaque ex gente juvabit
Relliquias numeraſſe breves. jam deſine mœſta
Fronte queri, Nymphaſque choris jam redde ſorores.„
Dixerat. ille caput placidis ſublime fluentis
Extulit, & totis lucem ſpargentia ripis
Aurea roranti micuerunt cornua vultu.
Non illi madidum vulgaris arundine crinem
Velat honos. rami caput umbravere virentes
Heliadum, totiſque fluunt electra capillis.
Palla tegit latos humeros, curruque paterno
Intextus Phaëthon glaucos incendit amictus.
Fultaque ſub gremio cælatis nobilis aſtris

 Aethe-

155 adeſt *MS.* 159 i, redde *conj. Heinſ.* ſonoris *MSS. it. Baſ. marg.* 168 fulvaque *Baſ. marg. ſed* fulta *firmat Heinſ. ex 26, 223.*

157 *Percenſere manum* cum dicit, paucitatem ſignificat, quæ jam non dici meretur exercitus, quae non campis, quos occupat, cenſetur, ſed nullo negotio *percenſeri* & ſingulatim numerari poteſt.

162 *Cornua fluminibus*, etiam eum tauriforme caput non habent, tribui, jam monuimus ad 20, 163. *Aurea* hic ſunt, puto, ad indicandam illam divinitatem & καταστερισμὸν Eridani. Eſt hic locus in iis, ubi non variam modo eruditionem oſtendit noſter; ſed etiam audaciam ſibi ſumſit poëtæ primarii. Ponit Eridanum ſ. Padum in hac gratulatione non vulgari fluviorum habitu uſum: ſed cæleſte decus ſuum præ ſe ferre cornibus aureis, corona, amictu figurato & urna: eaque ſumit omnia ex Phaëthontis fabula, ut mox ſingulatim videbimus.

164 *Honos* capitis, corona, hic non eſt, ut alias arundinea, ſed populea, in quam arborem mutatæ Phaëthontis ſorores, *Heliades*: ex hac corona *fluunt* ſ. ſtillant electra &c.

166 Jam illud novum & ξένον quod *pallam* dat Eridano, cum nudi ſint alias, nec immerito, Fluvii. In hac palla glauci coloris ſ. aquei ex auro intextus eſt Phaëthon, in curru Solis patris adhuc hærens.

168 Urna, qua inniti ſolent in nummis & marmoribus fluvii, hic ſphæræ cæleſtis quandam habet imaginem, aſtris diſtincta iis, quæ habent aliquam ad ipſum Eridanum & Phaëthonta comparationem vel reſpectum. *Titan* eſt Phœbus, Hyperion, Sol quem in hoc ipſo argumento τιτάνων κάκιστον appellat Lucianeus Jupiter Dial.

Aethereum probat urna decus. namque omnia luctus
Argumenta ſui Titan ſignavit Olympo,
Mutatumque ſenem plumis, & fronde ſorores,
Et fluvium, nati qui vulnera lavit anheli.
Stat gelidis auriga plagis: veſtigia fratris
Germanæ ſervant Hyades, Cycnique ſodalis

Lacteus

Dial. Deor. 25 pr. Titan igitur ipſe luctus ſui ex filii interitu argumenta, hoc *Olympo*, hac urna qualicunque imagine cæli, *ſignavit.*

171 *Cycnus* ſenex, *rex Liguriæ, Phaëthonti propinquus, dum deflet propinquum, in cycnum converſus eſt*, teſte Hygino fab. 154. Habet fabulam etiam Naſo Met. 2, 367: neuter hunc cycnum cælo aſſignat, ut nec Aratus v. 273, nec illius Germanicus interpres ibid. neque Eratoſthenes c. 25, qui potius illum cycnum honorant, ſub cujus forma Jupiter Nemeſi potitus eſt. Sed utitur noſter poëtæ iure, & quid ni?

Fronde mutatæ ſunt *ſorores* Phaëthontis, Heliades, ut indicavimus, in *populos*, quibus *ulmos* vel *alnos* alii ſubſtituunt, e quibus ſtillans reſina durari putabatur in electrum. Hæc dominatrix fabula pulchre narrata Ovid. Met. 2, 340 ſqq.

172 *Fluvium*, Eridanum, ſignavit in urna, quæ hic deſcribitur, Phœbus, qui ſui h. e. Phœbi filii, *anheli* ab æſtu, a caſu, a morte imminenti *vulnera lavit.* Eridanus nempe jam Arati tempore in cælo fuit, Λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο, ut eſt v. 359. Sequi autem videtur Claudianus Germanicum, qui a verbo πολυκλαύτου, *flebilis* admonitus forte, pulchre ſic devincit has fabulas v. 360 ſq. ut prædicet *Amnem, qui Phaëthonta ſuas deflevit ad undas Poſtquam patris equos non æquo pondere rexit, Vulnere reddentem flammas Jovis: hunc nova ſilva Planxere, ignotis* (antea) *mœſtæ Phaëthontides ulmis.* Tum, *Eridanus medias liquidis interjacet undis.* Docet V. Scholiaſta Germanici ad h. l. *ab Heſiodo inter aſtra collocatum Eridanum propter Phaëthonta.* Sed addemus etiam reliqua ad lucem Claudiani: *Hujus pars undæ lævum tenet Orionis Lapſa pedem.*

173 *Auriga* cæleſtis, Heniochus, vulgo Erichthonius, inventor currus, prædicatur; vel Myrtilus, Oenomai auriga. V. German. v. 156. (Aratus enim ipſe v. 161 ſimpliciter ἡνίοχον habet) & Manil. 1, 369 & 5, 69. Plures habet fabulas Hygi. Poët. Aſtron. c. 13 p. 446 Stav. Quibus hanc, nempe Phaëthonta eſſe illum aurigam curru excuſſum, vel ex Heſiodi libro deperdito addit noſter, ut illud quod obſervatum a Germanici Scholiaſte modo monuimus, vel etiam iure poëtæ uſus confingit. Quidquid ejus ſit, ſimilia Nonnus 38, 424 Ζεὺς δὲ πατὴρ Φαέθοντα κατεστήριξεν Ὀλύμπῳ Ἴκελον ἡνιόχῳ καὶ ἐπώνυμον.

Quomodo *Hyades* ſint *Germanæ* Phaëthontis, non puto traditum eſſe hiſtorice. Sed videtur Claudianus phyſiologice hoc indicare, Hyadas ſ. *Pluvias* (quod perpetuum earum non tam epitheton, quam ſynonymon eſt, de quo Heinſ. ad Aen. 3, 516) eſſe filias Solis, qui eas tollit ac ſuſcipit ex mari ſ. Tethye, adeoque Phaëthontis ſorores.

174 *Lacteus circulus cycni ſodalis* eſt, quia in illo conſpicitur: ut Hor. Car. 1, 25. 9 *Hiemis ſodalis Eurus.*

Lacteus extentas aſpergit circulus alas.
Stelliger Eridanus ſinuatis flexibus errans
Clara Noti convexa rigat, gladioque tremendum
Gurgite ſidereo ſubterluit Oriona.
Hoc Deus effulgens habitu proſpectat euntes
Dejecta cervice Getas. tunc talia fatur.
„Siccine mutatis properas, Alarice, reverti
Conſiliis? Italæ ſic te jam pœnitet oræ?
Nec jam cornipedem Tiberino gramine paſcis,
Ut rebare, tuum? Tuſcis nec figis aratrum
Collibus? o cunctis Erebi digniſſime pœnis,
Tune Giganteis urbem tentare Deorum
Aggreſſus furiis? nec te meus, improbe, ſaltem
Terruit exemplo Phaëthon, qui fulmina præceps
In noſtris efflavit aquis, dum flammea cœli
Flectere terrenis meditatur frena lacertis,
Mortalique diem ſperat diffundere vultu?
Crede mihi, ſimili bacchatur crimine, quiſquis
Adſpirat Romæ ſpoliis, aut Solis habenis.„
Sic fatus, Ligures Venetoſque erectior amnes
Magna voce ciet. Frondentibus humida ripis
Colla levant, pulcer Ticinus, & Addua viſu
Cærulus,

176 fluctibus *ante Heinſ.* 177 gladiique *MS. quod venuſtum ait Heinſ.* 179 proſpexit *ante Heinſ.* 193 ut *Raphel.*

176 De hoc jam dictum ad 172. Eridanum hunc cæleſtem *Noti convexa rigare*, verſus meridionalem polum ſ. antearcticum tendere, ut reliqua, quæ hic ἀστρολογεῖ noſter, ipſo conſpectu ſphæræ optime declarantur.

180 *Dejecta cervice* ad *Getas* pertinere, metu perculſos dejectoſque vix monitu opus eſt.

188 Comparemus illa Germanici ad v. 172 laudata, *Vulnere reddentem flammas Jovis*, cui reſpondet ſolum ibi *anheli* epitheton.

190 *Meditatur* non ad ſolam cogitationem referri, ſed ad ipſam operis exercitationem, etiam hic res, de qua agitur, oſtendit.

191 *Vultu* ſuo illo lucido, qui ipſe Sol eſt, diffundit lumen Phœbus, quem imitari Phaëthon auſus eſt. Ideo Phœbus *pater ora ſui ſacro medicamine nati Contigit: & rapidæ fecit patientia flammæ Impoſuitque comæ radios*, Ovid. Met. 2, 124.

Aethereum, & velox Atheſis, tarduſque meatu
Argumes, inque novem conſurgens ora Timavus.
Mutatſtant omnes profugo, pacataque lætum
Et vitant ad prata pecus. jam Pana Lycæum,
Jam Dryadas revocant, jam ruſtica numina Faunos.
Tu quoque non parvum Getico, Verona, triumpho
Adjungis cumulum: nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.
Hic rurſus, dum pacta movet, damniſque coactus
Extremo mutare parat præſentia caſu,
Nil ſibi perjurum ſenſit prodeſſe furorem,
Converti nec fata loco; multiſque ſuorum
Diras pavit aves, inimicaque corpora volvens
Jonios Atheſis mutavit ſanguine fluctus.
Oblatum Stilicho violato fœdere Martem
Omnibus arripuit votis, ubi Roma periclo
Jam procul, & belli medio Padus arbiter ibat.
Jamque opportunam motu ſtrepuiſſe rebelli

Gaudet

204 Haſtæ *MSS. etiam Cuj.* 205 novat *malebat Heinſ.* 207 ſentit *MSS.* 209 aquas *MS.* 212 medius *vulg.* medius belli *Barth. 2.* 213 ſtatuiſſe *Baſ. marg.*

198 De ſeptem an *novem Timavi oribus* dictum ad 7, 120.

202 Ad *Veronam* prælio ſuperatum fuiſſe dicit Alaricum, cum poſt Pollentinam cladem denuo arma moveret: itemque ad *Aſtam* urbem.

205 *Pacta movere*, non ſtare conditionibus de quibus convenit.

207 *Fata loco converti* poſſe putabat Alaricus, feliciorem ſe futurum in illis partibus ultra Padum remotis, quam fuerat propius Romam. Recordabuntur hic, qui noſtros de religione libros amant, opinionum Balaci Num. 24, 23. & Syrorum 3 Reg. 20, 23.

209 Ultrane conſuetum extendit *Jonios fluctus*, cum in intimum Adriæ ſinum influat Atheſis: an horribili hyperb. decoloratum ait totum mare Adriaticum quam longum eſt usque ad Calabriam & Epirum, ubi demum incipit Jonium? Neutro opus eſt, *Jonii fluctus* ſunt *ſinus Jonius*, κόλπος Ἰόνιος, quo nomine etiam hiſtorici mare Adriaticum appellant. Vid. Palmer. ad Thuc. 1, 24 pr.

210 Nimis forte bonum virum hic putabant poëtam noſtrum, qui tum erant magni politici. Non debebat *votis omnibus*, certe non apertis, *arripere perfidiam* Alarici Stilicho; ſed ingemiſcere infortunio illius & ſuo, qui cogeretur invitus cæde hominum pacem parare Italiæ. Cf. ad v. 219.

Gaudet perfidiam. Præbensque exempla labori
Suſtinet accenſos æſtivo pulvere ſoles.
Ipſe manu metuendus adeſt, inopinaque cunctis
Inſtruit arma locis, &, qua vocat uſus, ab omni
Parte venit. Feſſo ſi deficit agmine miles,
Utitur auxiliis damni ſecurus, & aſtu
Debilitat ſævum cognatis viribus Iſtrum,
Et duplici lucro committens prælia vertit
In ſe barbariem nobis utrimque cadentem.
Ipſum te caperet, letoque, Alarice, dediſſet,
Ni calor incauti male feſtinatus Alani
Diſpoſitum turbaſſet opus. prope captus anhelum
Verbere cogis equum. nec te vitaſſe dolemus.
I potius genti reliquus, tantiſque ſuperſtes
Danubii populis, i, noſtrum vive tropæum.
Non tamen ingenium tantis ſe cladibus atrox
Dejicit: occulto tentabat tramite montes,
Si qua per ſcopulos ſubitas exquirere poſſet

In

214 laboris *vulg.* 215 æſtivos accenſo *conj. Heinſ.* 217 quo *malit Heinſ.* 227 gentis reliquum *ante Heinſ.* 228 in noſtrum *ante Heinſ. qui vid. ad Ovid. 4, 127 & 14, 126. Sed add. Burm. ad locum priorem.* 230 montis *vulg.* obliquo-vertice montis *MS.* 231 ſi quas *vulg.*

214 Interpungendum ante *Præbensque*, cum nova res adjungatur. Qua in re etiam τῷ *que* locum eſſe, Suetonii aliorumque exemplis monuit Cl. Erneſtus ad Sueto. Nero. 38.

215 Conf. 21, 350.

218 De aſſumtis Alanorum, Geticæ gentis ipſius quoque, contra ſuos populares auxiliis agit, de quibus conf. 26, 580 ſq. Ceterum hic etiam hominem minime malum ſe probat Claudianus, qui tribuat Stilichoni conſilium & aſtum, barbaros mutuis cædibus atterendi. Inſanum quantum plus aceti in pectore habent hodie proceres, qui negant ſe agere quod faciunt, ſed Pacem & Conſtitutionem ſe noſtram tueri, ſerio teſtantur. Verſus hi pulcherrimi, veriſſimi (vid. Oroſ. 7, 37 pr. & 43) niſi quod parum decebat Claudianum, hæc vivo Stilichone in laudibus illius commemorare publice &c.

224 *Alanus* ille Saulus vocatur Paulo Diacono Hiſt. Miſc. 13, 26 qui vero totam hanc hiſtoriam ita narrat, ut multum a noſtro & Prudentio in Symm. 2, 709 ſq. diſſentiat. De hoc porro nimio Sauli vel Saulis ardore, & periculo Alarici, nihil, puto, alii. Captam non multo poſt ab illo Romam, mirum non eſt taceri a noſtro: etiam ſi forte ſupervixerit.

In Rhætos Galloſque vias. ſed fortior obſtat
Cura ducis. quis enim divinum fallere pectus
Poſſit, & excubiis vigilantia lumina regni?
Cujus conſilium non umquam repperit hoſtis,
Nec potuit texiſſe ſuum. ſecreta Getarum
Noſſe prior, celerique dolis occurrere ſenſu.
Omnibus excluſus cœptis conſidit in uno
Colle tremens: frondeſque licet depaſtus amaras
Arboreo figat ſonipes in cortice morſus,
Et tetris collecta cibis annique vapore
Sæviat aucta lues, & miles probra ſuperbus
Ingerat obſeſſo, captivaque pignora monſtret:
Non tamen aut morbi tabes, aut omne periclum
Docta ſubire fames, aut prædæ luctus ademtæ,
Aut pudor, aut dictis movere procacibus iræ,
Ut male tentato toties ſe credere campo
Cominus auderet. nulla eſt victoria major,
Quam quæ confeſſos animo quoque ſubjugat hoſtes.
Iamque frequens rarum decerpere transfuga robur
Cœperat, inque dies numerus decreſcere caſtris;
Nec jam ſeditio paucis occulta parari,
Sed cunei totæque palam diſcedere turmæ.
Conſequitur, vanoque fremens clamore retentat,
Cumque ſuis jam bella gerit: mox nomina ſupplex

Cum

234 excubias *per appoſitionem ad* lumina *malebat Heinſ.* numina *Vic. Vien. Baſ. marg. Plant. marg.* pſallere *Vic.* 238 confidit *MSS.* conſedit *vulg.* in imo *Baſ.* 241 amnisque *MS.* annisque, *it.* animique, omnique *MSS.* animique pavore *MS.* 244 rabies *MSS. Vic. Vien. Baſ. marg.* 252 deditio *ante Heinſ.* 253 deſcendere *MSS.* diſcernere, decreſcere *MS.* deſciſcere *conj. Heinſ.* 255 numina *ante Heinſ. qui* nomina *ex MSS. dedit, & firmavit exemplis aliorum.*

243 *Captiva pignora*, conjuges, liberos jam incluſos, mox venturos in poteſtatem hoſtis.

255 *Nomina - ciet*, nobiliſſimos quosque & inſignes nominatim compellat, rogat, ut aut ſecum & pro ſe pugnent, aut ſe, cauſam malorum, interficiant. Sic 5,369 it. 22,153 ubi vid.

Cum fletu precibusque ciet, veterumque laborum
Admonet, & fruſtra jugulum parcentibus offert:
Defixoque malis animo ſua membra ſuaſque
Cernit abire manus. qualis Cybeleia quaſſans
Hyblæus procul æra ſenex revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ ſponte relictis
Deſcivere favis; ſonituque exhauſtus inani
Raptas mellis opes, ſolitæque oblita latebræ
Perfida deplorat vacuis examina ceris.
Ergo ubi præcluſæ voci laxata remiſit
Frena dolor, notas oculis humentibus Alpes
Adſpicit, & nimium diverſi ſtamine fati
Præſentes reditus, fortunatosque revolvit
Ingreſſus. ſolo peragens tum murmure bellum,
Protento leviter frangebat mœnia conto,
Irridens ſcopulos: nunc deſolatus & exſpes
Debita pulſato reddit ſpectacula monti.
Tunc ſic Auſonium reſpectans æthera fatur:
„*Heu regio funeſta Getis, heu terra ſiniſtris*
Auguriis calcata mihi, ſatiare nocentum
Cladibus,

261 conatus *MS.* 266 notasque *ante Heinſ.* 270 (Pro) tanto *Vien. marg.* 273 dixit *Cuj.*

259 *Cybeleia æra* pelves & tintinnabula, qualibus uti & tinnitum ſtrepitumque excitare ſolebant Cybeles ſ. Matris Deum cultores, Galli præſertim illi ſ. exſecti.

260 *Hyblæus* ſenex, incola Hyblæ, Attici montis, cujus apes & mella præter ceteras laudantur.

267 *Stamen fati*, ſolita Metaphora a colo & filis Parcarum, notat tenorem & continuationem eventuum fortunæ.

269 *Murmur* intelligo imperia, non magno clamore promulgata, ſed paucis amicis circumſtantibus ſubmiſſa voce impertita. Sic tum peragebat ſine ſtrepitu bellum.

270 Utrum hæc de *protento conto*, & *ſcopulis irriſis* hiſtoricum quid habeant, an modo ſint ſymbola arbitraria poëtæ, quibus auctoritatem & potentiam Alarici indicare voluerit, in medio relinquo: niſi quod v. 272 *debita pulſato monti ſpectacula* ſuadere videntur quiddam ſimile Xerxis inſolentiæ compedes iniicientis & verbera intentantis mari.

274 In hac oratione ne de ipſo ſoliloquio ſive Monodia dicam, quod

Cladibus, & tandem noſtris inflectere pœnis!
En ego, qui toto ſublimior orbe ferebar,
Ante tuum felix aditum, ceu legibus exſul,
Addictuſque reus flatu propiore ſequentum
Terga premor. quæ prima miſer, quæ funera dictis
Poſteriora querar? non me Pollentia tantum,
Nec captæ cruciaſtis opes. hoc aſpera fati
Sors tulerit, Martiſque vices. non funditus armis
Conciderам. ſtipatus adhuc, equitumque catervis
Integer, ad montes reliquo cum robore ceſſi,
Quos Apenninum perhibent. Hunc eſſe ferebat
Incola, qui Siculum porrectus aduſque Pelorum
Finibus ab Ligurum populos complectitur omnes
Italiæ, geminumque latus ſtringentia longe
Utraque perpetuo diſcriminat æquora tractu.
Huc ego continuum ſi per juga tendere curſum,
(Ut prior iratæ fuerat ſententia mentis;)
Jam deſperata valuiſſem luce, quid ultra?

Omnibus

282 raptæ *Barth.* cruciatis *ante Heinſ.* 288 ad Lig. *vulg.* a Lig. *MSS.* ad *etiam Barth.* amplectitur *ante Heinſ.* 290 diſterminat *MSS.* ut 3, 175. 291 hunc, hic, hoc, hæc, hinc *al.* continuo — curſu *MS.* 293 voluiſſem *vulg.*

quod genus univerſum impugnare, nimium forte audax fuerit, illud certe reprehendendum videtur, quod illa nimis figurata & picta eſt: ut illud quod v. 280 dubitat, *quæ prima, quæ poſteriora* queratur, quod a v. 286 Apennini deſcriptionem interit.

278 *Ante tuum aditum*, ante aliquanto quam te adirem: collectis ex Græciæ & Illyrici præda divitiis.

279 *Flatu - ſequentum terga premor* picturam habet Ovidianæ ſimilem Met. 1, 539 *Tergoque fugaci Imminet, & crinem ſparſum cervicibus adflat.* Et 5, 616 *Ingens Crinales vittas adflabat anhelitus oris.*

286 Vera & pulchra Apennini deſcriptio, qua hodie utuntur, qui orbem noſtrum per illa montium & ultra terræ planitiem eminentium, & ſub mari adeo porrectorum, juga deſcribunt: ſed quam in ejusmodi occaſione in mentem venire Alarico, nimis improbabile eſt. Audirem, ſi iſta narraret Alaricus otioſus cuicunque amico.

293 Si *deſperata jam luce* vitæ hujus, felicitatis certe, potuiſſem Italiam, quam longa eſt, per Apennini juga percurrere; quid profeciſſem? Hoc certe ut glorioſius & propius Romam perirem. Diceretur, *magnis tamen excidit auſis*, quod in Phaëthontis ſepulcro ſcriptum memorat Ovid. Met. 2, 327.

Omnibus oppeterem ſama majore peruſtis:
Et certe moriens propius te, Roma, viderem.
Ipſaque per cultas ſegetes mors noſtra ſecuto
Victori damnoſa foret. Sed pignora nobis
Romanus, caraſque nurus prædamque, tenebat.
Hoc magis exſertum raperem ſuccinctior agmen.
Heu, quibus inſidiis, qua me circumdedit arte
Fatalis ſemper Stilicho! dum parcere fingit,
Rettudit hoſtiles animos, bellumque remenſo
Evaluit transferre Pado. Proh fœdera ſævo
Deteriora jugo! tunc vis extincta Getarum.
Tunc mihi, tunc letum pepigi. violentior armis
Omnibus expugnat noſtram clementia gentem.
Mars gravior ſub pace latet, capiorque viciſſim
Fraudibus ipſe meis. Quis jam ſolatia feſſo
Conſiliumve ferat? ſocius ſuſpectior hoſte.
Atque utinam cunctos licuiſſet perdere bello!
Nam quiſquis duro cecidit certamine, numquam
Deſiit eſſe meus. melius mucrone perirent,

Auſer-

294 meliore *vulg.* peremtis *MSS.* majore perillis *Cuj. ſ.* periclis.
302 extulit *Vic.* rettulit *alii omnes.* retrudit *MSS.* & *Baſ. marg.* & *verum judicavit cum Barth. Heinſ.* 309 dabit *MSS.*
310 o utinam *MSS.* 312 deſinit, deſiit *MSS.*

296 Turbatus nimium ordo impedire poteſt etiam non rudem lectorem: Ipſa mors noſtra damnoſa victori fuiſſet, perſequi nos coacto per ſegetes, easque conculcare.

297 Obiicit ſibi, quod commodius amicus excuſandi illius cauſa diceret, Non conſultum fuiſſe vaſtare Italiam, cum haberent Romani captivas Getarum vxores & alia pignora. Reſpondet, Tanto expeditius futurum fuiſſe agmen. Hoc enim eſt *exſertum*, vt brachium non impeditum pallio, toga, penula.

302 *Rettudit*, minus acrem & velut hebetem reddidit animum meum, paullo ante hoſtilem. Solet noſter illo verbo præſertim de lucis radiis uti, cum illi, ut ſagittæ obtuſæ, minus ſunt penetrabiles. Quod duplicata eſt poſt ſyllabam *re* prima verbi conſonans, poterat etiam intermitti, cum optimi quique libri eam ſyllabam ancipitem eſſe oſtendant. Sed dictum hac de re copioſe in Theſauris.

307 In hoc bene conſulit patrono ſuo Stilichoni, quod inducit confitentem Alaricum, arte ſe ſua, fraudibus ſuis captum.

Auferretque mihi luctu leviore ſodales
Victa manus, quam læſa fides. nullusne clientum
Permanet? infenſi comites: odere propinqui.
Quid moror inviſam lucem? qua ſede recondam
Naufragii fragmenta mei? quæve arva requiram,
In quibus haud umquam Stilicho, nimiumque potentis
Italiæ noſtras nomen circumſonet aures? „
Hæc memorans inſtante fugam Stilichone tetendit
Expertas horrens aquilas. comitatur euntem
Pallor, & atra Fames, & ſaucia lividus ora
Luctus, & inferno ſtridentes agmine Morbi.
Luſtralem ſic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure cæruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda ſacerdos,
Rore

315 offenſi *MSS.* 319 circumſonat *al.* 324 *pro* rite, *quod habent etiam Cuj. & Claver.* triſte *reliqui*, *etiam Barth.*

321 *Aquilas* pro ipſis jam Romanis legionibus ponit antiquo more, licet eo tempore forte raras aquilas, pro quibus dracones tum magis in uſu fuiſſe, vel noſter poëta ſatis oſtendit. Legionum nomina eo tempore ſubſtitiſſe, ſatis docet Notitia utriusque Imperii: de diſciplina & honore huius militiæ legionariæ alia quæſtio eſt. Vid. Schelius ad Hygi. p. 87.

323 *Stridentes Morbi* ſignant febres, quarum frigus ſtridor dentium comitari ſolet.

324 Verſus hinc ſeptem, quid hic ſibi velint, me non ſatis intelligere, fateor, ac mirari, quid ſit, quod nemo, quidquam hic ſibi dubium videri, indicavit. Eſt hic imago ſacerdotis luſtrandi piandive cauſa facem rotantis, deinde piacula ſ. λύματα, corpora quibus in cerimonia uſus eſt, retro trans caput jactantis: ſed cui rei illuſtrandæ ea imago ſervire debeat, non declarat poëta. Forte hoc vult, Ut poſt luſtrales cerimonias fugiunt mali dæmones, & quæcunque peſtes: ſic Alaricus pellitur, & cum illo, tanquam face piaculari, eiecto fugiunt Pallor, Fames, Luctus, illius adhuc comites.

325 Fumum *ſulfuris cæruleum* intelligi, vix monitu opus eſt. Nempe phyſica etiam ratio docet, fumum ſulfuris eſſe ipſum ſulfur diſſolutum & diſſipatum per aëra: eadem bituminis ratio.

326 *Doctus purganda*, Græciſmus, doctus luſtrationes, purgationes, καθάρσεις. De ipſo apparatu luſtrali hic agere, & ritus gentilium e Judaicis derivatos percenſere, longum eſt, & librorum materia: ut illorum, quos Lomeiero debemus. *Rorem pium* eſſe aquam luſtralem, *ſulphur*, *bitumen*, lauros, *herbas*, antiquam talium ſacrorum materiem, *purificum Iovem*, quem καθάρσιον vocant Græci; *Triviam* Dianam, qua Hecate eſt, & inferorum

Rore pio ſpargens, & dira fugantibus herbis,
Numina purificumque Jovem Triviamque precatus,
Trans caput averſis manibus jaculatur in auſtrum
Secum rapturas cantata piacula tædas.
  Acrior interea viſendi Principis ardor
Accendit cum plebe patres, & ſæpe negatum
Flagitat adventum. nec tali publica vota
Conſenſu tradunt atavi caluiſſe per Urbem,
Dacica bellipotens cum fregerat Ulpius arma,
Atque indignantes in jura redegerat Arctos,
Cum faſces cinxere Hypanin, mirataque leges
Romanum ſtupuit Mæotia terra tribunal.
Nec tantis patriæ ſtudiis ad templa vocatus,
Clemens Marce, redis, cum gentibus undique cinctam

 Exuit

328 terrificumque *vulg.* turif. *vel* turrif. *MS.* luſtrificum *conjiciebat Heinſ. ut Val. Fl.* 3, 448. *Sed* purificum *MSS.* 329 adverſis *Cuj.* averius *Vien. Baſ. Plant. quod placet.* 330 nupturas *Baſ. marg.* 335 fregerit -- redegerit *vulg.* Dacia *Ald. Junt. Sed* Dacica jam *Vic. Vien. Baſ.* 337 cum cinxere faces *Vic. Ald. Junt. Baſ. Sed* cum faſces cinxere *Vien. Baſ. marg. &c.* 338 Mæotica *vulg.*

inferorum domina, tralaticium eſt & ad Theocriti Virgiliique Pharmaceutrias, ad Tibulli 1, 2. 61, ad Nemeſia. Ecl. 4, 63 &c. a viris doctis explicatum.

329 Quod *trans caput*, & *averſis manibus* jactantur *tædæ* h. e. faces, λύματα ſ. piacula, illud ipſum quoque frequenter obſervatum: hic illud neſcio an ſingulare, quod *in auſtrum.* Id videtur ideo factum, quod ſedes ibi eſſet dæmonum. Certe Porphyrius p. cxxi Barneſ. huc trahit: quod antro Nympharum Homerus *Od.* N. 112 tribuit duplices januas, ad boream alteras, mortalium commeatui deſtinatas, alteras ad auſtrum, quem DIs aſſignarent, *τὸν Νότον θεοῖς νέμοντες* &c.

331 Hic redit poëta ad argumentum ſuum, ad præſentiam Imperatoris in urbe ſua, ſuſcipiendumque ibi conſulatum, a quo diſceſſerat v. 126 exordio altius repetendo a clade Alarici.

335 Non ita expetitus eſt adventus Ulpii Trajani in urbem poſt victorias Dacicas. Harum victoriarum inſigne monimentum extat columna Trajani juſto volumine explicata a Fabretto. Sed utrum, quando, quomodo, cum exercitu victore ad *Arctos, Hypanin, Mæoticam* pervenerit, non puto, poſſe demonſtrari hodie. Certe quatenus nota eſt Dacia Trajani provincia, ultra Iſtrum non multum producta videtur. Sed legit Claudianus Dionis hiſtorias, de quibus forte nimis pauca excerpſit nobis Xiphilinus.

340 *Clementis* elogio Marcum Aurelium honorat, quæ virtus amabiles & gratioſos reddit. Et tamen præfert illi hac laude Honorium.

Exuit Heſperiam paribus Fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum: nam flammeus imber in hoſtem
Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat
Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
Subſidit galea, liquefactaque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxere vaporibus enſes.
Tunc contenta polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit: Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavere Deos: ſeu, quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.
  Nunc quoque præſidium Latio non deeſſet Olympi,
Deficeret ſi noſtra manus. Sed providus æther
Noluit humano titulos auferre labori,
Ne tibi jam, Princeps, ſoceri ſudore paratam,
Quam meruit virtus, ambirent fulmina laurum.
  Jam toties miſſi proceres reſponſa morandi
Rettulerant, donec differri longius Urbis

Communes

343 fumante *MSS.* 345 ſubſedit *ante Heinſ.* 351 ſubſidium *MS.* 352 veſtra *MS.* 355 vulnera *MSS.* fulgura *conj. Heinſ.* 357 orbis *contra exemplaria omnia Barth. & obſecutus illi in altera edit. Heinſ.*

340 Ad Marcomanorum & Quadorum motum alii paſſim populi ab Illyrici limite usque in Galliam, res novas moliebantur. Victoria hæc eſt, quam Jovi pluvio tribuiſſe credibile eſt gentiles, cujus etiam imago eſt in Columna Antonini Pii; Chriſtianorum precibus impetratam, noſtri credunt non injuria: licet de Fulminatrice legione, & de literis ad Senatum Marci, alia omnia cordatiores ſentiant, quam quæ perſuaderi ſibi paſſa eſt pia credulitas. Vid. Dio Reimarianus 71, 8.

342 Modo partem cæleſtis auxilii noſter memorat terribilem hoſtibus; tacet de pluvia ſitienti Romanorum exercitui indulta.

344 *Tabeſcere* hic eſt liqueſcere ab igne & diſſolvi.

346 *Vapores* hic de vehementiſſimo igne fulminis, quo ferrum diſſolvi poteſt.

348 Arnuphin *Magum* nominavit Dio, refutatus a Xiphilino l. c.

353 Noluit Providentia Divina titulum & honorem victoriæ minuere vel auferre Honorio per ejusmodi miraculum. Callide hic tacet Poëta de Theodoſii contra Eugenium victoria, de qua cecinerat illud 7, 96 *O nimium dilecte Deo* &c.

357 *Urbis preces*, non *Orbis*, *differri* longius paſſa non eſt *Roma*, Dea urbis cognominis, ejusque velut genius. Nihil hic ταυτολόγον, quod mirum eſt Heinſium credidiſſe Barthio.

Communes non paſſa preces penetralibus altis
Proſiluit, vultuſque palam confeſſa coruſcos
Impulit ipſa ſuis cunctantem Roma querelis:
„Diſſimulata di[illegible] *triſtes in amore repulſas*
Veſtra parens, Auguſte, queror. Quonam uſque tenebit
Prælatus mea vota Ligus, vetitumque propinqua
Luce frui, ſpatiis diſcernens gaudia parvis,
Torquebit Rubicon vicino numine Tibrin?
Nonne ſemel ſpreviſſe ſat eſt, cum reddita bellis
Africa venturi luſit ſpe Principis Urbem?
Nec duras tantis precibus permovimus aures?
Aſt ego frenabam geminos, quibus altior ires,
Electi candoris equos, & nominis arcum
Jam molita tui, per quem radiante decorus
Ingrederere toga, pugnæ monumenta dicabam,

 Defenſam

359 proſiliit *vulg. Sed* proſiluit *meliores.* 362 precor *MSS.* Ligur *vulg. Sed* Ligus *MSS. hic & al.* 364 decernens *vulg. Sed* diſc. *MSS. Vien. & Baſ. marg.* 372 ferebam *Baſ. marg.* docebam *it.* parabam *MSS.*

361 *Diſſimulata* Græciſmo eleganti, quo uſus etiam Ovid. Art. 1, 690 *Veſte virum longa diſſimulatus erat* Achilles.

363 Liguriæ itaque adſcribit Mediolanum? nempe latius ſumtæ (de qua Cluver. 1, 7 & 8) ut poëtæ non multum laborant de regundis finibus. Et ſane Ligures etiam maritimi, quorum Genua caput, Mediolano & aulæ Honorii propiores longe quam Romani. Cf. 443. *Rubicon* ille, terminus licet quondam Galliæ provinciæ, tenuis tamen per ſe & contemtibilis, quatenus *ſpatiis parvis diſcernit* ac diſtinet *gaudia* accolarum, Auguſtum videre cupientium, *torquebit*, invidia & æmulatione ex *vicino* ſibi *numine* Auguſti, ipſum patrem *Tiberim*, quem vetat ita *propinqua luce* Imperatoris *frui*? Propter viciniam ſedis Auguſtæ Rubicon audet ſe præferre Tiberi.

366 *Reddita* imperio Honorii *bellis* contra Gildonem geſtis, quæ alienata illius rebellione fuerat, *Africa.* Per hanc occaſionem ſperabatur adventus Imperatoris in urbem.

369 Ego, Roma, jam parabam jugum equorum candidorum, quibus in triumpho uterere. Ipſum *ire altius* in equo vel in curru jam ſummum faſtigium notabat, cum ipſi Imperatores pedibus ſuis irent in urbe ordinarie. Pergit Roma, iam *moliebar arcum* triumphalem *nomini* tuo dedicandum. Talia monimenta non modo augebant triumphi ſplendorem: ſed titulo, qui in Zophoro ſcribebatur, victoriarum ſervabant memoriam. Hoc ita eſſe, qui ſuperſunt hodie arcus teſtantur.

Defenſam titulo Libyam teſtata perenni.
Jamque parabantur pompæ ſimulacra futuræ
Tarpejo ſpectanda Jovi, cælata metallo
Claſſis ut aurato ſulcaret remige fluctus,
Ut Maſſyla tuos anteirent oppida currus,
Palladiaque comas innexus arundine Triton
Edomitis veheretur equis: & in ære trementem
Succinctæ famulum ferrent Atlanta cohortes.
Ipſe Jugurthinam ſubiturus carcere pœnam
Præberet fera colla jugo, vi captus & armis,
Non Bocchi Syllæve dolis. Sed prima remitto.
Num præſens etiam Getici me laurea belli
Declinare poteſt? Sedeſne capacior ulla

Tantæ

376 auratos - fluctus *vulg.* auratum - fluctum *MSS.* pontum *MS.* *Auſus ſum tenui mutatione concinniorem reddere verſum.* 379 equis *vulg.* trementi *malit Heinſ.* 384 nunc *vulg.*

375 *Tarpejus* Jupiter eſt Capitolinus, quod templum in ſaxo Tarpejo ædificatum erat: in hujus templum ingrediebantur triumphantes: præferebantur autem in ferculis aut in curribus vehebantur ſimulacra urbium, pugnarum &c. Quinct. 6, 3. 6 *Chryſippus, cum in triumpho Cæſaris eborea oppida eſſent translata, & poſt dies paucos Fabii Maximi lignea, hæc thecas eſſe oppidorum Cæſaris dixit.*

376 *Auratus remex*, ſplendidum ſpectaculum; fluctus aureos nemo facile hic exſpectat.

378 *Palladia arundine Triton comas innectit*, i. ſumta ex *Tritonis* palude in Africa, e qua ortam ipſam quoque Minervam volunt, & inde appellant *Tritonida*: quemadmodum contra Tritonis palus etiam *Pallantias* a Pallade vocatur teſte Plinio 5, 4. Hic vidit deformitatem oris ſui ab inflatu tibiarum, quæ ex arundine parantur, easque abjecit. Solin. c. 27 *A Philænorum aris non procul palus eſt, quam Triton amnis influit* (cujus genius ille archetypus Triton eſſe videtur, a quo orti, ad quem efficti reliqui) *ubi ſpeculatam ſe artium Deam crediderunt.* Pulchre igitur in triumpho Libyco fabulas Libycas intexit doctus poëta.

380 *Atlantis* montis imago inter fercula triumphalia memoratur, ut indicetur eum eſſe denuo poſt victoriam de Gildone in Romanorum poteſtate. Propter magnitudinem & molem hoc Atlantis ferculum ferunt ſuccinctæ cohortes ſervorum.

381 Triumphum talem præfert, quam vere non diſputo, illi, quo ductus eſt Jugurtha: quod hic Sullæ artibus, & proditione Bocchi, in poteſtatem Romanorum venerit; Gildo vi & armis ſit ſuperatus.

385 *Declinare* q. d. prætervehi.

Tantæ laudis erit? Tua te benefacta morantem
Conveniunt, meritiſque tuis obnoxia virtus
Quos ſervavit amat. Jam flaveſcentia centum
Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces,
Spectandoſque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus ſæcula conſul.
His annis, qui luſtra mihi bis dena recenſent,
Noſtra ter Auguſtos intra pomœria vidi,
Temporibus variis: eadem ſed cauſſa tropæis
Civilis diſſenſus erat. venere ſuperbi,
Scilicet ut Latio reſperſos ſanguine currus
Adſpicerem? quiſquamne piæ lætanda parenti
Natorum lamenta putet? periere tyranni,
Sed nobis periere tamen. Cum Gallica vulgo
Prælia jactaret, tacuit Pharſalica, Cæſar.

387 ſuis *al.* 388 quod, quem, quam *al.* 390 ſpectatosque *ante Heinſium, qui* ſpectandas *ex uno Medieeo.* 394 tropæi *ante Heinſ. qui dedit* tropæis *ex uno MS.* 397 laudata *Cuj.* 398 putat favere *vulg.*

386 Solent homines tueri beneficia ſua, & quos ſemel ſuſceperunt, ob id ipſum magis amare, quod ſuos putant. Beneficia tua in Romam jure hoc a te poſtulant, debet hoc virtus tua *meritis tuis*, hoc enim eſt *obnoxia, ut ames* & colas, ut honore præſentiæ tuæ afficias urbem, cui ſalutem dediſti. Nec mutabitur ſententia, ſi legas *meritisque ſuis.*

388 Intra centum annos ter modo Auguſtos intra mœnia ſua vidiſſe Romam, aſſeveranti Claudiano malo credere, quam perquirere ea de cauſa omnem Imperatorum a Conſtantino inde ad A. C. 504 hiſtoriam.

389 *Gargara* Myſiæ fertilitatis nomen facta ſunt: hic annos tantum ſignant meſſes.

390 *Conſul* h. e. annus centeſimus rapit ac celeriter adducit ſæculum, intervallum, quo alias ludi ſæculares ſolebant celebrari. *Sæcula* plurium numero dixit, puto, ut indicaret, eſſe in hoc nomine relationem ad plura, quorum quisque ſæculi ſui certum initium & finem numerat. Univerſim orbem centum annorum deſcribere voluit, nihil amplius. Nec enim audienda de ludis ſæcularibus ab Honorio celebratis hauſta ex hoc loco ſententia a Baronio & Gothofredo: quam refellit Pagius ad A. 404, 2.

400 Triumphos ſplendidiſſimos edidit Cæſar de reliquis bellis; de Pompejano, & Pharſalica victoria ſua, non item.

Namque inter ſocias acies cognataque ſigna
Ut vinci miſerum, numquam viciſſe decorum.
Reſtituat priſcum per te jam gloria morem
Verior, & fructum ſinceræ laudis ab hoſte
Deſuetum jam redde mihi, juſtisque furoris
Externi ſpoliis ſontes abſolve triumphos.
Quem precor ad finem Laribus ſejuncta poteſtas
Exſulat, imperiumque ſuis a ſedibus errat?
Cur mea quæ cunctis tribuere Palatia nomen
Neglecto ſqualent ſenio? nec creditur orbis
Illinc poſſe regi? medium non deſerit umquam
Cæli Phœbus iter, radiis tamen omnia luſtrat.
Segnius an veteres Iſtrum Rhenumque tenebant,
Qui noſtram coluere domum? leviuſne tremebant
Tigris & Euphrates, cum fœdera Medus & Indus
Hinc peteret, pacemque mea ſperaret ab arce?

Hic

405 deſſuetæ *Vic.* deſuetæ *Heinſ. ex MSS.* ſumtisque *ante Heinſ.* fultosque *MSS. & Heinſ.* 1. juſtisque *Heinſ.* 2 *ex MSS.* fultosque - ſontesque abſolve *ſuſpicabatur idem.* 411 illic *vulg. Sed* illinc *etiam Baſ. marg.* 414 timebant *vulg.* 428 obſtare parenti *MS.*

405 Difficile eſt non modo conſtituere, quid ſcripſerit poëta: ſed etiam quæ videatur commodior lectio. De ſententia non laboramus. Poſuit eam aliis quoque locis. Ut 15, 430 *Juſto magnoque triumpho Civiles abolete notas:* & 26, 562 *Obſeſſi Principis armis Excuſate nefas.* —— *Alpinum gladiis abolete pudorem.* Formulæ *Abolere notas* vel *pudorem*, *Excuſare nefas*, *Abſolvere triumphos ſontes*, eandem omnes vim habent, nempe facere, ut earum rerum homines obliviſcantur. Jam in hoc noſtro loco illud fieri poteſt vel *ſumtis ſpoliis* h. e. partis, captis ab hoſte; vel *juſtis ſpoliis*, ut intelligatur *captis* vel *partis*; vel denique dici poteſt Honorius hoc facere *fultus* h. e. innixus & elatus, Metaphorice ut Cic. Offic. 3 c. 22 *Imperium gloria fultum.*

407 *Lares* h. e. domus ac *ſedes Poteſtatis* atque Imperii Romani Roma eſt, a qua abeſſe & velut *exſulare* non debet.

409 *Palatium* Romanum nomen proprium eſt, a quo Palatinus mons dictus, a quo poſtea domus omnes Auguſtorum Palatia dicta ſunt.

411 Sol nunquam egreditur *iter* ſuum, eam, quæ vocatur eclipticam. Hæc ſplendidior fuerit comparatio, ſi ſumatur Philolaica illa hypotheſis de ſole in medio Planetarum quieſcente, a qua non alienum fuiſſe noſtrum, ad 1, 1 monuimus.

Hic illi manſere viri, quos mutua virtus
Legit, & in nomen Romanis rebus adoptans
Judicio pulcram ſeriem, non ſanguine, duxit.
Hic proles atavum deducens Aelia Nervam,
Tranquillique Pii, bellatoreſque Severi.
Hoc civis dignare forum, conſpectaque dudum
Ora refer, pompam recolens ut mente priorem,
Quem tenero patris comitem ſuſceperat aevo,
Nunc duce cum ſocero juvenem te Tibris adoret.„
Orantem medio Princeps ſermone reſovit:
„Numquam aliquid fruſtra per me voluiſſe dolebis,

 O Dea,

422 hic *al.* hunc - chorum *MSS.* 423 ſub mente *vulg.* vt *ex MSS. Heinſ.* priorum *MSS.*

417 *Manſere* i. habitarunt: quæ deinde ratio in vulgarem conſuetudinem loquendi abiit. Ceterum loquitur non de antiqua conſuetudine militiæ, qua *vir virum legere* jubebatur, ad cujus latus pugnare vellet; neque de lectione per ſuffragia ad honores gerendos; ſed de more adoptandi ſibi ſucceſſorem imperii, non illo antiquo Cæſarum, *e ſinu uxoris, intra domum*, ſed exemplo Nervæ, qui eſſet optimus, de qua ratione pulchre diſputat Plin. Pan. 7. *Mutua virtus* etiam hic locum habet; neque enim legi ſe paſſus eſſet ſucceſſorem Trajanus a Domitiano: certe de Plinii & Claudiani ſententia. *Rebus Romanis adoptare* eſt legere ſucceſſorem, qui rebus Ro. h. e. imperio præſit; *in nomen*, qui tanquam filius nomen adoptivi patris gerat. Eadem formula utitur Plin. Pan. 88.

420 Hic Romæ habitauit *proles Aelia*, nomen Hadriani, ab Antonino Pio, quem is adoptavit, transmiſſum ad ſucceſſores. Antonini Pii autem *proavus* (abavus M. Aurelii, Commodi *atavus*) fuit *Nerva*, cujus nomen ad Trajanum filium, Hadrianum nepotem, Antoninum pronepotem &c. derivatum, antiquæ inſcriptiones teſtantur. Idem de *Antoninorum Piorum*, & *Severorum* nominibus, verum eſſe, qui titulos Imperatorum luſtrabit, comperiet. Quod autem hic *proles deducere* dicitur *atavum*, videtur Hypallage eſſe. Hoc, puto, indicatur, ſi incipias ab *adnepote* deveniri tandem ad *atavum.* Sed cur non ſcribimus *adavum*, ut §. 5 Inſtit. de Gradib. Cognat.

421 *Tranquillus* jam aliquanto ante in Auguſtorum titulis fuit. Quin abſtracto inde *Tranquillitatis* nomine ipſum Imperatorem Auguſtum appellarunt Vegetius R. Mil. 2 prol. atque Eutropius præf. ad Valentem. Videtur ergo noſter *Tranquillum* hic poſuiſſe ut Synonymum *Auguſti.* Nerva hoc cognomine deſignatus a Pacato Pan. 11, 6.

422 *Hunc* Auguſtorum *chorum*, qui Romæ habitarunt *dignare* tu, qui *civis* illorum & Romæ es, imitatione & ſocietate.

423 Memoriam tribuit Tiberi, qua recordetur prioris pompæ, qua puerum Honorium cum patre olim invectum *ſuſceperat*; & reverentiam, qua *adoret* nunc juvenem cum ſocero Stilichone.

O Dea, nec legum fas eſt occurrere matri.
Sed nec poſt Libyam (falſis ne perge querelis
Incuſare tuos) patriæ mandata vocantis
Sprevimus. advectæ miſſo Stilichone curules,
Ut noſtras tibi, Roma, vices pro principe conſul
Impleret, generoque ſocer. Vidiſtis in illo
Me quoque. Sic credit pietas; non ſanguine ſolo,
Sed claris potius ſactis, experta parentem.
Cuncta quidem centum nequeam perſtringere linguis,
Quæ pro me mundoque gerit: ſed ab omnibus unum,
Si fama necdum patuit, te, Roma, docebo,
Subjectum noſtris oculis, & cujus agendi
Spectator vel cauſſa fui. Populator Achivæ
Biſtoniæque plagæ, crebris ſucceſſibus amens,
Et ruptas animis ſpirans immanibus Alpes,
Jam Ligurum trepidis admoverat agmina muris,
Tutior auxilio brumæ, (quo agentibus illis
Sidere conſueti favet inclementia cæli)
Meque minabatur calcato obſidere vallo.

Spem

428 obſtare parenti *MS.* 431 ſecures *MSS.* 440 fuit *vulg.*
443 ripis *pro* muris *Cuj.* 445 frigore *vulg.*

428 *Occurrere* eſt etiam adverſari, ut in illo Cic. Off. 2 c. 2 *Occurritur nobis a doctis. Legum mater* pulchre dicitur Roma, cum etiam ſub Imperatoribus valerent leges in urbe latæ & rogatæ in comitiis.

429 *Poſt Libyam* Gildone victo receptam, negat Honorius ſpreta a ſe *mandata* Romæ, *patriæ*, ipſum vocantis: miſſum enim cum ſella curuli Stilichonem, qui vice Honorii conſulatum gereret.

434 *Sic credit pietas* mea: ſic credo ego Honorius &c.

437 *Ab omnibus unum*, h. e. *de* vel *ex* omnibus, ut ab arbore poma decerpuntur

440 Incipit narrare eventus belli Getici contra Alaricum, de quibus agit carmen 26. Argutum eſt illud *ſpectator vel cauſa* fui.

441 *Biſtonium* pro Thracico ſæpe noſter ponit, exemplo optimorum.

443 Etiam hic *Ligurum* nomen late patet, vt ſupra v. 363.

445 *Sidus* hic tempeſtatem notat & aëris conſtitutionem, a comparatione Solis ad terram noſtram & ſidera alia pendentem, quam deinde ſideribus tribuere, orta a Metonymia doctiorum errore, ſolent etiam aſtrologi. Getæ, frigidæ regionis ad Iſtrum incolæ, brumam in Italia facile tolerant. Cf. 4, 30.

Spem vano terrore fovens, ſi forte, remotis
Præſidiis, urgente metu, qua vellet, obirem
Conditione fidem. Nec me timor impulit ullus,
Et duce venturo fretum, memoremque tuorum,
Roma, ducum, quibus haud umquam vel morte parata
Fœdus lucis amor pepigit diſpendia famæ.
Nox erat, & late ſtellarum more videbam
Barbaricos ardere focos: jam claſſica primos
Excierant vigiles, gelida cum pulcer ab Arcto
Adventat Stilicho. Medius ſed clauſerat hoſtis
Inter me ſocerumque viam, pontemque tenebat,
Addua quo ſciſſas ſpumoſior incitat undas.
Quid faceret? differret iter? diſcrimina nullas
Noſtra dabant adeunda moras. Perrumperet agmen?
Sed paucis comitatus erat. nam plurima retro,
Dum nobis properat ſuccurrere, liquerat arma
Extera, vel noſtras acies. Hoc ille locatus
Ancipiti, longum ſocias tardumque putavit
Exſpectaſſe manus, & noſtra pericula tendit

Poſtha-

447 ni forte *MSS.* 450 hoc duce *Raphel. ex conj.* 453 mox & per latum *Vic.* m. e. p. Latium *Vien. & rell. ante Heinſ.* 455 exierant, exuerant *Vien. Sed* excierant *jam Vic.* 457 & ſocerum pontemque viamque *ante Barth.* 463 hic ille locatus *Cuj. & Claver.* hoc ille locatus *Barth. & Heinſ.* hæc ille locutus *al.*

448 *Obire fidem*, ut vadimonium obire. Sperabat Alaricus, quacunque conditione ſe jam exprimere pacem ab Honorio poſſe.

451 Immemor eſt noſter Caudinæ pactionis, & fœderis Numantini. Nempe hæc ad rem ipſius non pertinebant. Debebat profecto modeſtius hic loqui etiam Poëta. *Fœdus lucis amor*, qui metu mortis turpia paciſcitur.

454 *Claſſica* ſunt omnia ſigna tubis data exercitui, ut hic vigiliarum. Sic claſſico ad concionem vocantur milites &c. Videtur autem hic ſignare vigiliam primam diei.

455 Conſideranti *Adduam* & ſitum ad dextram illius ripam Mediolanum, ubi erat Honorius, apparet, a ſeptentrionali plaga (hoc ſatis eſt poëtæ ut vocet *gelidas Arctos*) venire debuiſſe Stilichonem.

458 A ſublicis ligneis, vel lapideis pilis, quibus pons impoſitus eſt, impeditæ & coarctatæ aquæ tanto magis incitantur, & agunt ſpumas.

460 *Adeunda* erant Honorio *diſcrimina*, ſi cunctatus eſſet Stilicho.

Poſthabitis pulſare ſuis, mediumque per hoſtem
Flammatus virtute pia, propriæque ſalutis
Immemor, & ſtricto proſternens obvia ferro,
Barbaro fulmineo ſecuit tentoria curſu.
Nunc mihi Tydiden attollant carmina vatum,
Quod juncto fidens Ithaco patefacta Dolonis
Indicio, dapibuſque ſimul, religataque ſomno
Thracia ſopiti penetraverit agmina Rheſi,
Grajaque rettulerit captos ad caſtra jugales.
Quorum, ſi qua fides augentibus omnia Muſis,
Impetus exceſſit Zephyros, candorque pruinas.
Ecce virum, taciti qui nulla fraude ſoporis
Enſe palam ſibi pandit iter, remeatque cruentus,
Et Diomedeis tantum præclarior auſis,
Quantum lux tenebris, manifeſtaque prælia furtis.
Adde quod & ripis ſteterat munitior hoſtis,
Et cui nec vigilem fas eſt componere Rheſum,
Thrax erat: hic Thracum domitor. Non tela retardant,
Objice non hæſit fluvii. Sic ille minacem
Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens
Trajecit

468 præſternens *Raphel. ex conj.* 470 nunc tibi *MSS.* 479 tanto-Quanto *legi vult Heinſ. ſine libro.* 482 non vigil. *vulg.* fas ſit *conj. Heinſ.* 483 Thrax ille, hic Thracum *vel* Thrax erat hic, Thracum hic *conj. Heinſ.* 485 manu *Raphel.* Tyrrhenum-manu *conj. Barth.*

467 *Virtus pii* eſt fortitudo, quam ſtimulat incitatque *pietas* ſoceri in generum, magni civis in principem.

470 Iliadis decimæ argumentum, Diomedes Tydei F. & Ulyſſes explorant caſtra Trojanorum, ex intercepto Dolone diſcunt de Rheſi Thraciæ regis adventu & equis, quos interfecto domino in caſtra Græca perducunt.

472 *Religata*, devincta hinc ſaturitate, hinc *ſomno*, Rheſi agmina penetrare ob id ipſum non fuit difficile.

476 Homerus v. 437 Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

481 *Ripis* Adduæ *munitior* ſtetit Alaricus, quam Rheſus ille.

484 *Sic ille* Cocles Horatius repellens ante pontem jamjam lapſurum, manum Tuſcorum eo clipeo, quo adhuc urbem texerat &c. Sed nec improbaverim Barthii *minacem Tyrrhenum*, quem *manu* repulerit Horatius.

Trajecit clipeo Tibrin, quo texerat Urbem
Tarquinio mirante Cocles, mediisque ſuperbus
Porſennam reſpexit aquis. Celer Addua noſtro
Sulcatus ſocero. Sed cum tranaret, Etruſcis
Ille dabat tergum, Geticis hic pectora, bellis.
Exſere nunc doctos tantæ certamina laudis
Roma choros, & quanta tuis facundia pollet
Ingeniis, noſtrum digno ſonet ore parentem.„
Dixit, & antiquæ muros egreſſa Ravennæ
Signa movet; jamque ora Padi, portuſque relinquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus
Aeſtuat, & pronas puppes nunc amne ſecundo,
Nunc redeunte, vehit: nudataque litora fluctu
Deſerit, Oceani lunaribus æmula damnis.
Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetuſto,
Deſpiciturque vagus prærupta valle Metaurus,

Qua

489 ſulcatus *vulg.* 490 *pro* bellis, telis *Raphel. ſine libro.* 491 certamine *vulg.* certamina ex *MSS. Heinſ.* 497 ore ſecundo *MS.* recuſo, retuſo, refuſo, retruſo *MSS.* 501 deſeriturque *Cuj.*

488 Dabat quidem Cocles tergum Etruſcis h. e. Etruriæ civibus. Nemo negat. Sed rotundare voluit carmen poëta, & nomen *bellis* referre ad *Etruſcis* pariter & *Geticis.*

491 Hortatur Romanos, ut producere velint, hoc enim eſt *exſerere choros doctos, tantæ laudis certamina*, qui poſſint carminibus ſuis comparare veteres Græcorum Romanorumque heroas & Stilichonis facinora. *Choros, certamina* per appoſitionem, pro choris certantibus: ut 15, 137 *Crinales dentes Effractum ebur.*

495 Aeſtuaria indicat, vel oſtia potius Padi, quæ nunc intrat, nunc relinquit mare Adriaticum, ob quam rem ſeptem maria dicta ſunt. *Nereus* maris genius, pater Nereidum. Ceterum deſcribit Ravennæ illum ſitum, & mutata ibi manu oſtia Padi, Procop. de B. Goth. 1 p. 390. Jornandes Getic. c. 29.

496 *Lunaria damna* vocat ordinarium illum in Oceani litoribus fluxum refluxumque maris, reſpondentem illis Lunæ mutationibus, quas vulgo etiam vocamus Phaſes, de quibus Hor. Car. 4, 7. 13 *Damna tamen celeres reparant cæleſtia Lunæ.* Hic etiam, in ſinu maris mediterranei, in Padi oſtiis, ſi non iidem, ſimiles tamen motus obſervantur.

500 Pergit poëta iter Honorii deſcribere ad mare ſuperum. *Fanum Fortunæ* ad *Metauri* exitum eſt in Umbria.

501 *Metaurus* nobilitatus clade Aſdrubalis, de qua Liv. 27, 43 ſq.

Qua mons arte patens vivo ſe perforat arcu,
Admittitque viam ſectæ per viſcera rupis,
Exſuperans delubra Jovis, ſaxoque minantes
Apenninigenis cultas paſtoribus aras.
Quin & Clitummi ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit. nec te miracula fontis
Prætereunt: tacito paſſu quem ſi quis adiret,
Lentus erat: ſi voce gradum majore citaſſet,
Commotis fervebat aquis. cumque omnibus una

Sit

503 admiſitque *omnes præter Heinſ. priorem ex MSS. quam ſequimur.* 504 minaces *MSS.* micantes *MS.* 508 *pro* fuit, trahunt *MS. unde* trahit *conj. Heinſ.* 511 commiſtis *vel* commixtis *omnes.* commotis *MSS.* admiſſis *conj. Heinſ.*

502 Jam flexo' ad dextram & Apenninum itinere ducit poëta Honorium ad locum notabilem, & explicatione dignum, nempe perfoſſum Veſpaſiani imperio montem, Apennini partem. Aurel. Victor de Cæſ. 10 & plenius Epit. 19 *Cavati montes per Flaminiam ſunt prono transgreſſu, quæ vulgariter* Pertuſa petra *vocatur.* Repetiit inde Paullus Diac. hiſt. miſc. 9, 6. Vid. & Procop. Goth. 2, 11 p. 213, B. Fuiſſe videtur eo circiter loco, ubi Strabone prodente erant ὑπερβολαὶ τοῦ ὄρους, L. 5 p. 157, 47. In Tabula Peutingeriana *ad intercisa*, & in Itinerario Hieroſolymit. p. 614 Weſſel. *Mutatio intercisa* dicitur. Huc refert Anto. Morillonius apud Grut. p. 149, 7 veterem titulum, in via Flaminia, ad locum *Furlo* (Foruli) repertum, & deſcribit ipſe operis veſtigia. Alia autem eſt *Pertuſa* in Antonini Itiner. p. 45. Ceterum via Flaminia hic ingreditur Honorius, quæ a Flumentana porta Ariminum usque recto itinere extendebatur.

504 *Delubra Jovis.* Fuiſſe in vertice Apennini in hac via templum Jovis, hinc diſcimus, pulchreque adhibuit h. l. Cluverius 2, 7 p. 604 ad declarandum quod eſt in Tabula Peutingeriana *Jovis penninus idem Agubio. Jupiter Apenninus & Iguvium* doctiori ætate dicebantur.

506 *Clitumni* fontis & fluvii naturam deſcribit Plin. Epiſt. 8, 8 ubi quædam illuſtrandi cauſa ante hos xx annos adſcripſi. Sed omnia collegit Cluver. 2, 10 p. 701 ſq. Neque tamen ille, neque quisquam ad h. l. docent, quodnam miraculum hic narret poeta. Dicam, quid nos intelligere voluerit. Utrum verum narraverit, haud dixerim. Si quis ad Clitumni ripas iret placide & tacitis paſſibus, lentus & ipſe ibat: ſed ſi accelerarct gradum viator, & cum ſonitu quodam & ſtrepitu procurreret, fluvius velut imitaturus aut æmulaturus adeo ambulantem, & cum illo certaturus, *commotis* & concitatis *aquis* ſuis *fervebat*, (quo verbo& celeritatem auctam & ſonum indicat) ut adeo non *umbram* modo ſ. imaginem corporum, ut alii flumina, referret, ſed nova ſorte gloriari poſſet & natura ſibi propria, imitandi etiam actiones & *mores* (qui ſunt in actionibus) hominum.

Sit natura vadis, ſimiles ut corporis umbras
Oſtendant: hæc ſola novam jactantia ſortem
Humanos properant imitari flumina mores.
Celſa dehinc patulum proſpectans Narnia campum
Regali calcatur equo, rarique coloris
Non procul amnis abeſt, urbi qui nominis auctor,
Ilice ſub denſa ſilvis arctatus opacis,
Inter utrumque jugum tortis anfractibus albet.
Inde, ſalutato libatis Tibride lymphis,
Excipiunt arcus, operoſaque ſemita vaſtis
Molibus, & quidquid tantæ præmittitur urbi.
Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore tori mater ſollertior ornat
Adveniente proco, veſteſque & cingula comit
Sæpe manu, viridique anguſtat jaſpide pectus,
Subſtringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis placitura tuis, inſignior auctis
Collibus,

512 undas *MS.* 518 arctatur *vulg.* arcatur *MS. unde* arcatus *i. arcuatus conj. Heinſ.* 520 Nymphis *MSS.*

516 *Sulfurea Nar albus aqua* dicitur Virgilio Aen. 7, 517. Nempe ad odorem pertinet Sulfur, ut apud noſtrum 1, 256 *Nar vitiatus odoro Sulfure*, ne quis cum Barthio ad colorem flaveſcentem referat. Statim noſtro v. 519 *albet* hic fluvius, qui Tiberi infunditur.

520 *Salutatur* & adoratur, verbo proprie ſumto, fluvius, ſi *lymphæ* illius ſ. aquæ libentur, guſtentur, quod feciſſe homines ad primum acceſſum, velut auſpicandi cauſa, videntur.

521 *Arcus & moles* intelligamus admirabilem pontem, quo Auguſtus duos montes, inter quos Nar labitur, junxit, ſpectaculum Procopii ætate adhuc viſendum, cujus reliquias laudat Cluverius p. 636.

522 *Præmittuntur* urbi aquæductus, viarum monimenta, villæ.

523 *Officia trepidant*, cum familiares officioſi ſtudioſe ſe movent & ſatagunt. Nihil opus eſt, ut metum & trepidationem anguſte ita dictam cogites.

526 *Viridem jaſpidem*, & *ſmaragdo ſimilem*, habemus etiam apud Plin. 37, 8 ſ. 37. *Anguſtare pectus* eſt conſtringere fibula gemmis ornata. Ter. Eun. 2, 3. 23 *Matres ſtudent* ut *graciles* ſint virgines - *reddunt curatura junceas*.

529 *Colles* Romæ non ita *auctos* dicit, uti plures ſint, ſed eo quod ædificiis quibusdam cultiores. *Septem montes* ipſe poeta mox memorat.

Collibus, & nota major ſe Roma videndam
Obtulit. Addebant pulcrum nova mœnia vultum,
Audito perfecta recens rumore Getarum.
Profecitque opifex decori timor, &, vice mira,
Quam pax intulerat, bello diſcuſſa ſenectus;
Erexit ſubitas turres, cinctoſque coëgit
Septem continuo montes juveneſcere muro.
Ipſe favens votis, ſolitoque decentior aër,
Quamvis aſſiduo noctem fœdaverit imbri,
Principis & Solis radiis deterſa removit
Nubila. namque ideo pluviis turbaverat omnes
Ante dies, lunamque rudem madefecerat Auſter,
Ut tibi ſervatum ſcirent convexa ſerenum.

Omne,

537 ſerenior *conj. Heinſ.* 538 fœdaverit imbri *MSS.* 540 omnem Ante diem *MSS.*

531 Proximo ante Conſulatum VI Honorii atque adventum in urbem anno, metu Alarici, reditum & vindictam minantis ſpirantisque, mœnia Romana eſſe inſtaurata, loquitur etiam vetus lapis apud Grut. p. 165, 1 S. P. Q. R. IMPP CAESS. DD. NN. INVICTISSIMIS. PRINCIPIBUS. ARCADIO ET. HONORIO. VICTORIBUS AC. TRIUMFATORIBUS. SEMPER. AUGG. OB. INSTAURATOS. URBI. AETERNAE. MUROS. PORTAS. AC. TURRES EGESTIS. IMMENSIS. RUDERIBUS. EX. SUGGESTIONE. V. C ET. INLUSTRIS. MILITIS. ET MAGISTRI. UTRIUSQUE. MILITIAE. *Stilichonis* AD. PERPETUITATEM NOMINIS. EORUM SIMULACRA. CONSTITUIT. CURANTE. *Fl. Macrobio Longiniano V. C. Præf. urbis* D. N. M. Q. EORUM. Ut igitur hic diſcimus *Divino Numini Majeſtatique* Arcadii & Honorii *Senatus Populusque Romanus*, ſimulacra conſtituit, h. e. ſtatuas poſuit. Verba, *ex ſuggeſtione -- Stilichonis* forte ſtudioſe ita collocata ſunt, ut & ad ea quæ præcedunt referri queant ſuperbius, & modeſtius ad ea quæ ſequuntur. Denique nomina quæ typis diſtinguenda curavi, eraſa fuerunt in lapide, (ſic tamen, ut legi adhuc poſſent) poſt caſum nempe & ſupplicium Stilichonis. Illa *egeſta immenſa rudera* monere nos poſſunt, quot vel tum monimenta perierint &c.

539 Vide, quam ſuavi adulatione jungantur *Princeps & Sol.* Horat. Car. 4, 5. 6 *Inſtar veris enim vultus ubi tuus Affulſit, populo gratior it dies, Et ſoles melius nitent.*

541 *Luna rudis* nova eſt, quo tempore pluvium cælum tanto noctes facit obſcuriores. *Convexa* pro cælo ponere ſolemne noſtro.

Omne, Palatino quod pons a colle recedit
Mulvius, & quantum licuit conſurgere tectis,
Una replet turbæ facies: undare videres
Ima viris, altas effulgere matribus ædes.
Exſultant juvenes æquævi Principis annis:
Temnunt priſca ſenes, & in hunc ſibi proſpera fati
Gratantur duraſſe diem. moderataque laudant
Tempora, quod clemens aditu, quod pectore, ſolus
Romanos vetuit currum præcedere Patres:
Cum tamen Eucherius, cui regius undique ſanguis,
Atque Auguſta ſoror, fratri præberet ovanti
Militis obſequium: ſic illum dura parentis

Inſtituit

543 qua pons *al.* 544 Miluius *al.* in quantum *MS.* 548 temprant *Vien. marg.* fata *vulg.* 550 quo tempore *vulg.* quod pectore *etiam Plant. marg. it. Cuj.* quo pectore *MS.*
554 officium *ante Heinſ.*

543 *Omne* ſpatium, per *quod pons Mulvius*, qui mille paſſibus extra Romam eſt in via Flaminia jungens Tiberim, recedit a colle Palatino, ubi eſt Palatium, & quantum in toto illo ſpatio capere tecta poſſunt, turba hominum conferta plenum eſt. Solum viri occupant, tecta & feneſtras feminæ.

548 *Temnunt priſca ſenes* non ſine magna cauſa, cum ſoleat quisque ſenior eſſe *Laudator temporis acti ſe puero*, *cenſor* idem *caſtigatorque minorum.*

550 *Clemens aditu*, qui facilem omnibus aditum vultu & geſtu corporis daret, *clemens pectore*, qui non præ ſe ferret modo illam clementiam, ſed animo etiam vere propitio in cives eſſet.

551 Non admiſit honorem, quem in pompa tali Senatus habere Imperatori ſolebat. Comitabantur alias triumphantis currum (cui cerimoniæ talis conſulis ingreſſus eſt ſimilis; quin *triumphantem* Honorium dicit v. 580;) propinqui Imperatoris, vel in ipſum currum aſſumti, vel in equis curru junctis, vel in ſeparatis adeo. Vid. Viri docti ad Sueto. Tib. 7. Hic Eucherius, Stilichonis filius, & uxor Stilichonis, Serena, adoptiva ſoror Honorii, illud præbent Honorio ſuo comitatu obſequium, quod alias milites Imperatorem ſuum comitantes.

554 Etiam hinc laudandi Stilichonis materiam poëta arripit, cujus, in ſe & ſuos nimis parci, *dura pietas* ita Eucherium ſuum *inſtituerit*, ut tantum illi negarit, quantum honori ſenatus adſtruxerit. Ejusdem moderationis eſſe indicat remittere Senatui comitatum pedeſtrem Imperatoris, & eundem ſuo filio, conjugique ſuæ injungere. Si verum eſt, quod accuſatur Stilicho, voluiſſe imperium parare filio ſuo, egregium hic ſimulatæ modeſtiæ ſpecimen dederit. Ipſe tamen hoc eodem in triumpho *curru vectus eodem* 579.

Inſtituit pietas in ſe vel pignora parci;
Quique neget nato, procerum quod præſtet honori.
  Hæc ſibi cura ſenum, maturaque comprobat ætas:
Idque inter veteris ſpeciem præſentis & aulæ
Judicat, hunc civem, dominos veniſſe priores.
  Conſpicuas tum flore genas, diademate crinem,
Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros, & certatura Lyæo
Inter Erythræas ſurgentia colla ſmaragdos
Mirari ſine fine nurus: ignaraque virgo,
Cui ſimplex calet ore pudor, per ſingula cernens
Nutricem conſultat anum, Quid fixa draconum
Ora velint? ventis fluitent, an vera minentur
Sibila ſuſpenſum rapturi faucibus hoſtem?
Ut chalybem indutos equites, & in ære latentes

Vidit

557 hoc *al.* hic *MS.* 560 cum flore *al.* 563 Erythræos *al.* [*Femininam terminationem probat Heinſ.* 565 ille pudor *it.* rubor *MS.* 569 calibe *vel* chalybe *ante Heinſ.* chalybem dutos *MS.*

557 *Hæc* ita a Stilichone inſtituta apud ſe & intra animum ſuum *comprobant* ſenes, ſuperiorum temporum memores, & judicant hoc *intereſſe inter* aulam veterem & hanc. Ellipſis durior primum intuenti: ſed quæ mollietur, vel nulla erit potius, ſi ſeniorem unumquemque cogitatione noſtra arbitrum conſtituamus, qui *judicet inter ſpeciem* utriusque *aulæ*: quid igitur hic judicabit? hoc, Honorium veniſſe ut civem, ſuperiores ut dominos. Cicero de divin. 1 c. 50 ex poëta, *Iudicavit inclytum judicium inter Deas tres aliquis*, de Paride.

560 *Flos genarum* non rubor modo, ſed prima illa lanugo, qua ſibi & aliis placebant juvenes. *Diadema* Honorii i. vitta alligata capiti duobus margaritarum ordinibus diſtincta, tæniis a cervice fluentibus & in bacas majores deſinentibus, in nummis illius videri poteſt apud Cangium.

563 *Erythræum* vocari meminerimus, quidquid ab oriente venit, quousque patet Erythræum ſ. rubrum mare, quo nomine omnis Oceanus ab Africa inde ad Seras comprehenditur V. 8, 606. it. 29, 4.

566 *Draconum* iſta imago valde placet noſtro. Vid. ad 5, 177.

569 Cataphractos, quaſi tu dicas obſeptos, munitos tectosque undique ferro homines pariter & equos, graphice jam deſcripſit noſter 5, 356 qui locus ex hoc noſtro lucem accipit. Ceterum galeati, thoracati, ocreati aere jam Homerici heroës. De equis ſerius ad Græcos Romanosque veniſſe videtur a barbaris, nominatim a Parthis. Vid Brouckh. ad Prop. 3, 10. 12. Phrygio Chloreo tribuit Virg. Aen. 11, 770 *equum, quem pellis aënis In plumam ſquamis auro conſerta*

Vidit cornipedes; „*Quanam de gente* rogabat
Ferrati venere viri? Quæ terra metallo
Naſcentes informat equos? Num Lemnius auctor
Addidit hinnitum ferro, ſimulacraque bellis
Viva dedit?„ Gaudet metuens, & pollice monſtrat,
Quod picturatas galeæ Junonia criſtas
Ornet avis, vel quod rigidos vibrata per armos
Rubra ſubaurato criſpentur ſerica dorſo.
  Tum tibi magnorum mercem Fortuna laborum
Perſolvit, Stilicho; curru cum vectus eodem
Urbe triumphantem generum florente juventa
Conſpiceres, illumque diem ſub corde referres,
Quo tibi confuſa dubiis formidine rebus
Infantem genitor moriens commiſit alendum.
Virtutes variæ fructus ſenſere receptos:
Depoſitum ſervaſſe, Fides: Conſtantia, parvum

H h 2 Præ-

573 indidit *Heinſ.* 2 *ex uno MS.* 577 ſubaerato *al.*

ſerta tegebat. Hic Servius Salluſtio quoque teſte utitur. Viros ad formam nudi corporis cataphractos in equis ſimili ratione indutis repræſentat columna Trajani fig. 27 n. 16 ed Morell. ubi Sarmatas interpretatur Gorius.

572 *Lemnius* Vulcanus eſt, qui decidit in Lemnum a Jove detruſus Ιλ. α, 593 & ibi ferrarias inſtituit.

573 *Addere* Varroni, Columellæ, Plinio, eſſe idem quod *indere*, in Lexico ruſtico pariter atque in Theſauris, a me oſtenſum eſt.

574 *Pollice monſtrare* videtur ipſum quoque furtivæ ob metum ſignificationis vim habere. Quinctil. 11, 3. 104 *Averſo pollice demonſtrare aliquid, receptum magis puto, quam oratori decorum.* Nempe non decet oratorem vel meticuloſa ſignificatio, vel furtiva malignitas.

577 Hunc verſum declaravi ad 5, 356.

578 *Mercem* pro mercede dicit. Præmium quodcunque poteſt cogitari ut merx, quæ emitur labore, periculis &c.

580 *Urbe triumphantem*, h. e. in urbe, rariuſculum, ſed non alienum ab uſu & noſtri ut mox v. 614 *convexum gradibus vulgus*, & aliorum. V. G. *Domitianus natus eſt — regione urbis ſexta* Suet. c. 1. Vid. Voſſ. de conſtr. c. 46.

584 *Virtutes variæ* Stilichonis, dum ſua is repetit acta ſuperiora, *ſenſere fructus receptos*, i. ipſe Stilicho ſenſit fructum ſe percipere jam, adulto & florente Honorio, virtutum, quibus in illo educando uſus fuerat. Conſcientia ſua nunc fruentem Stilichonem inducit eaque deinde loquentem, quæ typis diſtingui juſſi, ut a poëtæ narratione reliqua diſcernantur.

Præfeciſſe orbi: Pietas, foviſſe propinquum.
„*Hic eſt ille puer, qui nunc ad Roſtra Quirites*
Evocat: & ſolio fultus genitoris eburno
Geſtarum Patribus cauſſas ex ordine rerum,
Eventuſque refert: veterumque exempla ſecutus
Digerit imperii ſub judice fata Senatu.„
Nil cumulat, verbiſque nihil fiducia celat.
Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit. Agnoſcunt proceres, habituque Gabino
Principis, & ducibus circumſtipata togatis
Jure paludatæ jam curia militat aulæ.
Adfuit ipſa ſuis ales Victoria templis
Romanæ tutela togæ: quæ divite pompa

Patricii

591 dirigit *MSS.* 597 talis Vict. *vulg. Sed* ales *jam Baſ. marg. & al.* 598 divite penna *ante Heinſ.* parma *MS.* pinna *Plant. marg.* pompa *ex MSS. Heinſ.*

588 Poſt *evocat* inſiſtendum paullulum eſt, ne quis eandem actionem putet, qua Quirites evocantur ad roſtra, & qua refert Conſul ad Senatum. Illic ſuſcipiebat, ut alii boni principes, magiſtratum. vid. Plin. Pan. 65, 3. Hic, in Senatu, ſedens curuli ſella patris ſui, agebat cum Patribus. Illud *fultus* antiquum eſt. Serv. ad Virg. Ecl. 6, 53 *Ille latus niveum molli fultus hyacintho, Apud veteres unusquisque eo, ſuper quod jacebat* (addendum erat, vel ſedebat) fultus *dicebatur.* Addit ex Lucilii tertio, *Et pulvino fultus.* Sic noſter 10, 152. 24. 199.

591 *Digerit fata*, ſplendide, quaſi de Deo ſermo eſſet.

592 *Nil cumulat*, i. exaggerat, ſupra modum dicendo auget: *nihil celat*, tacet, ſubducit. Utrumque *fiducia* eſt, quæ neque adſciſcit auxilium a jactabundo mendacio, neque habet, quod ſilentio diſſimulet.

594 *Habitus Gabinus* noſtro Conſularis prætexta eſt. Vid. 7, 3. Eſt hic feſtiva velut permutatio: Princeps & duces, paludati alias, qui militum habitus eſt, in Senatu jam ſunt togati: jure ergo viciſſim curia alias quieta, aulæ paludatæ militat.

597 *Ales Victoria*, ut *Fama* 22, 408: & oſtendunt ſexcenta monumenta. Hujus templum in monte Palatino bonis auctoribus, ut Liv. 29, 14, collocant antiquarii. Hæc in pompis omnibus, in curribus triumphantium, in ſignis militaribus. In primis vero in Capitolio, ubi ſine dubio Senatum modo habuit Honorius. Poſt cladem Romanorum ad Traſimenum lacum, auctore Livio 22, 37, Hiero Syracuſanus rex mittit Romanis inter alia munera Victoriam auream pondo cccxx. Eam illi, omenque accipiunt, ſedemque Divæ dant, dicant *Capitolium, templum Jovis O. M. in ea arce urbis Roma-*

na

Patricii reverenda fovet ſacraria cœtus,
Caſtrorumque eadem comes indefeſſa tuorum,
Nunc tandem fruitur junctis, atque omne futurum
Te Romæ ſeſeque tibi promittit in ævum.
Hinc te jam patriis Laribus via nomine vero
Sacra refert. Flagrat ſtudiis concordia vulgi,
Quam non illecebris diſperſi colligis auri;
Nec tibi venales captant æraria plauſus
Corruptura fidem. Meritis offertur inemtus
Pura mente favor. nam munere carior omni
Obſtringit ſua quemque ſalus. Procul ambitus erret.
Non quærat pretium, vitam qui debet amori.
O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperii præſens genius, quantamque rependit
Majeſtas alterna vicem, cum regia Circi

601 *pro* votis, junctis *MSS.* 609 adſtringit *vulg.* errat - quaerit *ante Heinſ.* 610 *pro* debet, dedit *MS.* 611 muneris *Heinſ. ſolus.* nominis *MSS.* 612 ſpecies *ante Heinſ.* Genius *MSS.* & *ex illis Gron. ad Stat.* c. 31.

næ ſacratam volentem propitiamque, firmam ac ſtabilem fore populo Ro. ſperantes. Hæc ſatis, puto, declarant, quam *pompam*, quæ *ſacraria cœtus patricii* hic poëta nominet.

603 Per *viam ſacram* flexu dextro itur in Palatinam Cæſarum domum: hi ſunt *Lares* Imperatorum *patrii.*

605 Non ſparſit igitur nummos, aut pretioſa miſſilia Honorius, quæ non minus laudaturus fuerat noſter, exemplo Papinii Silv. 1, 6, quam nunc gratuitam fidem populi ſplendide prædicat.

609 *Sua ſalus*, quam a ſalute boni Imperatoris pendere exiſtimat, invitat quemque, & cogit adeo. Ne quærat pretium aliud ſui in Principem ſtudii, qui amori in ſe Principis debet vitam.

611 *Numen* hic ponitur pro inſtinctu vehementiore, qui ſit inſtar divini impulſus & ἐνθουσιασμοῦ, quem præſentia Imperatoris exciter. Virg. Aen. 9, 183 *Niſus ait DIne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, an ſua cuique deus ſit dira cupido?* Quod *Genium Imperii* vocat Honorium, delicata atque ingenioſa adulatio eſt.

613 *Majeſtas* antiqua ratione eſt populi: quam cum ſibi arrogarent ſolis Imperatores, bonis tamen ſub principibus licuit formulas illas veteres revocare. Hic poëta duplicem ponit majeſtatem mutuo honore certantem, alteram Honorii quod *regia purpura*, Imperator purpuratus, *veneratur* adorat, jaciendis oſculis, (ut Otho apud Tac. Hiſt. 1, 36) *vulgus in gradibus circi convexum*, v. ad 24,

Convexum gradibus veneratur purpura vulgus,
Aſſenſuque cavæ ſublatus in æthera vallis
Plebis adoratæ reboat fragor, unaque totis
Intonat Auguſtum ſeptenis arcibus Echo.
Nec ſolis hic curſus equis: aſſueta quadrigis
Cingunt arva trabes, ſubitæque adſpectus arenæ
Diffundit Libycos aliena valle cruores.
Hæc & belligeros exercuit area luſus.
Armatos hic ſæpe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſoſque recurſus,
Et pulcras errorum acies, jucundaque Martis
Cernimus: inſonuit cum verbere ſigna magiſter,
Mutatoſque edunt pariter tot pectora motus,
In latus alliſis clipeis, aut rurſus in altum
Vibratis.

614 connexum *vel* connixum *ante Heinſ.* 615 conſenſuque *ante Heinſ.* conſeſſu *MS.* 617 vocibus, collibus, montibus, partibus *MSS.* collibus & arcubus *Cuj.* 618 advecta *MS.* attrita *MS.* 619 tingunt *MSS. quod placet Heinſio.* cingunt rava tigres *conj. Scal. quod ſe non intelligere fatetur Heinſ.* cingunt arma *MS. & Janſſo.* 1628. *pro* trabes, tigres *ante Heinſ.* 621 hic *vulg.* 624 erronum acies *conj. Heinſ.* errorum acies *Claver. & Plant. marg.* 626 *pro* tot, tunc *vulg.* tot *etiam Cuj.*

190: alteram populi, cujus *fragor reboat aſſenſu cavæ vallis* h. e. plauſu multitudinis in circo, occupante vallem, congregatæ, adeo ut a ſeptem collibus, quibus inædificata Roma eſt, *echo* ſ. repercuſſus ſonus *intonet.*

618 *Trabes*, conſepta & clathri de trabibus, circumdant *arva* ſ. ſpatia circi, quadrigis ordinarie ſolita tribui, & ſpecies *arenæ* amphitheatralis ſubito comparatæ, fundi videt intra ſe Africanarum beſtiarum ſanguinem in *valle aliena* h. e. in cavo aliis alias, equeſtribus ſcilicet, ſpectaculis deſtinato. Circus Maximus vallem inter Palatinum & Aventinum montes occupat.

621 *Belligeros* modo *ludos*, ſ. bella ludicra, memorat poëta: nam gladiatorii cruenti eo ipſo tempore abrogati ſunt. Forte promoverunt hoc interdictum preces Honorio oblatæ a Prudentio adv. Symmach. 2. 1113 ſq. , Abrogaverat illos in Oriente jam olim Conſtantinus M. Vid. Gothofr. ad l. 1 C. Th. de Gladiatoribus.

622 *Armatos choros.* Hæc eſt illa Pyrrhicha, quam *armaturam* poſtera aetas dixit, de qua diligenter egit Valeſ. ad Ammia. 14, 11 p. 58.

625 Non opus eſt, ut tympani intelligamus pulſus: poteſt flagelli a valida excuſſione ſubito reducti ictus, aut ſonus quicunque alius percuſſione excitatus ſic indicari.

Vibratis. grave parma ſonat mucronis acuti
Murmure, & umbonum pulſu modulante reſultans,
Ferreus alterno concentus clauditur enſe.
Una omnis ſubmiſſa phalanx, tantæque ſalutant
Te, Princeps, galeæ. partitis inde catervis
In varios docto diſcurritur ordine gyros,
Quos neque ſemiferi Gortynia tecta juvenci,
Flumina nec crebro vincant Mæandria flexu.
Diſcreto revoluta gradu torquentur in orbes
Agmina, perpetuiſque immoto cardine clauſtris
Janus bella premens, lætæ ſub imagine pugnæ,
Armorum innocuos Paci largitur honores.
Jamque novum faſtis aperit felicibus annum
Ore coronatus gemino. jam Tibris in uno
Et Bruti cernit trabeas, & ſceptra Quirini.

628 mucronis acutum Murmura, *ſcil.* ſonant *conj. Heinſ.* 629 reſultant *MSS.* 630 plauditur *Raphel. conj.* 633 ducto *Cuj.* agmine *MS.* 635 vel crebro *MS.* 637 clathris *MS.* 638 lætæ *MS.*

628 *Mucronis* gladiorum vel haſtarum *acutum murmur* vocari poteſt, in quantum gravi de parma opponitur. De illa percuſſione clipeorum vid. Spanh. ad Callim. in Del. v. 136 p. 422 ſq.

629 *Modulantem pulſum* vocat numeroſum, numeris ac rhythmis v. g. anapæſtis, choriambis conſtantem. Talis eſt *concentus ferreus*, qui *clauditur*, h. e. continetur alternis enſium conflictibus.

634 Labyrinthi Cretici deſcriptio, *Gortynium* a Gortyna urbe vocatur quidquid Creticum vel Cretenſe eſt. *Semivir juvencus* Minotaurus. *Mæandri flexus* ad labyrinthi rationem explicandam adhibet Ovid. Met. 8, 162 qui *Phrygiis in arvis ludit, & ambiguo lapſu refluitque fluitque. Occurrensque ſibi venturas adſpicit undas* &c.

636 *Diſcretum gradum* dicit, niſi fallor, diverſum inceſſus genus, pro quo trepidiarii dicuntur equi & guttonarii, & apud Plautum tolutim badizare. Vid. Veger. mulomed. 1, 56. 37, & Salmaſ. ad Capitolini Maxim. p. 13.

637 *Janus* clauſus Deæ Paci honorem hunc habet, ut ludos illi innocuos, pugnæ imaginem referentes, faciat, eo ipſo tempore quo annum aperit.

641 *Bruti* liberatoris & conſulis primi *trabea* eſt prætexta conſularis, *ſceptra Quirini* regium faſtigium notant.

Conſule lætatur poſt plurima ſæcula viſo
Pallanteus apex. agnoſcunt Roſtra curules
Auditas quondam proavis, deſuetaque cingit
Regius auratis fora faſcibus Ulpia lictor:
Et ſextas Getica prævelans fronde ſecures
Colla triumphati proculcat Honorius Iſtri.
Exeat in populos cunctis illuſtrior annus,
Natus fonte ſuo: quem non aliena per arva
Induit hoſpes honos: cujus cunabula fovit
Curia: quem primi tandem videre Quirites:
Quem domitis auſpex peperit Victoria bellis.

Hunc

651 imbuit *Raphel. conj.*

643 An hoc dicit, Palatium (nam is quidem eſt *Pallanteus apex*) poſt multa ſæcula hunc videt verum Conſulem, eundem Auguſtum, utroque tam auguſto nomine dignum? Certe ſi aliud ſibi velit, ego non intelligere me fateor. Et *plurima ſæcula* vel ſic dicta ſat ὑπερβολικῶς, niſi ſi generationes intelligamus tricenorum circiter annorum. Etiam illud longe retro removet Conſulem Honorio æqualem & ſimilem, quod *proavi audire* tantum potuere *curules* Imperatorum in Roſtris poſitas, non videre. Breviter omnia eo ducunt, quaſi reſpiciat poëta ad Trajani imperium: quo jure, viderit. Ceterum a Trajani gente Ulpia etiam Theodoſianam familiam derivat noſter, uti vidimus ad 7, 189. Quin audet Trajano aliqua parte præferre Honorium hic v. 335. Exaggerare ultra modum & laudes ſolet & crimina.

646 Utrum revera in foro Trajano ſ. Ulpio pompam ex triumphali & conſulari miſtam celebraverit Honorius, an ornandi modo cauſa hoc poëta finxerit, non liquet. Credibile eſt hoc forum celebraſſe principes, qui Trajani ſimiles videri vellent populo.

647 *Fronde Getica*, i. lauro in bello Getico contra Alaricum parta, velantur ſexti Conſulatus indices ſecures. In hac pompa etiam fluvii Getarum Iſtri ſimulacrum conſueta forma repræſentatum, quæ in Trajani numinis frequens eſt, memorat aut fingit Poëta, ut collum illius premeret victor Honorius.

650 *Fons* Conſulatus, & inſtitutorum Romanorum omnium eſt ipſa Roma. Conſulatus ergo, qui Romæ ſuſcipitur, *fonte ſuo* videtur *natus*.

651 *Honos hoſpes*, qui extra domum propriam, hoſpitisque adeo miniſterio exhibetur.

653 *Auſpex* fuit hujus Conſulatus *Victoria* Getica. Solebat auſpicato deferri in comitiis, ac deinde ſuſcipi Conſulatus: huic ſexto Honorii auſpicium fecit Victoria de Alarico.

Hunc & privati titulis famulantibus anni,
Et quos armipotens genitor, retroque priores
Diverſis geſſere locis, ceu Numen, adorent.
Hunc & quinque tui, vel quos habiturus in Urbe
Poſt alios, Auguſte, colant: licet unus in omnes
Conſul eas, magno ſextus tamen iſte ſuperbit
Nomine, præteritis melior, venientibus auctor.

655 regesque priores *ante Heinſ.* 657 in urbem *MS.* in orbem *MS. addita gloſſa,* in circuitum, *quod recepit in altera edit. Heinſ.*

654 *Privati anni*, quibus Conſulatum geſſere privati, quod nomen, ut plurimis Pliniani Panegyrici locis conſtat, jam olim comprehendebat omnes, exceptis Imperatoribus: ſed hæc de *titulis famulantibus* adjectio inclinati ad barbariem imperii titulus & ſignum videtur. Præcedentes igitur Conſulatus non privatorum modo, ſed etiam quos Theodoſius geſſit, & quos ipſe Honorius, hunc ſextum adorare debent: quin quotquot geret in poſterum, etiam *in urbe*, quo titulo hunc ſextum ita magnifice poëta extulit. Ratio, color certe, ſplendida brevitate proponitur. Hic enim ſextus Conſulatus melior eſt ſuperioribus, & exemplum futuris præivit. Finis magnifici carminis inveniri magnificentior an potuerit, dubito.

XXIX

CL. CLAUDIANI
LAUS SERENAE REGINAE

UXORIS STILICHONIS

Dic, mea Calliope, cur tanto tempore differs
Pierio meritam ſerto redimire Serenam?
Vile putas donum, ſolitam conſurgere gemmis,
Et rubro radiare mari, ſi floribus ornes
Reginæ Regina comam? ſi floribus illis,
Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Aeſtibus, æterno ſed veris honore rubentes

Fons

Totum carmen hoc deeſt in Vic. 1 dic mihi *vulg.* mea *etiam Cuj. it. Vien. & probabat Barth.* cur tanto in tempore, c. tantum i. tempore, cur tantum interprete *al.* cur tanta in tempora *Cuj. & ſic conj. Heinſ.* 4 aut *MSS.* ſed floribus *al.*

* Carmen vel non abſolutum a Poëta forte, poſtquam Serena ſupplicio affecta eſt, vel mutilatum temporis injuria. Sero ſcriptum, ipſe primus verſus indicat.

3 *Conſurgit* coma, cum in galerum vel tutulum ſtruitur.

4 *Rubrum mare* ſ. Erythræum patria gemmarum i. oriens. Vid. 28, 563.

5 Vel hoc ipſum carmen ſatis declarat, *Reginas* vocari non ſolas regum uxores, aut quæ ipſæ rerum potiuntur, ſed filias quoque & ſorores regum: ut nempe ipſum quoque regis nomen latius patet. DI Deæque etiam inferioris ſubſellii ut hic Muſa Calliope, Reges & Reginæ ſunt, ut Græcis ἄνακτες & ἄνασσαι.

7 *Veris honorem* eſſe flores, apertum eſt: *rubentes* non puto ſimpliciter ad colorem pertinere, ſed lucem & vividum ſplendorem indicare, ut Virg. Ge. 4, 36 *Ante novis rubeant quam prata coloribus*: & *ſuave rubens hyacinthus* ecl. 3, 63: & *ſuave rubens narciſſus* Ciri 96. Et ne obiicias, narciſſos rubros etiam memorari, etiam hyacinthos non modo ferrugineos, ſed & rubros: cogita etiam *Brachia purpurea candidiora nive* eſſe Albinovani 2, 62: & *olores purpureos* Horatii Car. 4, 1. 10. Nempe *purpureum* & hic *rubens* eſt ſplendidum, luminis plenum, ἀγλαόν. Vid. Lacerda ad Virg. Aen. 6, 641 & quos laudat Gorallus ſ. Clericus ad Albinovani l. c. Cf. 31, 116. 35, 90.

Fons Aganippea Permeſſius educat unda:
Unde piæ paſcuntur apes, & prata legentes
Tranſmittunt ſæclis Heliconia mella futuris.
Dignius an vates alios exercuit unum
Femineæ virtutis opus? conſorte redemto
Caſta maritali ſucceſſit Theſſala fato,
Inque ſuos migrare virum non abnuit annos.
Hoc Graji memorant. Latiis movet ora Camœnis
Præſcia fatorum Tanaquil, rediensque per undas
Clœlia Tibrinas, & eodem flumine ducens
Claudia virgineo cunctantem crine Cybellen.
Anne aliud toto molitur carminis actu
Mæonii mens alta ſenis? quod ſtagna Charybdis
Armarit, quod Scylla canes, quod pocula Circe:
Antiphatæ vitata fames, ſurdoque carina

Remige

8 Permeſidos *Cuj. Ald.* 9 paſcantur *MSS.* 11 dignius haud *Vien. Baſ.* 14 viros *MS. inde* viro *conj. Heinſ.* 18 fune Cyb. *conj. Heinſ. ſed mox ab ipſo damnata.*

8 *Permeſſus* Heliconis fons & flumen apud Heſiod. Theog. 5, & Virgilium Ecl. 6, 64. Vid. Strabo 9 p. 281. De *Aganippe* vel ex 17, 272 conſtare poteſt. Ovid. Faſt. 5, 7 *Hippocrenen Aganippida* unum fontem facit.

9 In hac allegoria *piæ apes* Poëtæ ſunt.

13 *Theſſala* hæc Alceſtis Admeti conjux eſt. Vid. 26, 439.

16 *Tanaquil* Tarquinii Priſci conjux teſte Livio 1, 34 *perita, ut vulgo Etruſci, cæleſtium prodigiorum mulier:* cujus rei ibi ſpecimina memorantur. De *Clœlia* Liv. 2, 13.

18 De *Claudia* Veſtaline virgine, an matrona, diſputandi occaſionem dedit ſcriptorum diſſenſus. Vid. Brouckh. ad Propert. 4, 11. 51, Drakenb. ad Sil. 17, 33 & Duker. ad Liv. 29, 14. Id, quo alligatam navem, cum in vadis Tiberinis hæreret, matris Deum, perduxiſſe dicitur Claudia, *funem* vocat Propert. l. c. & Sil. l. c. 41. Fuerit igitur funis ex Claudiæ capillis tortus. *Cingulum* dicunt fere Chriſtiani, qui ejus meminerant, apologetæ. Graphicum hujus deductionis monimentum habetur in Muſeo Veron. p. 252, 4, in quo catenam potius grandibus annulis intelligas, quam funem. *Capillum* nominat Sido. Apoll. car. 24, 43 *Qualis nec Phrygiæ dicata Veſtæ, Quæ contra ſatis Albulam tumentem Duxit virgineo ratem capillo.* Cybellen, Cybellem, Matrem Deum Phrygiam, eſſe idem numen meminerimus.

19 Audax pronunciatum poëtæ, Totius Odyſſeæ conſilium eſſe ornare Penelopen, cum quidquid vel fecit vel paſſus eſt Ulyſſes, illius cauſa ſuſceperit.

22 *Antiphatæ fames* Læſtrygonis, qua ille appeteret carnem humanam. Sedes fabulæ Odyſſ. K, 114.

Surdos

Remige Sirenum cantus tranſvecta tenaces:
Lumine fraudatus Cyclops, contemta Calypſo:
Penelopæ decus eſt atque uni tanta paratur
Scena pudicitiæ: terræ pelagique labores,
Et totidem ſævi bellis, quot fluctibus, anni,
Conjugii docuere fidem. ſit Claudia felix
Teſte Dea, caſtoſque probet ſub numine mores,
Abſolvens puppiſque moras crimenque pudoris:
Penelope trahat arte procos, fallatque furentes
Stamina nocturnæ relegens ſollertia telæ;
Non tamen audebunt titulis certare Serenæ.
Quod ſi nobilitas cunctis exordia pandit

Laudi-

25 Penelopeque ſuum decus eſt, cui *Vien. forte* Penelopeja, tuum. Pen. decus atque ſuum, cui *Junt. Plant.* Pen. dec. atque uni *Ald.* Penelopes decus æquævum *Raph.* Pen. decus auſa ſuum *Clav.* Penelopea decus uni cui *conj. Barth.* Penelopæ decus atque viri *Cuj.* 27 et ſævi totidem *vulg.* bello *al.* 28 decuere *MS.* ſic Claudia *al.* 32 ſtamine *Vien. Baſ.* Laërtia *MSS. etiam Cuj.* lacertia *MS. ubi emendatum* laſſantia. laxantia *MS.* certiſſima *Ald. & MSS.* 33 ſervare *MS. unde* ſe æquare *conj. Heinſ.*

Surdos idem Ulyſſes fecit ſocios ſuos ſive *remiges* auribus cera obturandis; ſe alligari juſſit ad malum. *Cantus tenaces*, qui retinent, & quaſi invitum affigunt, ne velit poſſitque adeo diſcedere.

24 *Contemta Calypſo* quin decus ſit Penelopes? non eſt dubium. Sed quid ad illam Polyphemi oculus exterebratus? niſi forte facit ita tenerum amorem Ulyſſis in conjugem, ut illius tantum reviſendæ cauſa vivere, utque vivere poſſet, excæcare Polyphemum voluerit. Tale quid de ſe ſuaque uxore prædicat Seneca epiſt. 104 p. 514 de tutela valetudinis agens, *Quid jucundius, quam uxori tam carum eſſe, ut propter hoc tibi carior fias. Poteſt itaque Paulina mea non tantum ſuum mihi timorem imputare.*

25 *Uni pudicitiæ* Penelopes celebrandæ paratur tanta ſcena mirabilium hiſtoriarum.

27 Decem Ulyſſis anni *ſævi* erant *bellis* & pugnis ad Trojam, *totidem* anni *fluctibus* ac tempeſtatibus in reditu ſuſtinendis. Omnes fidelem oſtenderunt conjugi, cujus inde elucet virtus & amabilitas.

30 *Crimen pudoris*, intell. violati. Fuiſſe enim ante hoc factum ambiguæ famæ Claudiam, ſcriptores laudati narrant.

32 *Solertia* eſt ipſum virtutis nomen abſtractum pro concreto poſitum. Sed quod *nocturnam telam* vocat, non eſt accipiendum, quaſi nocte texuerit Penelope, ſed tela, quam nocte retexuit: hoc ſignificat h. l. verbum *relegere*, q. d. retro legere, ut *relegere curſus* Horat. car. 1, 34. 5 eſt retro currere ea via qua veneras.

Laudibus, atque omnes redeunt in ſemina cauſſæ,
Quis venerabilior ſanguis? quæ major origo,
Quam regalis, erit? non hoc privata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere numen
Anguſtis Laribus. patruo te Principe celſam
Bellipotens illuſtrat avus: qui ſigna Britanno
Intulit Oceano, Gætulaque reppulit arma.
Claram Scipiadum taceat Cornelia gentem,
Seque minus jactet Libycis dotata tropæis.
Cardine tu gemino lauros prætendis avitas.
Inde Caledoniis, Auſtralibus inde parentum
Cingeris exuviis. Necdum moderamina mundi
Sumſerat illa domus, cum te Lucina beatis
Ederet aſtrorum radiis. o maxima rerum
Gloria! poſt genitam didicit regnare Serenam.

Quid

37 non te priv. *vulg.* 38 nomen *vulg.* 48 adderet *omnes. Sed* ederet *MS. Palatinus, & conjecerat Gevartius, & reponi Heinſius juſſerat.*

35 *Omnes* laudes redeunt tanquam in ſemina cauſæ ſuæ. Ingenita a majoribus virtus, ingenium virtutis capax, velut ſemen eſt, e quo enaſcuntur actiones. Cur tantus vir factus eſt Cæſar? præclarum nactus erat ingenium, materiem velut herois. Hoc jam ad Serenæ natales transfert, de quibus videnda Tabula genealogica.

38 *Numen* hic majeſtas, & magna vis ingenii.

42 *Cornelia* Grachorum mater virtute & doctrina florens mulier, cujus etiam fragmenta literarum exſtant, & cum Cornelio Nepote ſolent edi.

44 *Cardinem* ponit ut alias *polum*, pro regione: quamquam hic etiam propria ſ. anguſtiore ſignificatione poteſt accipi, cum ſeptentrionales ſint Britanni, Caledonii præſertim, qui hodiernis Scotis (vid. 22, 146) reſpondenr. Conf. 7, 52. 8, 24 ſq. *Prætendis lauros*, præ te fers, ut in triumpho.

45 *Parentum* nomine patrem & avum comprehendit. *Exuviæ*, ſpolia, quæ detraxerunt pater & avus hinc Britannis hinc Mauris.

47 *Luna* maturandis partibus præfecta, *Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia* (Hor. Car. ſæc. 13) *edidit* Serenam *beatis aſtrorum radiis*, ſub felici conſtellatione.

49 Splendidum nihil hoc videtur. Tale quid autem, niſi fallor, in animo poëta habuit: domus Theodoſiana ideo regno aucta eſt, quia habebat jam Serenam, quam humilior ſors regia non deceret. Ceterum hinc diſcimus, poſt A. C. 379 quo imperare cœpit Theodoſius, natam eſſe Serenam.

Quid dignum memorare tuis, Hiſpania, terris
Vox humana valet? primo levat æquore Solem
India: tu feſſos exacta luce jugales
Proluis, inque tuo reſpirant ſidera fluctu.
Dives equis, frugum facilis, pretioſa metallis,
Principibus fecunda piis. tibi ſæcula debent
Trajanum: ſeries his fontibus Aelia fluxit.
Hinc ſenior pater; hinc juvenum diademata fratrum.
Namque aliæ gentes, quas federe Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in uſus
Imperii: Phariæ ſegetes, & Punica meſſis
Caſtrorum devota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis ſudant equitatibus alæ.
Sola novum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit,

51 primum *malit Heinſ.* lavat *vulg. Sed* levat *jam Vien. marg. &* *Baſ. marg.* 53 tuos - fluctus *MSS.* 62 Illyricæ *conj. Heinſ.*

50 Poſt generis laudem tranſit ad patriam, & hic etiam, ut ſolet, modum excedit.

51 Solemne poëtis Solem mergere Oceano occidentali circa Hiſpaniam, & Indico ſive Orientali educere. Vid. 18, 353. Dant illi nempe equos, quos a fatigatione & ſudore curant abluendo poëtæ, ut noſtros.

54 *Equus* antiquum Hiſpaniæ in nummis ſymbolum, ad equorum, quos gignit multitudinem & præſtantiam refertur Propter fertilitatem terræ, & metallorum divitias olim fuiſſe nobilem idque mutatum, & quibus rationibus? non difficilis, ſed longior eſt diſputatio.

56 *Series Aelia*, Hadrianus, & qui ab eo nomen per adoptionem duxere. *Senior pater* Theodoſius eſt; *juvenes fratres* Arcadius & Honorius. Dicit *juvenum diademata* ad ſignandos juvenes diademate regio ornatos.

58 *Gentes* vocat, ſed maxime regionum ipſarum munera intelligere poëtam, apparet.

61 *Devota* videtur dixiſſe, ut inde numen aliquod & divina majeſtas Imperii Ro. intelligatur. Deo enim proprie *devoveri* aliquid dicitur.

62 *Miles* antiqua ratione ab equite diſtinguitur. *Illyricæ* gentes adhuc equeſtrem militiam amant: inde illa Huſarorum, ut hodie vocantur, diſciplina. Nempe loquimur de Illyrico, quantum erat Claudiani ætate, ad Danubium usque a ſinu inde Hadriatico patens. Vid. ad 7, 201. Verbo *ſudant* celeritatem, credo, equorum voluit notare. Hor. Car. 1, 25. 9 *Eheu quantus equis, quantus adeſt viris ſudor!* *Alas* eſſe equitum, ut militum *cohortes*, bene poëta meminerat.

Contulit, Auguſtos. Fruges, æraria, miles
Vndique conveniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant. nec laude virorum
Cenſeri contenta fuit, niſi matribus æque
Vinceret, &, gemino certatim ſplendida ſexu,
Flaccillam Mariamque daret pulcramque Serenam.
Te naſcente ferunt per pinguia culta tumentem
Divitiis undaſſe Tagum. Callæcia riſit
Floribus, & roſeis formoſus Duria ripis.
Vellera purpureo paſſim mutavit ovili.
Cantaber Oceanus vicino litore gemmas
Exſpuit: effoſſis nec pallidus Aſtur oberrat
Montibus. Oblatum ſacris natalibus aurum
Vulgo vena vomit. Pirenæisque ſub antris
Ignea flumineæ legere Ceraunia nymphæ.

Quæque

73 vellere - ovile *vulg.* 77 Pirenæique - fulmineis *vulg.*

69 Aelia *Flaccilla* mater Imperatoris Honorii, 10,43. *Maria* Honorii comitis uxor, mater Serenæ.

71 Hiſpanica nomina, & quidem Hiſpaniæ Septentrionalis, ponit, *Tagum* aureas arenas agentem, *Callæciam* regionem, ſ. Callaicam, quæ Gallicia hodie eſt, tum *Duriam*, quem *Durium* alii vocant prima Syllaba producta: ſive cogitate ita ſcripſit noſter, ſive aberravit ad Duriam Italiæ, Alpinum flumen.

73 Imitatus videtur Virgil. Ecl. 4, 43 *Aries jam ſuave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera luto* &c. *Ovili* deſignat gregem ovile implentium.

75 *Pallidi* metallorum Aſturiæ foſſores, quod toti huic generi, apud inferos & velut inter manes verſanti, ſolemne eſt. Ceterum in hac auri gignendi ſocietate *Aſturiam*, *atque Callæciam & Luſitaniam* conjungit Plin. 33, 4 ſ. 21.

74 In litore inter calculos alios interdum inveniuntur etiam gemmæ.

76 *Oblatum -- aurum* videtur dicere cum reſpectu ad *aurum oblaticium*, quod Senatores quibusdam occaſionibus (quibus forte ex h. l. gratulatio natalium adjicienda eſt) ultro offerre Imperatori ſolebant, de quo vid. Jac. Gothofr. paratit. ad Titulum C. Th. 6, 2 de Senatoribus, & -- auro oblaticio. Pro hoc auro oblaticio igitur Serenæ natalibus aurum *vulgo vena vomit*.

78 *Ceraunia* gemma memorata Plinio 37, 9 & 10: poſteriore loco ſ. 65 nomen inde videtur repetere, quod *cadere cum fulminibus* (*κεραυνοῖς*) dicatur. Mihi probabile eſt, potius inſignem gemmæ fulgorem, quaſi cujusdam fulminis ſic notatum; certe noſter ea de cauſa vocat *ignea*.

Quæque relabentes undas æſtumque ſecutæ
In refluos venere palam Nereides amnes;
Confeſſæ plauſu dominam, cecinere futuris
Auſpicium thalamis. Alio tum parvus in axe
Creſcebat Stilicho, votique ignarus agebat,
Debita cui longe conjux, penituſque remoto
Orbe parabatur tanti concordia fati.
Nec tua mortalis meruit cunabula nutrix.
Ubera prima dabant gremiis redolentibus Horæ,
Ternaque

79 rebellantes *vulg.* relegentes *Ald.* & *MSS. it. Cuj.* recedentes *MS.*
87 aulæ *Vien.* aulam *Baſ. marg.* auræ *Baſ.* & *rell. ante Claver. qui primus dedit* Horæ. gremio redolente Napes *MS. unde* Napææ *conj. Heinſ.*

81 *Cecinere auſpicium Nereides*, i. prædixere, quod illa quondam adulta matrimonium habitura, quanto marito deſtinata ſit. Omnis antiquitas futurorum prædictionem Dis tribuit, non ſummis tantum, & quos majorum gentium ludens vocavit Cicero: ſed minoribus quoque, Silenis, Satyris, Harpyiis adeo, tum ſpeciatim marinis, Proteo, Nymphis &c. Ipſum *divinationis* nomen inde ortum, ut reciproca videantur eſſe & ἀντισρέφειν, Deus eſt, ergo divinare poteſt: divinat, ergo divinus eſt. Ipſum autem *divinus* utramque notionem habet.

82 *Alio in axe*, apud Vandalos. Oroſ. 7, 38 *Interea comes Stilicho, Vandalorum, imbellis, avaræ, perfidæ & doloſæ gentis genere editus* &c. Sed aſſignare propius patriam Stilichoni, in gente tam vaga & ambulatrice, cui non inepte a noſtro verbo *wandeln* nomen arceſſas, difficile eſt: non improbabile tamen videtur, ad ſiniſtram Danubii ripam, Illyrico, ſpeciatim Pannoniæ oppoſitam, patriam Stilichonis fuiſſe.

83 *Voti* nuptialis, ipſarumque nuptiarum ac matrimonii. Forte hoc ipſo tempore cœperunt *voti* nomine ita uti, quod deinde ICtis ſolemne fuit, ubi dicerent, *ad ſecunda vota tranſire* e. i. g. a. *Debita conjux* fato deſtinata, ſolemni formula, de qua vid. ad Aen. 6, 66. *Concordia fati* ipſum matrimonium ſignificat.

87 *Redolentia gremia* videtur Horis tribuere cum reſpectu ad Veris flores & fructus Auctumni, quæ tempeſtates apud Græcos *Horæ* peculiariter dicuntur. In Hymno Orphico p. 140 πολύοδμοι dicuntur, Πέπλους ἐννύμεναι δροσεροὺς ἀνθῶν &c. Ceterum antiquum eſt Horis, in quantum perſonæ & Deæ ſunt, tale munus nutricium tribuere. Opportune huc adtulit Heinſius locum Pindari Pyth. Θ, 104 ubi Ariſtæum, Cyrenes nymphæ filium, Mercurius defert Horis, Ταὶ δ' ἐπιγουνίδιον καθηκάμεναι βρέφος αὐταῖς, Νέκταρ ἐν χείλεσι καὶ ἀμβροσίαν στάξοισι, pueri ſuis genibus impoſiti labiis nectar inſtillant & ambroſiam. Hic dant ubera Serenæ: itaque matres fuiſſe oportet, quod neſcio an aliquis tradiderit. Ceterum nomina boni ominis tribuunt eis Heſiodus Theog. 902 Hymnusque Orphicus 42 Εὐνομίαν, Δίκην, Εἰρήνην.

Ternaque te nudis innectens Gratia membris
Afflavit, docuitque loqui. Quacunque per herbam
Reptares, fluxere roſæ: candentia naſci
Lilia. Si placido ceſſiſſent lumina ſomno,
Purpura ſurgebat violæ, factura cubile
Gramineum, vernanſque tori regalis imago.
Omina non audet genitrix tam magna fateri,
Succeſſusque ſuos arcani conſcia voti
Spe trepidante tegit. Geſtabat Honorius arcto
Te pater amplexu. Quoties ad limina princeps
Theudoſius privatus adhuc fraterna veniret,
Oſcula libabat, teque ad ſua tecta ferebat
Lætior. In matrem teneris converſa querelis,
Quid de me propriis auferre Penatibus, inquis,
Imperat hic ſemper? Præſagia luſerat error,

Et

89 affluxit *MSS. Cuj.* alluſit *MSS.* quocunque *MSS.* 90 comæ *Cuj.* 92 fulgebat *vulg.* fractura *ex 2 MSS. & Gronovii conj. Heinſ.* 93 vernarque *vulg.* 94 omnia *plerique editi. Sed* omina *jam Baſ. Barth.* 99 in ſua t. *vulg.* 101 quis - Imperat? *al.* patriis *malit Heinſ.* inquit *al.*

89 *Afflavit* delectum docte verbum, quo divinum munus, commendationem vultus, ſermonis, geſtus, impertitam Serenæ, declaratur, ut Aen. 1, 391 filio ſuo Aeneæ *lumenque juventæ Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.*

91 Si in gramine dormiendi cauſa jaceret Serena infans, *ſurgebat* ſtatim e terra purpurea viola, *factura* & præſtitura infanti *cubile.* Hæc erat veris ſpeciem præbens *imago regalis* lecti, cui deſtinata erat puella. Igitur *factura* ſervandum puto: *fractura* neſcio, quomodo hic placere potuerit. *Frangere lectos* ſ. *toros* dicuntur ſuo incubitu homines: purpura violæ quomodo frangere cubile potuerit, non video. Porro bene convenit, ut illa *purpura* dicatur per appoſitionem *imago tori*, ſpecies lecti.

94 *Genitrix* Serenæ hæc portenta obſervans, & pro ominibus illa magnitudinis infanti deſtinatæ habens, non auſa eſt fateri. Si Chriſtiana fuit, ut nec improbabile eſt, forte Joſephi patriarchæ invidiam metuit.

98 *Theudoſius.* De hac forma vid. ad 15, 216.

102 Hoc proprie *omen* vocabant, cum verba alio conſilio prolata apte caderent, ut poſſent futurum quiddam ſignificare. Collegi olim pluſcula de hoc genere ominum Chreſtom. Plin. 51, 55 p. 438 præſertim ex Cic. de Divinat. 1, 45 & 2, 40. Parvula Serena queritur, a Theodoſio patruo de ſuis Pena-

 tibus

Et dedit augurium regnis infantia linguæ.
Defuncto genitore tuo ſublimis adoptat
Te patruus, magnique animo ſolatia luctus
Reſtituens, propius, quam ſi genuiſſet, amavit
Defuncti fratris ſobolem. Nec carior olim
Mutua Ledæos devinxit cura Laconas.
Addidit & proprio germana vocabula nato;
Quaque datur, fratris ſpeciem ſibi reddit ademti.
Denique cum rerum ſummas electus habenas
Suſciperet, non ante ſuis impendit amorem
Pignoribus, quam te pariter fidamque ſororem
Litus ad Eoum terris acciret Iberis.
Deferitur jam ripa Tagi, Zephyrique relictis
Sedibus Auroræ famulas properatur in urbes.
Incedunt geminæ proles fraterna puellæ;
Inde Serena minor, prior hinc Thermantia natu,
Expertes thalami, quarum Cythereïa nec dum
Sub juga cervices niveas Hymenæus adegit.
Utraque luminibus tumidum micat: utraque pulcras
Excitat

108 dilexit *MSS. Cuj.* 111 delectus *al.* elatus *al. etiam Cuj.*
112 intendit *ante Heinſ.* 121 timidum *ante Heinſ.*

tibus auferri: hoc deinde magna cum illius felicitate factum per adoptionem. *Regnum* hic eſt conditio mulieris a Rege vel Imperatore adoptatæ.

108 *Laconas* intelligit Caſtora & Pollucem, quorum hic natura immortalis illum mortali creatum ſemine *alterna morte redemit*, ut eſt Aen. 6, 121. Theodoſius ſuo filio dedit *germana vocabula*, nomen fratris ſui defuncti, vocavit Honorium.

114 *Sororem* Serenæ Thermantiam forte neſciremus, niſi hic & d[illegible] v 186 illius memoriam ſ[illegible]vaſſet poëta.

116 *Urbes Auroræ famulæ* Orientalis imperii ſedes Conſtantinopolis, & vicinæ.

119 *Cythereia juga* eſſe matri amorem ſexus alterius, conſtat: ille amor, illud jugum eo ſanctius eſt, cum *Hymenæus*, nuptiarum Deus, cervicem ante liberam ſub illud adegit.

121 *Tumidum* a poëtis ad maturitatem nubilem ſignificandam adhiberi, vel noſter ſatis docet 31, 124 *Matura tumeſcit virginitas.* Sic *Tumida virginitas eſt* Stat. Theb. 2, 204. & Achill 1, 292 *Virginitas matura toris, annique tumentes.* Nondum tamen auſim ſimpliciter

Excitat ore faces. qualis Latonia virgo,
Et ſolo Jove nata ſoror: cum forte reviſunt
Aequorei ſortem patrui, ſpumantia cedunt
Aequora, caſtarum greſſus venerata Dearum.
Non ludit Galatea procax, non improbus audet
Tangere Cymothoën Triton, totoque ſeveros
Indicit mores pelago pudor, ipſaque Proteus
Arcet ab amplexu turpi Neptunia monſtra.
Tales ſceptriferi viſuræ tecta parentis
Limen Honoriades penetrant regale ſorores.
Ambas ille quidem patrio complexus amore:
Sed merito pietas in te proclivior ibat.
Et quoties, rerum moles ut publica cogit,
Triſtior, aut ira tumidus flagrante redibat,
Cum patrem nati fugerent, atque ipſa timeret
Commotum Flaccilla virum, tu ſola frementem
Frangere, tu blando poteras ſermone, mederi.
Alloquiis hærere tuis: ſecreta fidelis:
Priſca puellares reverentia tranſilit annos.

127 totique *malit Heinſ.* 128 inducit *vulg.* 135 rediret *vulg.* 139 fideli *Ald. Junt. MSS. quod ſervat Heinſ. & putat, poſt hunc verſum unum alterumque excidiſſe. Malui interim dare lectionem Vien. Baſ. Plant. Clav. Barth.* 140 transtulit *MS. Barthii.*

pliciter damnare antiquam lectionem *timidum*, quæ virginalem modeſtiam, virorum metuentem, indicare poteſt. Verbum *micare* vividum illum oculorum vigorem, quas ſibi ſagittas Cupido facit, ſignat; *timidum* illis ignibus moderatur.

123 *Solo Jove* nata eſt, e cerebro illius, Minerva, ſoror Dianæ.

124 *Patruus* filiarum Jovis Neptunus. *Spumantia* ipſum jam indicat quiddam affine Veneri, quæ Ἀφροδίτη, e ſpuma maris orta putatur.

127 *Tritonis & Cymothoës* luſus deſcribit etiam 10, 136 ſq.

128 *Proteus* velut paſtor quidam monſtrorum marinorum. Virg. Ge. 4, 395. Hor. Car. 1, 2, 7.

135 Hic alius *tumor* ab ira ut Hor. A. P. 94 *Iratus Chremes tumido delitigat ore.* Vid. Bentl. ad ejus libelli v. 197, ubi legit, *Et amet pacare tumentes.*

139 *Alloquiis hærere tuis* ſolebat Theodoſius: tu, Serena, *ſecreta*, taciturna, ſecreti capax jam tum eras, & *fidelis*. *Priſca*, ſæculo antiquo digna *reverentia*, & venerabilitas, ſit venia verbo, quæ in te erat, ſuperabat annos puellares.

Non talem Triviæ confert laudator Homerus
Alcinoo genitam: quæ, dum per litora veſtes
Explicat, & famulas exercet læta choreas,
Auratam jaculata pilam, poſt naufraga ſomni
Otia, progreſſum foliis expavit Ulyſſem.
Pierius labor, & veterum tibi carmina vatum
Ludus erant: quos Smyrna dedit, quos Mantua, libros
Percurrens, damnas Helenen, nec parcis Eliſſæ.
Nobiliora tenent animos exempla pudicos.
Laodamia ſequens remeantem rurſus ad umbras
Phylaciden, & prona ruens Capaneia conjux
Communes ardente viro miſtura favillas,
Et gravis incumbens caſto Lucretia ferro,
Vulnere quæ proprio, facinus teſtata tyranni
Armavit patriæ juſtos in bella dolores,
Exſule Tarquinio; memorandaque concidit uno
Ulta pudicitiam libertatemque cruore.
Talia facta libens non tu virtute minori,

Sed

145 Ulixem *MS.* 147 erat *al.* 148 Eliſæ *al.*

141 Nauſicaæ Alcinoi Phæacum regis filiæ præfert Serenam, quam Dianæ (hæc enim eſt *Trivia*, triformis Hecate) comparat Homerus Od. Z, 102. Hæc dum ſiccantur in litore veſtes, pila ludit cum puellis ſuis; ſtrepitu illo excitatus Ulyſſes a naufragii labore ſomno ſe recreans, prodit de virgultis ſuis &c.

147 *Smyrnam* hic facit Homeri patriam, imitatus Statium ſuum Silv. 4, 2. 9 *Non, ſi pariter mihi vertice læto Nectat adoratas & Smyrna & Mantua lauros, Digna loquar.*

148 Laudat caſtitatem Serenæ, quæ *Helenen damnet*, nec *Eliſſæ* ſ. Didoni, *parcat*: ſecus atque illa apud Juvenalem 6, 435 doctrinæ affectatrix, quæ *perituræ ignoſcit Eliſſæ*.

150 *Laodamia* impatienter adeo tulit mortem Proteſilai conjugis ſui, cui Iphiclus pater, *Phylacus* avus aſſignatur (vid. Euſtath. ad Iλ. B, 695 p. 245, 11) ut mortem in complexu ejus ab inferis revocati oppeteret. Hinc *comes extincto Laodamia viro* Ovid. Tr. 1, 6. 20. Hujus Laodamiæ ad Proteſilaum ſuum eſt Ovidiana Epiſtola XIII.

151 *Capanei* conjux Evadne, viri ſe rogo injecit, de qua Martial 4, 75 *Arſerit Evadne flammis injecta mariti.* Evadnen & Laodamian etiam uno verſu Aen. 6, 447 junxit Virgilius.

156 Ablativi *Exule Tarquinio* rarior hic vis eſt. Ita armavit dolores patriæ Lucretia, ut exſul fieret, exſulatum abiret ad Etruſcos, Tarquinius.

Sed fato meliore, legis. Jam nubilis ætas
Principe ſollicito votis erexerat aulam
Incertis, quem tanta tori fortuna maneret.
Antiquos loquitur Muſarum pagina reges,
Quod dira ſub lege procos certare juberent,
Emturos thalamum dubii diſcrimine leti,
Et ſua crudeles gauderent pignora mortis
Ambitione peti. Curru Piſæa marino
Fugit tela Pelops. nam perfidus objice regis

160 aulæ Ingentis *MS. hinc* aulam Intentis *conj. Heinſ.* 163 dira *MSS.* 166 maligno *MS.* marito *conj. Scal. quod recepit Heinſ.* marino *etiam defenditur in Miſcell. Obſervatt. Britann. Vol. 1* p. 323. 167 providus *vulg.* fervidus *MSS. Cuj.* pervidus *MS.*

159 *Fato meliore.* Laodamia, Evadne, Lucretia, amorem maritorum & fidem conjugii probarunt in morte virorum, in injuria illata corpori: tu felicior, idem factura, non habuiſti exempli talis occaſionem vel neceſſitatem.

160 *Vota* referenda videntur ad adoleſcentes, qui erigebantur votis & ſpe nuptiarum regiarum.

163 *Quod* particula non ſimpliciter ἀφηγηματική eſt, quam tamen hæc ætas non refugit; ſed poteſt rationalis ſ. cauſalis quodammodo videri. Quosdam reges hoc nomine celebravit hiſtoria, *quod juberent* &c. His regibus e noſtris libris addere licet Saulum, a genero ſuo C præputia Philiſtæorum ſibi ſtipulantem.

164 *Emere thalamum*, Virgiliana formula, Ge. 1, 31 *Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis.* Hic etiam ad antiquum omnium fere gentium morem reſpicitur, quo viri ſibi emebant, pretio comparabant, uxores.

166 Oenomaus Elidis & Piſarum tyrannus, a genero mortem ut caveret ab oraculo monitus eam legem poſuit procis Hippodamiæ filiæ ſuæ, ut eam haberet, qui ipſum patrem quadrigis viciſſet, interficerentur vero victi. Poſt XIII ita interemtos accipit conditionem Pelops &c. *Currum* pro equis junctis hic etiam capiendum, apparet: *Marinum* autem, a Neptuno acceptum. Fabula hæc inter nobiliſſimas Græcorum, multis quoque monimentis, quæ Pauſanias adhuc vidit, celebrata. Vid. qui laudantur ad Hygi. fab. 84. Cum ab ea originem ludorum Olympicorum derivarent, ſuo illam more cecinit Pindarus Ol. A. Illud de equis, a Neptuno acceptis v. 139 ſq. Hinc *Neptunia lora* Pelopi dat Stat. Theb. 6, 283.

167 *Objex* ſ. obex eſt ille clavus, qui perforato axi extremo inditus prohibet, ne rota, lubricato axungia modiolo, inter rapidum illum circumactum deſilire, deſtituere (*decipere*) axem, & terræ illiſum frangere, evertere quidem certe aurigam, poſſit. Hunc clavum, (ἔμβολον ἐπὶ τῷ ἀκραξονίῳ) aut plane non indidit, aut cereum fecit Myrtilus, faber & auriga Oenomai (ἁρματοπηγὸς καὶ ἡνίοχος) ab Hippodamia corruptus, ut ex antiquioribus narrat Schol. Apollo. Argon. 1, 752.

Prodidit Oenomai deceptum Myrtilus axem.
Hippomenes trepidus curſu ferroque ſecutam
Aurato volucrem flexit Schœneïda pomo.
Herculeas vidit fluvio luctante palæſtras
Mœnibus ex altis Calydon, pretiumque labori
Deïanira fuit, cum pectore victor anhelo
Alcides premeret, retroque Acheloïus iret
Decolor. Attonitæ ſtringebant vulnera Nymphæ.
Saucia truncato pellebant flumina cornu.
Te non Heſperidum pomis, non amne ſubacto,
Non ſocerum fallente rota, ſed judice dignus
Auguſto, variis Stilicho ſpectatus in armis
Accipit, & regni dotes virtute paravit.

Saepe

172 laboris *vulg.* 173 pectore - fremeret *vulg.* 176 ſquallebant *conj. Heinſ.*

168 *Deceptus axis* eſt, ut jam innuimus, deſtitutus ab illo clavo ſ. retinaculo ſuo, ut non amplius innitatur rotæ, ſed terræ illiſus frangatur, aut hæreat certe. Vid. de uſu hujus verbi poëtico copioſam ſilvam ab Heinſio & Burmanno collectam ad Aen. 4, 17.

169 Hippomenis & Atalantæ Schœnei F. fabulam delicate narrat Ovid. Met. 10, 560. Breviter curſu certantem ſecum puellam, quoties ſuperatura videbatur, malo aureo (qualia ſunt Heſperidum, quorum tria a Venere acceperat) projecto retardavit. Turbas ac diſſidia mythologorum de hac Atalanta refert Spanh. ad Call. H. in Dian. v. 216 p. 275 ſqq.

171 Deianiram Oenei, qui Calydone imperitabat, filiam, ſimul petebant Hercules & Achelous, fluvius patrius, qui, ut alii Di marini, formas aſſumere, prout opus eſſet, varias poterat. Exitus hic fuit, ut ſuperaret Hercules, cornu alterum perderet Achelous, quod nymphæ ſuſceptum fructibus omnibus impletum *Copiæ Cornu* fecere: eædem nempe, quas noſter facit *ſtringere*, h. e. alligare & claudere ſtudere vulnera patris ſui. Narrat pulchre ipſe Achelous apud Ovid. Met. 9 pr. De fluvio *pallente*, & *cornibus* fluviorum conf. dicta ad 20, 163 ſq.

177 *Heſperidum poma* vocat mala aurea, quæ a Venere accepta jactavit, ut modo dictum, Hippomenes. Cf. 7, 37.

Sæpe duces meritas bello tribuere coronas.
Hunc cingit muralis honos: hunc civica quercus
Nexuit: hunc domitis ambit roſtrata carinis.
Solus militiæ mira mercede jugalem
Promeruit Stilicho, ſocero referente, coronam.
Agnovit patrui ſimilem Thermantia curam:
Nupſit & illa duci. ſed longe fata ſororis
Inferiora tuis. alio tibi lumine tædas
Accendit Romana Salus, magniſque coronis
Conjugium fit cura tuum. dilectus equorum,
Quos Phrygiæ matres, Argeaque gramina paſtæ
Semine Cappadocum ſacris præſepibus edunt,

 Primus

181 meritis *vulg.* 188 numine *ante Heinſ. non certe male.* munere *MSS.* vivere *MSS.* lumine *ex conj. repoſuit Heinſ.* 189 choreis *MS.* coloris *MS.* 190 cauſa *MSS.* caa *Cuj.* choreis Conj. junctura tuum, *vel* tropæis-fotura ſ. fultura *al.*

180 *Regni Dotes*, munera, quæ debebantur domui regiæ pro puella regina.

181 De militaribus coronis multa ubique mentio. Locus claſſicus Plin. 16, 4 explicatus & illuſtratus a me Chreſtom. Plin. n. 72 collato præſertim altero Gellii 5, 6.

184 *Jugalem coronam* h. e. nuptialem ſ. matrimonium e domo regnatrice, militaris virtutis præmium interdum fuiſſe, docet hiſtoria tum ſacra, tum alia.

185 *Referre mercedem* hic dicitur ea ratione, ut referre gratiam.

167 Quis hic *dux* maritus Thermantiæ fuerit, non poteſt hodie, ut videtur, confici. Barthius conjicit, fuiſſe Bathanarium, de quo Zoſ. 5, 37: ſed levi nimis conjectura.

189 *Romana ſalus* hic ut Deæ cujusdam nomen poni videtur, ita fere ut alias Fortuna P. R. Quæ ſequuntur, ita intelligo; *Conjugium tuum*, Serena, fit in Stilichone *cura* & incitamentum *magnis coronis*, h. e. ad fortia facta patranda, & magnas inde promerendas coronas. Dativus caſus *coronis* poſitus pro accuſativo a præpoſitione *ad* recto. Sed dignius mihi locutus videretur poëta, ſi pro *cura* legeretur *cauſa*: quod nomen, cum invenire in bono libro optarem, voti critici me compotem mox obſervavi.

191 *Dilectus equorum* indicat illud quod eſt in tabula honorum Stilichonis *Comes domeſticorum & ſtabuli ſacri.* Vid. Guther. de Off. Do. Aug. 2, 17. Nam *ſacra* vocantur Conſtantinopolitanorum non *largitiones* modo, ſed *ſtabula* etiam & *præſepia.* Laudantur hic patriæ equorum inſignium. Atque Argos *ἱππόβοτον* quidem jam Homero laudatum Ιλ. Γ, 75 & 258. Vid. Varr. R. R. 2, 1. 9. *Phrygios* hoc poëtæ noſtri teſtimonio, ab ætate Vegetii non remoti, intelligo M-lom. 4,6.3 ubi *Frigiſci* librariorum culpa vocari videntur. Eodem loco memoratur *Cappadocum glorioſa curribus nobilitas.*

Primus honos. Gemino mox idem culmine duxit
Agmina: commiſſosque labor ſic geſſit honores,
Ut ſemper merito princeps cum magna dediſſet,
Deberet majora tamen. Si bellica nubes
Ingrueret, quamvis annis & jure minori
Cedere grandævos equitum peditumque Magiſtros
Adſpiceres, totumque palam permittere Martem.
Nec gradus ætatiſve pudor ſenioribus obſtat,
Ne juveni parere velint. Ceu flamine molli,
Tranquilliſque fretis, clavum ſibi quiſque regendum
Vindicat: incumbat ſi turbidus Auſter, & unda
Pulſet utrumque latus; poſito certamine nautæ
Contenti

193 *Quidam MSS. omittunt lacuna relicta.* gemino nox in germ. geminæ nex inde. geminæ mox inde. inde e germine duxit. geminæ nexu tibi germine. geminæ mox inde e gramine. geminæ nec inde Germania. g. n. i. germina. gemino nec inde gemin. duxit. geminæ vexivum gramine. mox ide germine. geminæ mox inde germine. gemino mox inde e gramine, geminæ nex inguiam duxit. gemino nox inde germina duxit. Primus honor, tantaque fide victricia duxit Agmina. *ſinguli MSS. apud Heinſ.* mox inde germine mouit *Cuj.* Culmine *fuit in libro Claverii.* gemino mox Idæ germine duxit *omnes ante Heinſ. et tuetur Hagenb.* V. N. 196 auderet *MS.* deferret *conj. Heinſ.* 199 permittere *MSS.* 200 non *Cuj.* 101 flumine *vulg.*

193 Eſſe in hoc verſu deſcriptionem Magiſtri utriusque militiæ per Orientem, dubium mihi non eſt. Hanc autem commode effici lectione, quam retinui, Heinſiana, itidem mihi liquet. *Culmen* certe de magiſterio & quocunque gradu altiore frequenter ponitur. Vid. Gothofr. Gloſſar. nomic. Cod. Theod. & ipſe noſter 3, 205. 17, 16 it. 31, 58. Sed hoc non eo valet, ut hanc Claudiani manum eſſe, auſim contendere. *Geminum Idæ germen*, interpretatur Cl. Hagenbuchius Epiſt. epigraph. p. 294 & (28) intelligit Idæ nomine ipſum Orientis imperium, cujus germen ſint milites. Mihi, ſi ſit a Claudiano, interpretari liberet, geminum baculum ſ. ſceptrum Symbolum duplicis magiſterii, ab Idæ nobiliſſima ſilva deciſum: ita ut illud 5, 162 *Fraternas ex æquo dividat haſtas* ſignificat exercitum a Theodoſio relictum inter fratres æquis partibus dividat.

194 *Labor* Stilichonis, h. e. conſueta Metonymia ipſe Stilicho laborioſa diligentia ſua *ſic geſſit* munera ſibi demandata atque *honores* &c. *Merito* deponentis ſignificatione, merenti.

200 *Pudor ætatis* vel eſt reverentia, quam ſuæ putabant habendam ætati a minori poteſtate majores; vel metus, ne ſibi turpe eſſet minori parere.

Contenti meliore manu, ſeſeque ratemque
Unius imperiis tradunt, artemque pavore
Confeſſis finem ſtudiis fecere procellæ.
Haud aliter Stilicho, fremuit cum Thracia belli
Tempeſtas, cunctis pariter cedentibus, unus
Eligitur ductor. ſuffragia quippe peregit
Judex vera timor. victus ratione ſalutis
Ambitus, & pulſus tacuit formidine livor.
  Quis tibi tunc per membra tremor, quantæque cadebant
Ubertim lacrimæ, cum ſæva vocantibus arma
Jam lituis, madido reſpectans limina vultu,
Optares reducem, galeæque inſerta minaci
Oſcula criſtati raperes feſtina mariti?
Gaudia quæ rurſus, cum poſt victricia tandem
Claſſica ſidereas ferratum pectus in ulnas
Exciperes: caſtæ tuto per dulcia noctis
Otia pugnarum ſeriem narrare juberes?
  Non illo nitidos umquam bellante capillos
Comere: non ſolitos gemmarum ſumere cultus.
Numinibus votiſve vacat, & ſupplice crine

206 ſeſeque pavere Confeſſi finem ſtudiis fecere procellæ, *omiſſo verſu toto ante Heinſ. qui ex* XI *codicibus ſic reſtituit.* 212 jacuit *vulg.* 213 rigor *MS.* 215 lumina *MSS.* numina *conj. Heinſ.* 220 *pro* dulcia, dubia *MSS.* devia *MS.* caſtæque tibi per *conj. Heinſ.*

206 *Procellæ* turbantes animos ac dejicientes *fecere finem ſtudiis* vectorum gubernare volentium, *pavore* ſuo *confeſſis artem* gubernatoris, quam ante vel contemnebant, vel vindicabant ſibi. *Studia* ipſos vectores ſignant, in quantum ſtudiis gubernandi turbantur & turbant.

215 Quomodo Serena hic in diſceſſu viri *reſpectet limina*, non facile eſt dicere. An fingit deducendi cauſa extra limen progreſſam, nunc in ipſo diſceſſu illud reſpicere, & velut oſtendere marito, atque commendare. Si *numina* legamus, intelligentur oculi in cælum ſublati.

219 *Sidereum* apud noſtrum poëtam & alios ſimpliciter præſtantiam inſignem, & Deô dignam notat: *ferratum pectus* eſt thorace munitum.

220 Poteſt *tuto* hoc facile intelligi. Nam tuto & ſecure adeo narrantur magno cum periculô acta. Sed niſi fallor non habet hic ſedem poëta tam bono dignam.

Verris humum. Teritur neglectæ gratia formæ
Cum proprio reditura viro. Nec deſide cura
Segnis marcet amor. laudem prudentia belli
Feminea pro parte ſubit. dum gentibus ille
Confligit, vigili tu proſpicis omnia ſenſu:
Ne quid in abſentem virtutibus obvia ſemper
Audeat invidiæ rabies, neu rumor iniquus;
Ne qua procul poſitis furto ſubſederit armis
Calliditas nocitura domi. Tu ſedula quondam
Rufino meditante nefas, cum quæreret artes
In ducis exitium, conjuratoſque foveret
Contra pila Getas, motus rimata latentes,
Mandatis tremebunda virum ſcriptiſque monebas.

RELIQUA DESIDERANTUR

225 tegitur *plerique edd. ſed* teritur *etiam Cuj.* 231 fervor iniquis *ante Claver.* fervor iniquus *al. ante Heinſ.* fulgor *MS.* ſeu fervet *MS.* non ſem. *MS. Latere hic aliquid, monet Heinſ.*

224 *Crine humum* templorum *verrere* Romanarum matronarum fuit in ſupplicatione vel obſecratione publica. Vid. Liv. 3, 7 extr. & ibi Drakenborch. Quod volebat Mariæ Magdalenæ honorem, Domino noſtro habitum, hinc explicare vir doctus, in eo mihi non liquet. Certe loco, conſilio, affectu diverſo utrumque factum eſſe, apparet.

230 *Obvia*, contraria. Vid. ad 82, 20.

232 *Furtum* vel maxime etiam de his dicitur quæ in bello occulta quadam arte aguntur. V. G. Virg. Aen. 11, 515 *Furta paro belli obſidam milite fauces.* Pluſcula dedimus in Theſauro.

236 *Pila* arma ita propria Romanis, ut eorum ſolo nomine ſatis Romanus exercitus ſignetur, ut Luca. 1, 7 *Pila minantia pilis.*

XXX

XXX

CL. CLAUDIANI

EPITHALAMIUM

DICTUM

P A L L A D I O

V. C. TRIBUNO ET NOTARIO

ET CELERINAE

PRAEFATIO

Carmina per thalamum, quamvis feſtina, negare
Nec volui genero, nec potui ſocero.
Hic ſocius, dux ille mihi; noſtrique per aulam
Ordinis hic conſors emicat, ille prior.
Hunc mihi conjungit ſtudiis communibus ætas;
Hunc mihi præponit vel ſenium, vel honos.
Carmen amor generi, ſoceri reverentia poſcit,
Officio vatis, militis obſequio.

* *Titulos* V. C. Tribuno & Notario *habet ſolus Heinſ. ex duobus libris. Licet ſuſpicari, horum ſcriptores uſos eſſe argumento verſus 3 & veteri titulo, in quo poëta noſter* V. C. Tribunus & Notarius *vocatur.* Serenæ *omnes ante Claver.* Celerinæ *MSS. Cuj. Plant. marg.* Epulamus dictus præfatio *MS.*

* Palladios plures habet Proſopographia Codicis Theodoſiani Gothofrediana: An horum aliquis hic celebretur, N. L. Nec, puto, de Celerina veri ſimile quidquam dici poteſt præter ea, quæ hic habentur v. 69 ſq. Quod Stilichonis filiam facit Claverius, mera hariolatio eſt.

3 *Dux ille*, forte Magiſter Officiorum, vel Primicerius Notariorum. Nomen *Ducis* late patet. Rationes officiorum & ordines non ſemper iidem. Vid. ad v. 82.

XXXI

EPITHALAMIUM

Forte Venus blando quæſitum frigore ſomnos
Vitibus intexti gremio ſucceſſerat antri,
Denſaque ſidereos per gramina fuderat artus,
Acclinis florum cumulo. criſpatur opaca
Pampinus, & mites undatim ventilat uvas.
Ora decet neglecta ſopor, faſtidit amictum
Aeſtus, & exuto translucent pectore frondes.
Idaliæ juxta famulæ, triplexque viciſſim
Nexa ſub ingenti requieſcit Gratia quercu.
Pennati paſſim pueri, quo quemque vocavit
Umbra,

1 quæſitans *MS.* ſomnum *ante Heinſ.* 2. 2 ſucceſſerat *ante Claver.* & ſeceſſerat *MSS.* 4 acclivi *Vien.* acclini *al.* *pro* florum, foribus *it.* floribus *MS.* 5 vitem ſudantem ventilat uvis *ante Heinſ.* mites ſudanti v. uva *MS.* multos ſudantem *MS.* muſto vitem ſudantem *MS.* *unde* & muſto ſudantem ventilat uvam *conj. Heinſ.* mites undatim vent. uvas *ex MS. Claverii Heinſ.* 7 ceſtus *conj. Heinſ.* excuſſo *MS.* 10 quacunque *Cuj.* vocabat *MS.* vocarat *conj. Heinſ.* *Mihi placeret* vocaret.

4 *Opaca pampinus* recte dicta a noſtro; ſi bene Servius ad Virg. Ecl. 7. 58 monuit, *Varronem genere feminino* hujus nominis *uti frequentius.* Quatenus exſtat Varro hodie, non puto exſtare exemplum. Sed eſſe dicunt etiam apud Apollinarem Sidonium. Columellæ 3. 18. 4 ſunt *pampini*, *quos ruſtici vocant racemarios*

5 *Undatim*, ut uvæ a vento motæ arcum deſcribant, qualem undæ.

6 Fuit, credo, in mente Poëtæ illud Naſonianum *Forma viros neglecta decet.* Ceterum Hypallage videtur hic uſus eſſe noſter: non tam *ſopor decet ora neglecta*, quam hæc ſoporem.

7 *Aeſtus* reſpondet conſilio Veneris v. 1 frigore quærentis ſomnos. *Ceſtus* decet ille quidem Venerem, ſed niſi fallor, non valde decet hunc locum. *Frondes translucent pectore*, h. e. tranſmittunt lucidum ſplendorem nivei pectoris.

8 *Idaliæ famulæ*, Nymphæ, quarum omne genus cognatum, & familiare, & prope dixerim peculiare, Veneri. *Triplex Gratia*, tres Gratiæ nexis etiam dum quieſcunt, implexiſque brachiis.

11 *Fluitant* remiſſo plane nervo, ut is agitari a vento poſſit, arcu immoto.

Umbra, jacent. fluitant arcus, ramiſque propinquis
Pendentes placido ſuſpirant igne pharetræ.
Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur.
Scrutantur nidos avium, vel roſcida læti
Mala legunt donum Veneris, flexuſque ſequuntur
Palmitis, & ſummas pennis librantur in ulmos.
Defendunt alii lucum; Dryadaſque procaces
Spectandi cupidas, & ruſtica Numina pellunt,
Silveſtreſque Deos. longeque tuentibus antrum
Flammea laſcivis intendunt ſpicula Faunis.
Cum ſubito varius vicina clamor ab urbe,
Et fauſti juvenum plauſus, miſtæque choreis
Auditæ per rura lyræ, Celerina per omnes
Italiæ canitur montes, omniſque maritum
Palladium reſonabat ager. pervenit ad aures
Vox jucunda Deæ, ſtrepituque excita reſedit,
Et reliquum nitido deterſit pollice ſomnum.
Utque erat indigeſta comas, turbata capillos,

Mollibus

11 propinquant *ante Claver.* propinquis *etiam Cuj.* 12 prudentes *ante Claver.* pendentes *etiam Cuj.* pendent & *MSS.* 13 pervigiles l. & per *MSS.* nidos alii *aut* vagantes *vel* vagati ſcrutantur, *aut* vagantur ſcrutati *conj. Heinſ.* 15 flexumque *MS.* flexumve *conj. Heinſ.* 17 lucos *MSS.* luco *conj. Heinſ. Vid. ad 22, 319.* 18 inſpectant cupidi *Cuj.* 23 tubæ *MS.* 28 utque erat interjecta *editi omnes.* Utque fuit intexta, interjecta, intecta, detecta, turbata, merita, incomta, impexa: Utque erat intexta, intecta, intertexta *in MSS. unde* indepexa *vel* indigeſta *conj. Heinſ.*
turbata papillas *MS.*

12 Audaci Metaphora ſic deſcribit tenuem luculam a pharetra & ſagittis repercuſſam, imaginem animorum amantium nunquam plane quietorum, ſed lene certe quiddam ac molle ſuſpirantium.

14 *Roſcida mala* non ſimpliciter a rore madentia; caloris enim & æſtus vitandi cauſa antrum ſubiit Venus (cf. v. 47): ſed ipſa amœnitas videtur hoc epitheto ſignari, ſive ſit a matutino frigore & humore, quem proprie deſignat, ſive ab alia cauſa, ut *roſcida mella, poma* &c.

26 *Reſidere* ἀνακαθίζειν proprie dicuntur, qui a decubitu caput & pectus attollunt.

28 Non valde mihi placet hic verſus, ut ταυτολόγος nimium: meliorem tamen ex illa ſilva varietatis, quam dedit Heinſius, eruere non poſſum: nec videtur ipſi, ſummo poëtæ, ſucceſſiſſe. Singula pulchra ſunt, *indigeſta comas*, & *turbata capillos*: conjuncta

Mollibus exſurgit ſtratis, Hymenæon & omne
Agmen, & innumeros Hymenæum poſcit Amores.
Hunc Muſa genitum legit Cytherea, ducemque
Præfecit thalamis: nullum junxiſſe cubile
Hoc ſine, nec primas fas eſt attollere tædas.
Conſpicitur tandem. Platano namque ille ſub alta
Fuſus inæquales cera texebat avenas,
Mænalioſque modos, & paſtoralia labris
Murmura tentabat relegens, oriſque recurſu
Diſſimilem tenui variabat arundine ventum.
Reſtitit, ut vidit Venerem, digitiſque remiſſis
Ad terram tacito defluxit fiſtula lapſu.
Dulce micant oculi. niveas infecerat igni

Solque

29 aſſurgit *ante Heinſ. Deinde* interque ſuorum Agmen - quærit *Heinſ.* 1 *eum Claver.* & VII *MSS.* revocatque ſuorum *MS.* procul ecce ſuorum *MS. poſt lacunam* Inde per immenſos Hy. quærit amores *MS. pro* quærit, poſcit *MS. pro* interque ſuorum, Hymenæus & omne *MS. unde lectionem, quam dedimus, effingit Heinſ. Commendat illam repetitio & difficultas.* 30 in numeris - Amoris *Raphel. ex conj.* 32 vinxiſſe *ante Heinſ.* 38 diſſimilis tenuem *vulg.* 40 flatu *MS.* 41 interſerit *MS. hinc* niveis interſerit ignem - genis *conj. Heinſ.*

cta offendunt. Qui voluit *turbata papillas*, ille obliviſcebatur, de Venere ſermonem eſſe, non de vetulæ alicujus pannuceis uberibus. Quomodo ex *indigeſta*, verbo rariuſculo, *interjecta* vel *intertexta*, in ſcriptura Langobardica, ortum ſit, intelligere mihi videor.

29 Venus, quæ audiſſet Hymenæum, h. e. nuptiale carmen, & clamores gratulantium, cupida & alacris Deum *Hymenæon* primo indiſcretim poſcit totum *agmen*, h. e. toti agmini imperat, Vocate mihi Hymenæon! Deinde, cum impatienti non ſtatim ſatisfieret, unicuique Cupidinum circa ſe ludentium ſingulatim, innumeriſque adeo, dat hoc negotium, & ipſa mox inventum alloquitur.

31 *Muſa* (ſive ea Calliope fuit, ſive Uranie) *genitum* Hymenæum facit etiam Martianus Capella in pr. *Tu, quem pſallentem thalamis, quem matre Camena Progenitum perhibent, copula ſacra Deum.* Deinde, *ſeu tibi quod Bacchus pater eſt placuiſſe choreas, cantare ad thalamos ſeu genetricis* (Veneris) *habes.* Nampe luxuriatur hic etiam Mythologia. Qui eam perſequi velit, inſpiciat laudatos ad Hygi. f. 273.

33 *Attollere tædas* ſolemne nuptiarum Vid. 5, 97.

35 Syringa, qualem Pan, Mænali Arcadiæ montis incola, habet, ſeptem fiſtulis inæqualibus conſtantem, componebat. Pan memoratur etiam v. 48 *Lycei* nomine.

40 *Tacito lapſu*, quia *defluxit*, h. e. non cecidit uno impetu, ſed lubrico motu ad veſtem vel membra adeo Hymenæi deſcendit.

Solque pudorque genas: dubiam lanuginis umbram
Cæſaries intonſa tegit. Prior ipſa ſilentem
Compellat: *„Numquam ne, puer, dilecta relinques*
Carmina? maternis numquam ſatiabere donis,
Dedite Muſarum ſtudio, nimiumque parentis
Aemule? quid medio tecum modularis in æſtu?
Jamne tibi ſordent citharæ? jam luſtra Lycei,
Atque pecus cordi, redituraque rupibus Echo?
Huc ades, & tantæ nobis ediſſere cauſſas
Lætitiæ. cui pompa toro tam clara reſultet,
Quæ nova dotetur virgo, patriamque genuſque
Pande, quibus terris orti, quo ſemine ducti.
Haud ignarus enim: nec te connubia fallunt
Ulla. tuo primæ libantur fœdere noctes.„
Ille refert: *„Equidem dudum te, Diva, morantem*
Mirabar, quid adhuc tanti ſecura maneres
Conjugii.

49 jamque pecus *MSS.* atque nemus *MS.* & *Cuj.* jamne nemus *conj. Heinſ.* 50 tantas, tacitæ, tandem *MSS.* 51 quæ pompa *vulg.* cui *etiam Cuj.* 55 tuo cunctæ *Cuj.* 56 morari *MS.* 57 quod adhuc *ante Heinſ.* 2, *qui formulam illuſtrat exemplis.*

42 *Dubiam lanuginis* h.e. novæ barbæ *umbram* pulchre dixit. Sed quomodo convenit, quomodo pictor exprimet, quod ſequitur *Cæſaries tegit?* prima lanugo exoritur, & primum conſpicua eſt in labio ſuperiore an illum quoque locum tegit cæſaries?

46 *Parentem* matrem intelligit? Sed tamen Bacchus quoque, quem Patrem quidam aſſignant Hymenæo ap. Serv. ad Aen. 4, 127 muſicus eſt, & amat tibias.

48 *Citharæ* urbanus magis & ſedatior cantus: tibiarum genus magis clamoſum, ſimplicius idem, pecorique & campis aptius. Homerus tamen Ἰλ. 2, 495 αὐλοὺς & φόρμιγγας in Hymenæo, hoc eſt cantu & ſtrepitu nuptiali conjungit. *Pſallentem* hoc eſt κιθαρίζοντα facit Capella loco, quem modo laudabam ad v. 31.

51 *Reſultare* ad ſonum & ſtrepitum pompæ refertur, quem auribus perceperat Venus. Et habet domicilium pene unicum hoc [illegible] in tali ſono, & clamore multitudinis, a ſilvis, rupibus, tectis relato: quod intelliget qui Theſaurum noſtrum volet inſpicere.

55 *Libare* eſt deguſtare, primum guſtum capere. Non libant conjugii voluptates prius novi mariti, quam Hymenæi h. e. nuptiarum fedus ictum ſit.

58 *Mandantur* & commendantur Veneri conjugi.., ut *origo* inde novæ ſtirpis exiſtat.

Conjugii. Non parva tibi mandatur origo.
Faſcibus inſignes, & legum culmine fultæ
Convenere domus, & qui lectiſſimus orbi
Sanguis erat. Rubris quæ fluctibus inſula latrat?
Quis locus Aethiopum? quæ ſic impervia famæ
Seceſſit regio, quo non rumore ſecundo
Palladii penetravit amor, mentiſque benigna
Temperies, doctique ſales, & grata ſenectus?
Per cunctos iit ille gradus, aulæque labores
Emenſus, tenuit ſummæ faſtigia ſedis,
Eoum ſtabili moderatus jure Senatum.
Hic ſplendor juveni. Cunabula prima puellæ
Danubius, veteresque Tomi. Mavortia matris
Nobilitas

60 lætiſſimus *ante Heinſ.* orbi *MS.* 61 flatibus *vulg.* fluctibus *etiam Cuj.* 62 qui locus *MS.* 63 ſucceſſit *vulg.* ſeceſſit *etiam Baſ. marg.* 64 penetrarit *malit Heinſ. et ego.* benignæ *ex MS. uno Heinſ.* 65 terga ſenectus *MSS. hinc* terſa *conj. Heinſ.* amica *MSS.* 67 tenuis *al.* 69 hinc *malit Heinſ.* juvenum *ante Clav.* 70 Marti, Martis *MS.* patris *vel* patri *conj. Heinſ.*

59 *Faſces* conſularem familiam notant: *Legum culmen* eſt Præfectura Prætorii. Vid. ad 29, 193.

61 *Latrare* de ſono fluctuum a ſaxis repercuſſorum dici, vel illa Scylla nos monere poteſt, *quam fama ſecuta eſt, Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris* &c. Virg. ecl. 6, 75. Sic noſter 33, 148. *Rubros fluctus* eſſe mare Erythræum, ſ. Orientalem omnem Oceanum, cum reliquo uſu poëtæ noſtri convenit, V. G. 5, 242.

67 Præfecturam Prætorii per Orientem, vel Præfecturam vrbis nouæ Romæ ſ. Conſtantinopolis ita ſignari, monuit Barthius. Sed ſuntne hæc *faſtigia ſummæ ſedis?* Eſtne Præfecti Prætorii vel urbis *Senatum moderari?* Aut egregie fallor, aut hæc Conſularia ſigna ſunt. Et tamen Palladium Conſulem alium non habent Faſti, præter illum *Junium Quartum Palladium*, qui cum Imp. Fl. Theodoſio jun. Aug. VII. Conſul fuit A. C. 416. Utrum hoc tempore ſuperfuerit Claudianus, utrum laudare Stilichonem (quod hic fit v. 93) octo annis ante punitum, auſus fuerit? mihi, ut nunc eſt, N. L. Poëtæ quidem noſtri ſtilum, virtutes, vitia agnoſcere mihi hic videor. Nec me valde movet quod abeſt hoc carmen in exemplaribus primæ editionis Vicentinæ.

70 *Veteres Tomos* non modo ab Ovidii exilio nobiles, ſed ab antiqua Abſyrri fabula, quæ urbi nomen dediſſe ferebatur, quam narrat Ovid. Triſt. 3, 9 & ita claudit, *Inde Tomos dictus locus hic, quia fertur in illo Membra ſoror fratris conſecuiſſe ſui.* Ceterum *Mavortia matris nobilitas* eſt, quia e gente bellicoſa Getarum, quia vir fortis & militibus carus Celerinus.

Nobilitas ſpoliis armiſque exſultat avitis,
Immenſamque trahit Celerini robore lucem,
Qui quondam Meroën juſſus Nilumque tueri,
Cum ſibi poſt domitas ad Parthica flumina Carras
Sceptra daret miles, rebuſque imponere vellet,
Deſpexit fremitus, & prætulit otia regno.
Reſpuit ingeſtum, quod vi, quod poſcere ferro
Poſthabita pietate ſolent. Tum purpura primum
Inferior virtute fuit, meruitque repulſam
Obvia majeſtas. Doluit Fortuna minorem

72 Celeris de *MS.* 74 domitos - claros *vulg.* domitos - Carros, domitas Carras, Caras *MS.* domitas ad Parthica flumina Carras *Claver. ſuffragante hiſtoria.* obitus & P. ful. caro *vel* claros *MSS. unde effinxit lectionem, quam dedi.* 77 inceſtum *vulg.* reſpuit, inceſtus quod *Claver.* incertum *Scal.* hoc ſceptrum *conj. Delr.* ingeſtum *MSS. Barth. curis ſecundis, qui etiam exemplis firmat, ut Heinſ.* 78 *pro* tum, non *vulg.* 79 meruitque *vulg.* *Sed* meruit *etiam Cuj.*

73 *Celerinus* avus, de majoribus certe Celerinæ ſponſæ unus, ſecundum hæc Præfectus Aegypto debet fuiſſe, & poſt mortem Cari, *fulmine* ut ferebatur, apud *Parthos* occiſi, ab exercitu ſalutatus eſſe Imperator, quem honorem moderate ac ſapienter deprecatus eſt. Utrum hoc ab alio quoque ſit traditum, valde dubito. Hoc poteſt fieri, ſi valde ſenex fuit, cum deferretur illi imperium, ut idem ſit *Cuſpidius Celerinus*, cujus ſenatoriam ſententiam refert Capitoli. Maximin. extr. *Celerinus & avia illius Celerina Martyrio coronata* ſunt apud Cyprianum Epiſt. 39. Rem ipſam, & lectionem Heinſianam unice firmat laudatus ab illo Sidonius Car. 23, 90 *Nam quis Perſidis expeditionem, Aut victricia caſtra præteribit Cari principis, & perambulatum Romanis legionibus Niphaten Tum cum fulmine raptus* (ſic leg. pro *captus*) *Imperator Vitam fulminibus parem peregit.*

76 *Fremitus* proprium nomen exprimendis vocibus multitudinis concitatæ.

77 *Ingeſtum* cum vehementia quadam & importunitate adeo oblatum: ut *ingerere ſe* dicuntur, qui calide nimis & importune petunt honores. Plin. Pan. 86, 2 *Præfectum Prætorii non ex ingerentibus, ſed ex ſubtrahentibus legere.*

79 *Meruit repulſam*, tulit, nullo reſpectu dignitatis, pro ingenio ſæculi jam Pliniani. *Obvia majeſtas*, imperium, quod ſe ultro obtulit, h. e. ab his, in quorum manu erat, oblatum eſt.

80 *Fortuna doluit ſe minorem* eſſe, ἐπιτραπεῖσα, dum conceſſit & permiſit ſe viro, qui eam vel amplecti ac retinere poſſet, vel, quod fecit, aſpernari. Amat Græcari, hoc eſt Græciſſare, noſter. Sed fateor, mihi magis probari vulgarum *confeſſa.*

Se conceſſa viro. Magnum delata poteſtas,
Majorem contemta probat. Cognomina ſumſit
Plena ducum genitor. Paulatim vectus ad altum
Princeps militiæ, qua non illuſtrior exſtat
Altera: cunctorum tabulas aſſignat honorum,
Regnorum tractat numeros, conſtringit in unum
Sparſas imperii vires, cuneosque recenſet
Diſpoſitos: quæ Sarmaticis cuſtodia ripis,
Quæ ſævis objecta Getis, quæ Saxona frenat
Vel Scotum legio. Quantæ cinxere cohortes
Oceanum: quanto pacatur milite Rhenus.
Caſta domus, ſincera fides, induſtria ſollers.
Elegit Stilicho. nihil ultra laudibus addi
Judicio re poteſt. tali nubente puella
Nonne tibi ceſſare nefas? duc protinus omnes,

Duc

81 confeſſa & *pro* delata, delecta *ante Heinſ.* 83 diem *MS.* ducit *MSS.* *unde* ducis *conj. Heinſ.* 84 quo - Alter *ante Heinſ.* 85 ac ſignat *conj. Heinſ.* 86 regnorum tractat numeros, cuneosque recenſet. Sparſas imperii vires conſtringit in unum Depoſitum *ante Heinſ.* 88 diſpoſitis *Cuj.* 90 quantum *vulg.* 91 quantum *vulg.* quantæ & quanto *etiam Cuj.*

82 Adhuc de avo Celerinæ, ſive is proavus fuit, aut quiscunque majorum. Jam de patre. Is *ſumſit plena ducis cognomina* h. e. ad ducatum ordinis ſui pervenit. Nec plane probare poſſum, ſed minus etiam refellere Jac. Gothofredi opinionem, qui ad C. Theod. to. 3 p. 110, a. *Militiam* intelligit Palatinam, & Celerinæ patrem facit Primicerium Notariorum, cujus muneris rationes hic ſatis accurate deſcribuntur. Talem virum hodie forte vocent noſtri Præſidem Cancellariæ, militaris præſertim.

85 *Tabulas honorum* hic intelligam principales codicillos, quibus imperium, honos, aut poteſtas quæcunque mandatur, quales habemus Varias illas Caſſiodori; reliqua pertinent ad notitiam, & ſummarium illud imperii vel breviarium, cujus ope uno velut obtutu intelligi poſſent opes imperii, & illud magnum corpus membris omnibus ſuis melius adminiſtrari. Hujus Notitiæ exemplum horum ipſorum temporum, non illud corruptionis expers, ſed tamen quantivis pretii, exſtat hodie a Guido Pancirolo & aliis qua emendatum qua explicatum. Poëta illa modo capita memorat, quæ cum re militari conjuncta ſunt. Notitia illa ad reliquas etiam imperii partes extenditur.

93 Hæc, ut dicebam ad v. 67, vix videntur ſcribi potuiſſe poſt caſum Stilichonis & vivo Honorio. Sed quando verſamur in tenebris a luce hiſtoriarum relicti, non deſunt viæ per conjecturas elabendi.

Duc age. marcentes cupio quaſſare coronas,
Et vibrare faces, & noctem ducere ludo.
Hæc quoque non vilem mihi fiſtula commodat uſum,
Reſponſura choris.„ Vix hæc Hymenæus. at illa
Fontibus abluitur gelidis, legemque capillo
Reddit, & ornatum formæ: preliſque ſolutæ
Mira Dioneæ ſumit velamina telæ.
Floribus exſtruitur currus: juga floribus halant.
Florea purpureas adnectunt frena columbas.
Undique concurrunt volucres, quæcumque fremente
Permulcent Atheſin cantu, quas Larius audit,
Quas Benacus alit, quas excipit amne quieto
Mincius. ereptis obmutuit unda querelis.
Eridani ripas, & raucæ ſtagna Paduſæ
Diffugiens nudavit olor. Lætantur Amores,

98 jam fiſtula *MSS.* populisque *ante Claver.* 102 Cleoneæ reddit *MS.* *Græciſmum dicit Heinſ.* 101 peplisque, peplumque, præliisque *MSS.* pplique *Cuj.* polita *vel* ſolutis *conj. Heinſ.* miracula *MSS.* 103 currum *MSS. quem malit Heinſ.* 105 frementem *vulg.* 108 abruptis *malit Heinſ.* 109 rauci *MS.* 110 viduavit

96 Quod dicit *marcentes coronas*, indicat, ſe continuare velle nuptialem hilaritatem, dum marceſcant ab æſtu & vapore corporum coronæ.

98 *Fiſtula* vel Syrinx, in qua compingenda occupatum Venus deprehenderat v. 35.

101 De hoc genere preli Sen. de Tranquillit. An. 1 *Non ex arcula prolata veſtis, non mille ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa.* In ſuavi odore deſcribendo Mart. 11, 9 *De Pallatinis dominæ quod ſerica prelis* ſpirant. Ammia. 28, 4 *Solutis preſſoriis veſtes luce nitentes arbitra.* Et tamen mihi in Dea non placet operoſa hæc machinatio.

102 *Dionea tela*, quam Dione mater Veneri neverat texueratque.

105 Luxuriat more ſuo Poëta in advocandis & congregandis undique circa Venerem avibus, pulchritudinis, levitatis, ſalacitatis cauſa huic choragio aptis. Porro aquas Italiæ Alpibus vicinæ memorat, ut indicet in illa parte, Mediolani forte, ubi tum aula, celebratas eſſe nuptias.

108 *Querelas* avium, ſpeciatim luſciniarum, vocari, ſolemne eſt: & *Queruntur in ſilvis aves* Hor. Epod. 2, 26.

109 *Raucam* vocat *Paduſam*, Padi ſ. Eridani oſtium, ob id ipſum quod rauco cycnorum ſtrepitu perſonet. Virg. Ae. 11, 458 *Piſcoſove amne Paduſæ Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cycni.*

Frenatiſque truces avibus per nubila vecti
Oſtentant ſe quiſque Deæ, magnoque tumultu
Confligunt; pronique manus in verbera tendunt,
Atque impune cadunt. Lapſus meliore volatu
Conſequitur, vincitque ſuos auriga jugales.
Ut thalami tetigere fores, tum vere rubentes
Deſuper invertunt calathos, largoſque roſarum
Imbres, & violas plenis ſparſere pharetris,
Collectas Veneris prato, quibus ipſe pepercit
Sirius, & teneras clementi ſidere fovit.
Gemmatis alii per totum balſama tectum
Effudere cadis, duro quæ ſaucius ungue
Niliacus pingui deſudat vulnere cortex.
Aggreditur Cytherea nurum, flentemqe pudico
Detra-

114 lapſu meliore volantes *vulg.* *Verſus hic* & 115 *erant tranſpoſiti.*
116 timuere rub. *Cuj.* 117 invergunt *conj. Heinſ.* & *citat ſe ad Ovid. Pont.* 1, 9. 54. 118 caniſtris *malit Heinſ. vid. Not.*
124 virum *primæ editt.* nurum *etiam Cuj.*

111 Mira ſuavitas & Alexandrinæ quædam deliciæ in *frenatis avibus*, in nomine *truces*, & in eo quod *oſtentant ſe quisque Deæ*. Huc mihi pictor aliquis ingenioſus, qui cum poëta certet. Illud *truces* in mentem mihi revocat Alexandrini archetypi Callimachi leporem, qui de Hymenæo Ἤθεα κυράων, inquit H. in Delum 297, μορμύσσεται. Μορμύσσεσθαι eſt geſtu quodam, & pronuncianda voce Μορμὼ pueros terrere leviter, ut paullo poſt videant. Sic puellas terret Hymenæi mentio. Sed reliqua etiam hujus loci ſunt dulciſſima.

114 *Impune cadunt* de ſuis velut equis, avibus, quia ipſi volucres, qui ſuperare volatu aves poſſint.

116 *Rubentes* non uno colore. Vid. ad 29, 7.

118 Dulcis quidam luſus, quod de *pharetris* modo Amores non ſagittas ſpargunt terribiles, ſed *violas*.

123 *Niliacus cortex* balſami non accurate, ſed licentia poëtarum dictus videri poſſit qui vicina loca permutare ſibi religioni non ducant. Plin. 12, 25 *Balſamum uni terrarum Judææ* (circa Hierichuntem Juſti. 36, 3) *conceſſum.* Et 6, 32 *Faſtidit balſamum alibi naſci.* Τῷ αὐλῶνι. τῷ περὶ Συρίαν ſoli etiam aſſignaverat Theophr. 9, 6. Verum ſalva res eſt: cum Aegypto etiam communicavit hanc laudem Dioſcorides 1, 18. Quin ex Aegypto & Arabia illatum Judææ non improbabile eſt. Vid. Jo. Bodæus a Stapel ad Theophraſti l. c. p. 997 ſq. Nec falli hac in re potuiſſe Alexandrinum Poëtam, & virum doctiſſimum, facile credas. Quod *ungue ſaucius* cortex hic memoratur, Plinii quoque obſervatio eſt, ferro vitalia hujus arbuſculæ lædi, & Tac. hiſt. 5, 6. 3.

124 *Nurus* poëtis mulier juvencula nuptiis vel jam devincta, vel certe

Detraxit matris gremio. matura tumeſcit
Virginitas, ſuperatque nives ac lilia candor,
Et patrium flavis teſtatur crinibus Iſtrum.
Tum dextram complexa viri, dextramque puellæ
Tradit, & his ultro ſancit connubia dictis:
„*Vivite concordes, & noſtrum diſcite munus.*
Oſcula mille ſonent. liveſcant brachia nexu,
Labra ligent animas. neu tu virtute paterna
Confidas, juvenis. non eſt terrore domanda,
Sed precibus pacanda tibi. Concede marito
Tu quoque, neu Scythicas infenſis unguibus iras
Exercere velis. vinci patiare rogamus.
Sic uxor, ſic mater eris. quid lumina tingis,
Virgo? crede mihi, quem nunc horreſcis, amabis.„
Dixit: & aligera geminos arcuque manuque
Præſtantes e plebe vocat. puer ilicet Aethon,
Et Pyrois rutilas reſperſi murice plumas
Proſiliunt, puroque imbutis melle ſagittis,
Hic nuptam petit, ille virum. ſonuere reducta
Cornua. certa Notos pariter ſulcavit arundo,
Et pariter fixis hæſerunt tela medullis.

132 animos *vulg.* animas *e conj. Heinſ.* 134 placanda *vulg.* 137 eas *malit Heinſ. vid. ad* 20, 156. 139 aligeros *Barth.* 2. 140 ex plebe *Cuj.* 141 diſperſi *vulg.*

certe deſtinata, ut Gr. νύμφη. *Pudicum gremium matris*, in quod præ pudore ſe puella recepit.

125 *Tumeſcit virginitas.* Vid. ad 29, 121.

127 *Flavi crines* inſigne Germanicarum gentium. Sic de Biſſula ſua Auſo. Id. 17 p. 341 *Oculos cærula, flava comas.* Sic noſter 21, 38 &c.

130 *Diſcite*, ut 22, 74. Sic 35, 368.

132 *Animas*, τὰς ψυχὰς, cum reſpectu ad occurrentem ſibi halitum, quæ proprie *anima* eſt. Pluſcula dedit ad h. l. Heinſius. Ipſe noſter 14, 23 *Et, labris animam conciliantibus, Alternum rapiat ſomnus anhelitum.*

140 *Aethon & Pyrois* alias nomina equorum Solis. Nempe αἴθων ardens, πυρόεις igneus.

142 *Puro melle*, ut nihil ſit in hoc vulnere amari fellis. Amor alias γλυκύπικρον.

143 *Reducta cornua*, arcum oſtendunt vehementer adductum, ferientem fortiter.

XXXII

CL. CLAUDIANI

IN LIBRUM I

DE

RAPTU PROSERPINAE

PRAEFATIO

Inventa ſecuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis ſollicitavit aquas:
Qui dubiis auſus committere flatibus alnum,
Quas natura negat, præbuit arte vias.
Tranquillis primum trepidus ſe credidit undis,
Litora ſecuro tramite ſumma legens:
Mox longos tentare ſinus, & linquere terras,
Et leni cœpit pandere vela Noto.

Aſt

* Raptus Proſerpinæ *inſcriptum ab auctore, putat Heinſ.*
3 fluctibus *Cuj.* aluum *ſolus habet ac defendit. Biſſ.*
6 ſecreto *MS.*

2 *Rudes* remos intelligere licet aut fabrili arte non politos, aut, quod præferam, novos, recens inventos, quamquam ob id ipſum quoque artis & polituræ omnis expertes.

7 *Longos ſinus* merito vocat, quatenus hoc nomine venit etiam ſinus Adriaticus, Arabicus, magna maria, & totum mare mediterraneum a Plinio 3, 1 in quatuor ſinus, quos deinde enarrat, dividitur.

Aſt ubi paullatim præceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum:
Jam vagus exſultat pelago, cælumque ſecutus
Aegeas hiemes, Ioniumque domat.

9 in præc. *al.* 11 irrupit *ante Heinſ.* irrumpit *MSS.* pelagus *MSS.* exſultat *Baſ. marg. Plant. marg. Heinſ.* 12 Ioniasque *eſt a Scal. improbante Barthio, in cujus tamen, ut & Heinſii exempla irrepſit.*

11 *Exſultare* de omni genere intemperantiæ modum excedentis dici, poſſunt, ſi quis dubitet, docere Theſauri etiam noſtri. *Cælum ſequitur* nauta, dum ad arctoa ſidera navis curſum regit. *Aegeas hiemes* etiam Statius Silv. 5, 2. 5 vocavit tempeſtates ac procellas in Aegeo mari propter inſularum & promuntoriorum multitudinem ſolemnes & graves. *Ionium* ſubſtantive, h. e. elliptice dicere optimi quique ſolent, etiam cum adjectivo *Immenſum*, *Magnum* &c. Sic noſter 8, 461. Ceterum hoc proœmium abruptum, ſi non truncatum, eſt: deſtituitur enim apodoſi in hanc fere ſententiam, Sicut nautæ primi, ipſo ſucceſſu audaciores facti, & ultra progreſſi ſunt: ita ego favore & proceſſu minorum opuſculorum ad majora audenda invitatus, eo tandem provectus ſum, ut canere facinus omnium maximum, raptum Proſerpinæ, ſuſceperim. Utrum ipſe Poëta recitaturus hunc librum, abrupta adeo præfatione excitare auditorum attentionem voluerit, non dixerim. Propendet animus, ut credam, reliqua deeſſe.

XXXIII

CL. CLAUDIANI
DE
RAPTU PROSERPINAE

LIBER I

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ
Junonis thalamos audaci prodere cantu
Mens congeſta jubet. Greſſus removete, profani.
Jam

2 Tartareo *Vien. marg.* 3 promere *ante Heinſ. præter Baſ.* & *Claver. qui* prodere, *ut Heinſ. ex MSS. qui* & *aliunde firmat.* 4 concuſſa, commota *MS. apud Dempſt.*

1 Non placuiſſet Horatio hoc exordium, cui comparatum modeſtum videri poteſt illud quod reprehendit Art. Poët. 137 *Fortunam Priami cantabo*, & *nobile bellum.* *Afflatus* alias ipſis ſideribus tribuitur, cum vim ſuam in terreſtria exſerunt: hic ſidera afflantur ab equis Plutonis: hi enim ſunt *currus*, & quidem *Tænarius*, quod Laconicæ illud promuntorium ſpiraculum quoddam inferorum habere crederetur, per quod Cerberum eduxerit Hercules, quod refellit Pauſa. Lacon. ſ. 3, 25. Ceterum hoc in ingreſſu ſtatim annotationis noſtræ monendi ſunt ſtudioſi, operæ pretium eſſe cum toto hoc carmine componere Callimachi Hymnum in Cererem Ez. Spanhemii obſervationibus illuſtratum, adeo mutuas ſibi operas præbent duo Poëtæ Alexandrini, adeo hic etiam ſui ſimilis, ſuperior cunctis, eſt Spanhemius.

4 Brodæus Miſc. 1, 4 *mentem congeſtam* Poëtæ comparat cum Platonica ratione, de qua in Phædone Socrates, de illa mortis μελέτῃ, qua jubet (p. 379, G) illam ἐθίσαι αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν πανταχόθεν ἐκ τοῦ σώματος συναγείρεσθαί τε καὶ ἀθροίζεσθαι, & talem animam appellat (p.381, A) αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν συνηθροισμένην, collectam, congeſtam. Sed non profecto a corpore in ſe ipſam hic revocat animam noſter: potius res a ſenſu remotas velut oculis admovet. Itaque ſimpliciter eo ſenſu accipio, quo ipſum verbum *cogitandi*, h. e. cogendi, coagitandi notiones & conferendi. Hae credo ſunt etiam πυκιναὶ φρένες Homeri, πυκνὴ βουλὴ e. i. g. a.

Greſſus removete profani! ἑκὰς, ἑκὰς ὅστις ἀλιτρὸς, vox, qua arcentur a Callimacho H. in Apoll. 2 non ſimpliciter ἀμύητοι, non initiati, ut in ſacris Eleuſiniis; ſed Apollinis præſentia propter ma-

Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus
Expulit, & totum ſpirant præcordia Phœbum.
Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram diſpergere culmina lucem,
Adventum teſtata Dei. Jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit
Cecropium, ſanctaſque faces attollit Eleuſin.
Angues Triptolemi ſtridunt, & ſquamea curvis

8 lumina *vel* limina *MSS.* fulmina *conj. Meurſ. Eleuſ.* c. 11. culmine *conj. Heinſ.* 10 ſtrepitus *Guelf.* 11 Cecropidum *al.* extollit *al.* Eleuſis *ante Heinſ.* 12 ſtrident *Clav.*

Iam mentem vel vitam indigni, quod monet Spanhemius. Hic aperta ad Eleuſinia ſacra alluſio eſt, quam vel ipſum nomen *Eleuſin* vel argumentum carminis declarat: quam etiam obſervarunt olim interpretes in illo Aen. 6, 258 *Procul o procul eſte profani.*

5 *Furunt*, certe ſimulant ſe furere a præſentia numinis, quo agitari ſe dicunt, vates. Plato Timæo p. 545, G ἱκανὸν σημεῖον, ὡς μαντικὴν ἀφροσύνῃ θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν. Οὐδεὶς γὰρ ἔννους ἐφάπτεται μαντικῆς ἐνθέου καὶ ἀληθοῦς, ἀλλ' ἢ καθ' ὕπνον τὴν τῆς φρονήσεως πεδηθεὶς δύναμιν ἢ διὰ νόσον, ἤ τινα ἐνθουσιασμὸν παραλλάξας. Similia his ſunt in Phædro p. 343, G. ubi etiam a furore, μανίᾳ, μανικὴν dictam ait, quam poſteriores malo pudore in μαντικὴν converterint. Sed infinita ſunt, quæ ad h. l. Parrhaſius, Barthiusque, & ad Aeneidos 6, 47 ſqq. Lacerda congeſſerunt. Quod eſt de *humanis ſenſibus*, ex eo intelligas, quid ſibi velit in re tali Luca. 5, 167 ubi Apollo *Phoebados mentem priorem Expulit, atque hominem toto ſibi cedere juſſit Pectore.*

7 Etiam apud Callim. l. c. non palma modo Apollinis templo adſita, ſed totum templum, ὅλον τὸ μέλαθρον, moveri videtur: quam rem varie illuſtrat Spanhemius. Et cui hic non in mentem venit noſter vates Jeſaias 6, 4? Virg. Aen. 3, 90 *Tremere omnia viſa repente Liminaque, laurusque Dei, totusque moveri Mons circum, & mugire adytis cortina recluſis.*

8 Naturale prope eſt homini Deo lucem tribuere, lucem & ignem facere Symbolum præſentiæ divinæ. Hæc eſt apud noſtros δόξα κυρίου.

10 Sic Aen. 6, 256 *ſub pedibus mugire ſolum.*

11 Hic cogitatione & enthuſiaſmo poëtico ſe transfert in Cecropiam, h. e. Atticam, poëta, in templum Cereris Eleuſiniæ, cujus ſacra in primis etiam λαμπαδηφορίᾳ, facum geſtatione, celebrabantur, quæ memoriam contineret Cereris Proſerpinam a Plutone raptam accenſis facibus quærentis. Vid. Meurſ. Eleuſin. c. 25. His enim ſe ſacris fingit intereſſe, & videre quæ ibi, arte credo quadam, oſtendebantur, de quibus Meurſ. Eleuſ. c. 11, ubi inter alia ex Plethonis Schol. in Orac. Zoroaſtris (p. 87 Gallæi) τὰ τελουμένοις φαινόμενα κεραυνοὶ, καὶ πῦρ.

12 *Triptolemo* ad felicius impertiendam hominibus agriculturam dedit Ceres currum ſerpentibus alatis junctum. Vid. Apollod. Bibl. 1, 5. 2. Ovid. Met. 5, 642 ſqq. Hunc repræſentabant, arbitror, in myſteriis. Vid. infra 180 ſqq.

Colla levant attrita jugis, lapſuque ſereno
Erecti roſeas tendunt ad carmina criſtas.
Ecce procul ternas Hecate variata figuras
Exoritur, leniſque ſimul procedit Iacchus
Crinali florens edera, quem Parthica velat
Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.

Ebria

13 addicta *Cuj.* aſtricta *Vic. Vien. Ald. Junt.* attrita *Baſ. & rell.* 15 ternis — figuris *ante Heinſ.* 16 lætusque *al.* leniſque *etiam Baſ. marg. & Plant. marg.* 17 Parthia *MS. Similia adjectiva hic colligit Heinſ.*

14 *Lapſum ſerenum* illis tribuit, non terribilem, ſed placidum, quaſi demulcendos ſe poëtæ carmini præbentibus.

15 Pergit enarrare pompam Eleuſiniam. In hac eſt Hecate triformis, Diana, Luna ſ. Lucina eadem, atque Proſerpina. Sed hic ut inferorum numen, & umbrarum monſtrorumque regina quædam conſideratur: ut in apparatu magici ſacrificii moritura Dido vocat (Aen. 4, 511) *Erebumque, Chaosque, Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.*

16 *Iacchus* in his ſacris vel ipſe Bacchus notus alias hoc nomine, filius ex Jove Cereris, Proſerpinæ ſ. Liberæ frater, quatenus puer adhuc eſt, & ideo *lenis*, nondum pugnax: vel filius Baubonis, cujuscunque denique herois Attici puer, quem pro ſuo tum Ceres lactaverit. Jungi certe ſolent in his ſacris *Ceres*, *Proſerpina*, *Iacchus.* Hi Artemid. 2, 44 bonum ſignificant initiatis, non initiatis terrorem. Eorum ſimulacra ſunt in templo Cereris apud Atticos Pauſa. 1, 2. Apud Herodot. 8, 65 clamor aliquis Eleuſiniorum ſolemnis eſt ὁ μυστικὸς Ἴακχος. Heſych. ἡ ᾠδὴ, ἣν οἱ μεμυημένοι ᾄδουσι. De puero Iaccho multa Da. Heinſ. ad Clem. Alex. Cohort. ad gentes p. 17 ſq. Potter. &, qui illum refellit Salmaſ. ad Soli. p. 527, b ſq. Neuter uſus videtur Orphicis hymnis, ubi Iacchum λύσειον (nomen Lyæo cognatum) & θεσμοφόρον Διόνυσον, eumque Eleuſine coli ſolitum, cani video H. 41 p. 140, & λύσιον ληναῖον, cum reliquis Bacchi epithetis H. 49 p. 146. Quod ibi vocatur παυσίπονος, & φιλάλυπος & ſtatim ἐπάφιος, illud facit, ut putem Orphicos apud Clementem verſus, de quibus diſceptabant magni viri, ita eſſe legendos: Ὣς εἰποῦσα, πέπλους ἀνεσύρατο, δεῖξέ τε πάντα Σώματος οὐδὲ πρέποντα τύπον· παῖς δ' ἦεν Ἴακχος, Χειρὶ δ' ἑὴν ῥίπτεσκε γελῶν βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις. Hæc, niſi fallor, ita convertit Arnobius L. 5 p. 175 *Sic effata, ſinu veſtem contraxit ab imo, Objecitque oculis formatas inguinibus res Quas cava ſuccutiens Bacchi manu, nam puerilis Olli voltus erat, plaudit, contrectat amice.* Sic certe Bacchus idemque Iacchus, παυσίλυπος fuerit, & φιλάλυπος reſpectu matris ſuæ; quantum ad Baubonem vero ἐπάφιος, a verbo ἐφάπτομαι derivato nomine, quod ſcite Scaliger reddidit, a tangendo *Tages*, ſimplicior aliquis *contrectatorem* forte dicturus erat. Non opus eſt hæc declarari ulterius. Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι ἑκὰς, ἑκὰς οἱ ἀμύητοι.

17 Vel *edera* ſatis hic Bacchum declarat, & reliquus habitus, cum *thyrſo.* Quamquam de *be-*

Ebria Mœonius firmat veſtigia thyrſus.
Dii, quibus in numerum vacui famulantur Averni
Vulgus iners, opibus quorum donatur avaris
Quidquid in orbe perit, quos Styx liventibus ambit
Interfuſa vadis, & quos fumantia torquens
Aequora vorticibus Phlegethon perluſtrat anhelis;
Vos mihi ſacrarum penetralia pandite rerum,
Et veſtri ſecreta poli. Qua lampade Ditem
Flexit Amor, quo ducta ferox Proſerpina raptu
Poſſedit dotale Chaos, quantaſque per oras
Sollicito genitrix erraverit anxia curſu.
Vnde datæ populis leges, & glande relicta

Ceſſerit

19 Mæoniis -- thyrſis *vulg.* figit *Vic. Vien. Ald. Junt.* fulcit *Baſ. Plant. Barth.* firmat *Claver. Heinſ.* *ut* 7, 39. 20 famulatur *al.* famulantur *etiam primæ editt.* 21 animis *Cuj.* 24 gurgitibus *MSS.* 26 quod (*ſ.* quo) vulnere Ditem Læſit *Cuj.* 27 ulſit (uſſit) *MS. Clav. quod convenit ad* Lampada. 30 fruges *anteHeinſ. qui etiam Virg. Aen.* 4, 58 frugiferæ Cereri legiferam *ſubſtituit. Pro* &, tum *MSS.* ut *vel* cur *malit Heinſ.*

dera reprehenditur Claudianus a Meurſio c. 27, qui ex Ariſtophane (Ran. 333) oſtendit, in his ſacris myrto potius coronatum. *Tigris*, h. e. pellis ejus feræ, cujus *aurati ungues*, ut apud Virg. Aen. 5, 352 *Tergum Gætuli immane leonis --- villis onerosum, atque unguibus aureis. In nodum colligere ungues* intelligo, unguibus illis tanquam fibulis uti ad conſtringendam ſub mento, vel in dextro humero pellem. De *thyrſo* vid. 20, 205 ſq.

20 Jam alloquitur Deos inferos, Maronem imitatus Aen. 6, 264 *DI quibus imperium eſt animarum, Umbræque ſilentes, Et Chaos, & Phlegethon* &c. *Famulantur vulgus*, docta Syneſi, & optimis quibusque uſitata.

21 Philoſophatur poëta more Heraclitico, nihil perire omnino e rerum natura, ſed redigi in ᾅδην quæ mori vel interire dicimus, h. e. in eam conditionem, ubi nec viſui, nec alii ſenſui ſint expoſita. Vid. v. 55 ſqq.

21 *Avarae opes*, quibus nihil decedit, ſed accedit perpetuo.

26 *Lampade flectere* fila ferrea, & tubulos vitreos ſolent artifices. Sed an hoc modo Ditem Cupido flexerit, viderint manes Claudiani. Mihi multo magis placent conjecturæ, quas in varietate lectionis propoſui.

28 *Chaos* ſatis declaratum eſt ad 5, 525. Quod *dotale* vocat, intelligimus, *dotem* latius patere quam apud ICtos: & comprehendere, quidquid nuptiarum cauſa datur mulieri. Nam *dotale Chaos* ſine dubio eſt, quod Proſerpina habet, quatenus eſt in matrimonio Plutonis. Sic etiam de majoribus noſtris Tac. c. 18, 2 *Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert.*

30 *Unde*, ut alias, ad perſonam refertur: a Cerere enim occaſione illius

Ceſſerit inventis Dodonia quercus ariſtis.
Dux Erebi quondam tumidas exarſit in iras
Prælia moturus Superis, quod ſolus egeret
Connubii, ſterileſque diu conſumeret annos,
Impatiens neſcire torum, nullaſque mariti
Illecebras, nec dulce patris cognoſcere nomen.
Jam quæcumque latent ferali monſtra barathro
In turmas aciemque ruunt, contraque Tonantem
Conjurant Furiæ: crinitaque fontibus hydris
Tiſiphone, quatiens infauſto lumine pinum,
Armatos ad caſtra vocat pallentia Manes.

Pene

32 exivit *MSS.* 33 ſolu' careret *Cuj.* 34 connubiis *vulg.* 35 nudasque maritæ *MS.* 40 infeſto *Baſ. Plant. Barth.* infauſto *Vic. Vien.*

illius muneris ſui, frugum, leges etiam datæ: unde θεσμοφόρος, Legiſera vocatur, & ſacrum illi annuum hoc nomine conſtitutum, θεσμοφόρια. Nempe cum agricultura Athenienſes etiam receperunt diviſionem agrorum accuratam, & limites privatorum quoque prædiorum a nemine civium violandos: porro quod quisque cultu ſuo, ſuo in agro, effeciſſet, hoc ipſi proprium præſtare debebat reſp. ut a nemine impune poſſet violari. Hæc legum initia, unde ad reliquam humanitatem civilitatemque progreſſus facilis fuit.

Ante fruges inventas glande veſci, βαλανηφαγεῖν, putabantur homines, fructu copioſo, ad aſſervandum per hiemem apto &c. Pulchre βαλανηφαγίαν illam cum reliqua vitæ barbarie & fœditate conjungit Horat. Sat. 1, 3. 9 *Cum prorepſerunt primis animalia terris, Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro Pugnabant armis* &c. Sed hiſtoriolam damus ad 36, 43. *Dodonia quercus* & ſimilia poëtis placuere, ut ſimul admonerent juniores de patriis rerum quacunque cauſa nobilium. In univerſum hoc videtur conſilium poëtarum ab Homero inde fuiſſe, ut Geographiam, fundum quaſi omnis hiſtoriæ, docerent.

32 Hinc initium quaſi tractationis, in quo hoc ipſum non valde poëticum, certe de Horatii A. P. 147 ſententia eſt, quod rem nimis ab ovo orditur. Sed hoc philoſophum & Platonis medicorumque rationibus accommodatum, quod negatum Veneris uſum in furorem exire ponit: hunc furorem *tumida ira* ſignat. *Ducem Erebi* vocat Plutonem, quatenus *Erebi* nomine æque atque altero inferorum utitur. Ceterum hoc Erebi nomine idem fere ac Chaos, tenebricoſa rerum omnium miſcela & confuſio, ſignificatur.

37 *Ferale barathrum*, ſedes infelicium animarum, tartarus.

40 *Pinum* non puto ita dici, ut totam, quemadmodum in Cerere, vel Gigante aliquo, arborem velit intelligi, ſed ſimpliciter facem pineam.

Pæne reluctatis iterum pugnantia rebus
Rupiſſent elementa fidem, penitusque revulſo
Carcere, laxatis pubes Titania vinclis,
Vidiſſet cæleſte jubar, rurſusque cruentus
Aegæon poſitis arcto de corpore nodis
Obvia centeno vexaſſet fulmina motu.
Sed Parcæ vetuere minas, orbique timentes
Ante pedes ſoliumque ducis fudere ſeveram
Canitiem, genibusque ſuas cum ſupplice vultu
Admovere manus, quarum ſub jure tenentur
Omnia, quæ ſeriem fatorum pollice ducunt,
Longaque ferratis evolvunt ſæcula penſis.
Prima fero Lacheſis clamabat talia regi,
Incultas diſperſa comas: „*O maxime noctis*
Arbiter, umbrarumque potens, cui noſtra laborant
Stamina;

42 reſolutis *Cuj.* 46 aucto ſ. ancto *MSS. it. Baſ. marg.* arctato corp. *MS. Cuj.* pectore *MS.* 50 fletu *MSS. etiam Guelf. it. editi ante Clav.* 52 fatali *MS.* 53 fuſis *MSS.*

42 ***Iterum***, nam hæc antiqui Chaus conditio, cum, ut canit Naſo Met. 1, 19 *Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis, Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.*

44 *Pubes Titania* gigantes, de quibus in Gigantomachia c. 37.

46 *Arctum* participii ratione accipiendum, quaſi eſſet *arctato*, h. e. conſtricto.

47 *Obvia fulmina*, contra ſe miſſa, *vexaſſet* vel declinando vel in contrarium dirigendo, *centeno motu* totidem manuum. Nempe Aegæon eſt ἑκατόγχειρος ille Ιλ. Α, 403 ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα.

48 Quod *Parcæ vetuere minas*, pulchre & decenter dictum: ſed illa ſupplicatio *ante pedes* Plutonis non placet, ſi quidem Parcæ ſint fatum, cui Jovem & omnes Deos, Ditemque adeo ipſum etiam ſubjicere ſolent. Sed nempe Parcæ, ut fit in Mythologia ſat frequenter, hic aliam perſonam ſuſtinent, inferorum pars ſunt, & regni Plutonis, filiæque adeo vel ipſius vel Noctis & Erebi.

49 Sic Pompejus apud Luca. 7, 372 facit *Senatum -- ſacros pedibus* militum *proſternere canos* Genibus admovere manus antiquiſſimum. Thetis Homerica Ιλ. α, 500 altera manu genua patris, altera barbam prehendit.

53 *Ferrata penſa* vocat pro laneis, ad indicandam firmitatem & velut rigorem fatorum.

54 *Ferum regem*, non modo epitheto perpetuo dici poſſe Plutonem, apparet: ſed quatenus nunc Veneris quodam œſtro ac furore efferatus eſt.

55 Hæc jam oratio habet velut Hymnum Plutonis, & ea philoſophemata, de quibus dictum ad 5, 525.

Stamina; qui finem cunctis & ſemina præbes,
Naſcendique vices alterna morte rependis:
Qui vitam letumque regis. (Nam quidquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi, certiſque ambagibus ævi
Rurſus corporeos animæ mittuntur in ortus.)
Ne pete firmatas pacis diſſolvere leges,
Quas dedimus, nevitque colus: neu fœdera fratrum
Civili converte tuba. cur impia tollis .
Signa?

58 reponis *vel* reſolvis *Cuj.* 59 ſeris *MS. quod firmat aliunde Heinſ.* 61 certique *conj. Heinſ.* 62 mutantur in artus *primæ editt. & Heinſ. ex MSS. quos meliores ait.* mittuntur *Baſ.* mittuntur in Ortus *Baſ. marg. Claver. ex MS. Janſ. Barth.* 65 convelle *conj. Scal.* committe *MSS.*

5, 525. Pluto ille, Chaos, ᾅδης, res una eademque, confuſa quædam congeries elementorum & ſeminum, ſenſus externos fugientium, e qua oriuntur, in quam reſolvuntur omnia. Parcarum eſt, τῶν Μοιρῶν, aſſignare unicuique horum elementorum ſuam ſortem, μοῖραν, ortus, quem Lacheſis gubernat, durationis, quam regit Clotho, & reditus in chaos, quam mortem vocant, cui Atropos præeſt. Qui vult eam partem antiquæ philoſophiæ cognoſcere penitus, illi ſatis puto poſſe fieri legenda noſtra de Animabus Hippocratis & Heracliti diſputatione, tertiis curis expolita in Commentar. Soc. R. Gotting. To. I. Qui vero poëtarum comparare virtutes voluerit, ille ſextum Aeneidos a v. 713 & Silii 13, 558 cum hoc noſtro contendens, jucunde, ſi quidem ſenſum habeat talium, afficietur.

58 *Alterna morte*, nam quæ apud nos moriuntur, ea naſcuntur Chao & vice verſa.

62 *Animæ* in illa philoſophia Heraclitica ſunt ipſa illa prima elementa, & ſemina rerum, v. g. animalium, quæ ſi forte quadam ſua, μοίρᾳ, in locum & ſedem ſibi aptam, vaſa ſeminalia, deferantur, ibi augeſcunt, h. e. explicantur in membra ſua, creſcunt &c. poſt mortem autem diſperſis, quæ aſſumtæ fuerant particulis, in illam priorem tenuitatem redeunt, e qua per novam ſortem redire illis contingit. Hæc ſententia non male explicatur, ſive dicas *animas in artus mutari*, ſive *mitti in ortus:* ſed hoc mihi, in auctoritate pari, videtur præferendum quia magis philoſophum, magis Claudiano dignum. Apud Silium *animæ cælum repetunt, redeunt in corpora.* Similia plura apud Virgilium. Animæ Heracliticæ antequam redeant in corpora, jam habent omnia membra &c. Sed etiam illud *mutare* ornauit Heinſius. Eligat quisque quod placebit.

65 *Civili tuba, ſignis impiis*, bellum inteſtinum inter fratres ſignificat. Solent illum naturæ ordinem, quo continentur omnia, *pacis, fœderis* ſimilibusque nominibus indicare. Poſtquam enim perſonas fecere cælum, terram, elementa reliqua, ſupererat, ut tanquam perſonis diſcordiam

Signa? quid inceſtis aperis Titanibus auras?
Poſce Jovem, dabitur conjux.„ Vix illa: pepercit,
Erubuitque preces, animiſque relanguit atrox,
Quamvis indocilis flecti. Ceu turbine rauco
Cum gravis armatur Boreas, glacieque nivali
Hiſpidus & Getica concretus grandine pennas,
Bella cupit, pelagus, ſilvas, campoſque ſonoro
Flamine rapturus: ſi forte adverſus aënos
Aeolus objecit poſtes, vaneſcit inanis
Impetus, & fractæ redeunt in clauſtra procellæ.
Tum Maja genitum, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri. Cyllenius adſtitit ales,
Somniferam quatiens virgam, tectuſque galero.
Ipſe rudi fultus ſolio, nigraque verendus
Majeſtate ſedet. ſqualent immania fœdo
Sceptra ſitu; ſublime caput mæſtiſſima nubes
Aſperat, & diræ riget inclementia formæ.
Terrorem dolor augebat. tunc talia celſo
Ore tonat: (tremefacta ſilent dicente tyranno
Atria;

66 inceſtas, inceſtis *Vic. Vien. rell.* inceſtas *Baſ.* illicitas *Baſ. marg. & MSS.* 67 vix ille pepercit *ante Barth.* 68 elanguit *MS. Barth.* 72 *pro* bella, flare *Guelf.* 74 occluſit *Cuj.* 83 horrorem *MSS. & Cuj.* moerorem *Cuj.*

diſcordiam & bella, concordiamque pacem & federa aſſignarent. Vid. 3, 4 & 65 it. 26, 56.

66 *Inceſtos Titanas* vocat, h. e. indignos, qui in conſpectum & conſortium deorum, caſtarum mentium, admittantur.

67 *Vix* dixerat *illa* Lacheſis: & ſtatim Pluto *pepercit*.

68 *Erubuit preces* Pluto, & ita tollit, vel minuit certe poëta crimen, quod ipſi impegimus ad v. 50. Nempe ſic imperator poteſt jugulum præbere rebellanti exercitui.

76 *Maja genitum*, Atlantis filia, Mercurium, *Cyllenium* a monte Arcadiæ illi ſacro dictum. Hic enim *διάκτορος* eſt & internuncius quidam *ſuperis Deorum*, ut eſt Hor. Car. 1, 10. 19, *Gratus & imis* Ipſe noſter declarat v. 89, ſq.

78 *Somnifera* eſt Mercurii virga, vel caduceus, non minus quam excitandis hominibus apta. Homerus Ἰλ. ω, 343 & Ὀδ. ω, 3 *Τῇ δ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει, Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.*

80 *Majeſtas* etiam ad horrorem pertinet, ut Stat. Theb. 7, 478 *de Jocaſta*, *Eumenidum* (Furiarum) *velut antiquiſſima portis Egreditur magna cum majeſtate malorum.* Sic etiam *verendus* 35, 195.

Atria; latratum triplicem compeſcuit ingens
Janitor, & preſſo lacrimarum fonte reſedit
Cocytos, tacitiſque Acheron obmutuit undis,
Et Phlegethonteæ requierunt murmura ripæ:)
„Atlantis Tegeæe nepos, commune profundis
Et ſuperis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo,
I celeres proſcinde Notos, & juſſa ſuperbo
Redde Jovi. Tantumne tibi, ſæviſſime fratrum,
In me juris erit? ſic nobis noxia vires
Cum cælo Fortuna tulit? num robur & arma
Perdidimus, ſi rapta dies? An forte jacentes
Ignavoſque putas, quod non Cyclopia tela
Stringimus, aut vanas tonitru deludimus aures?
Nonne ſatis viſum, quod grati luminis expers

Tertia

85 tartara *Guelf.* 87 Cocytus *vulg.* 91 *pro* mundo, cælo *Guelf.* 92 i celer, & *ante Heinſ. qui recepit emendationem Barth.* 94 ſi nobis — non robur *ante Barth. & Heinſ.* 98 ſpargimus *MSS.* vano *MS.* vanas hominum *Baſ.* auras *al.* 99 *pro* grati, ſuperi *MS.*

86 Alludit ad etymon. *Κωκυτὸς* ploratus, lacrimæ.

89 *Tegeæus*, quod Tegeæ, quæ Arcadiæ urbs fuit, præ ceteris coleretur. Cf. ad v. 76.

91 Non ſimpliciter abſurda eſt lectio, quæ pro *mundo* ponit *cælo.* Nam præterquam quod ſynonyma ſunt, etiam inferi *ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt* Aen. 6, 641.

92 *Proſcinde Notos*, poteſt inſolens videri: & poſſet aliquis malle *Præverte Notos*, velut eſt apud Stat. Theb. 1, 293 in eadem re *Præcede Notos.* Sed *proſcindere* hic eſt idem quod alias *ſecare: Notos* autem pro aëre vel æthere dixit. Utrumque illuſtret Virgilius Aen. 4, 257 ubi de Mercurio, *Litus arenoſum Libyæ, ventoſque ſecabat.* Stat. Theb. 8, 717 de fraxino ſ. haſta, *Ecce ſecat Zephyros.* Idem 6, 388 *Claraque per Zephyros etiam nunc ſemita lucet*, qua Apollo ierat. Eadem etiam declaravimus illud v. 185 *Nunc ſpicis Zephyros tranant*, & illud 36, 3.

93 *Tulit*, abſtulit, ut in illo Virg. Ecl. 9, 51 *Omnia fert ætas, animum quoque. Vires* reſpondent Homerico *ἀλκῇ*, quo victoriam notat.

96 *Dies rapta* Plutoni, ut ſuis inferis contento, hanc lucem, hoc cælum noſtrum videre non liceat.

97 *Cyclopia tela*, fulmina quæ Cyclopes fabricantur Jovi, quam fabricam pulchre deſcribit Virg. Aen. 8, 426.

Tertia ſupremæ patior diſpendia ſortis,
Informesque plagas; cum te lætiſſimus ornet
Signifer, & vario cingant ſplendore Triones?
Sed thalamis etiam prohibes? *Nereia glauco*
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Juno ſinu. Quid enim narrem Latonia furta?
Quid Cererem, magnamque Themin? Tibi tanta creandi
Copia: te felix natorum turba coronat.
Aſt ego deſerta mærens inglorius aula
Implacidas nullo ſolabor pignore curas?
Non adeo toleranda quies. Primordia teſtor
Noctis, & horrendæ ſtagna intemerata paludis,

Si

100 *pro* ſortis, noctis *Guelf.* 102 Lucifer *Guelf.* 103 thalamos *primæ editt. Sed* thalamis *jam Baſ.* Nereida -- Neptunus -- Amphitriten *MS.* 106 quid enim Lat. furta referrem *Guelf.*

100 Sorte diviſum mundi imperium inter fratres Jovi cælum evenit, Maria Neptuno, Tertia & ultima (hanc *ſupremam* hic vocat) Inferorum Plutoni. Deſcribitur iſta ſortitio Ιλ. Ο, 187 ſqq. Hinc venuſte Jovi adulatur Callimachus H. in ipſum v. 60 cum negat ſorti tam inæqualium rerum diviſionem permiſſam, ſed viribus & operibus Jovis cælum debitum ait.

102 *Signifer*, Zodiacus, *Triones* ſeptem, ſplendida illa urſæ utriusque ſidera, quæ nunquam orbi noſtro occidunt.

105 *Conſanguinei*, fratres & ſorores, ut in illo *Conſanguineus leti ſopor* Aen. 6, 278. Sic ὅμαιμος & ὁμαίμων Græcis. Juno *Jovis Et ſoror & conjux* Aen. 1, 47.

106 *Latonia furta*, clandeſtinus concubitus Jovis cum Latona, e quo Apollo & Diana nati. Vid. Callimachi H. in Delum. Cererem fecit matrem Proſerpinæ: turpiſſima, & digna Plutonis criminatione, hiſtoria eſt apud Arnob. 5 p. 170. De Themide paulo abſtruſius. In hymno Orphico 42 p. 140 vocantur filiæ Themidis & Jovis tres Horæ, Eunomie, Dice, & Irene. Sed eadem Heſiodus Theog. 901 & Apollod. 1, 3. 1 ubi ex eodem conjugio etiam Parcas natas eſſe docemur. Ichnææ cognomen etiam nacta eſt Themis ex cauſa amatoria, quam refert Steph. Byz. Voc. Ιχναι. Themin cæleſtem Σωτῆρος ἀρχαίαν ἄλοχον Διὸς appellat Pindarus apud Clem. Alex. Stromat. 5 p. 732, 4 Pott.

111 *Primordia* noctis, illam Noctem, Erebum, e quo nata omnia: cui occaſionem dediſſe videtur illud Moſaicum ויהי ערב & deinde ויהי אור. Hinc dictum *νυχθήμερον*. A nocte diem incipiunt hodie Judæi & olim Aegyptii atque Attici. Vid. Lindebr. ad Alex. ab Alex. 4, 20 pr.

112 *Intemerata ſtagna*, quæ ſemel trajecta nemo rediit. Nam *temerare* eſt quocunque modo violare.

Si dicto parere negas, patefacta ciebo
Tartara. Saturni veteres laxabo catenas.
Obducam tenebris lucem: compage ſoluta
Fulgidus umbroſo miſcebitur axis Averno.„
Vix ea fatus erat, jam nuntius aſtra tenebat.
Audierat mandata pater, ſecumque volutat
Diverſos ducens animos, quæ tale ſequatur
Conjugium, Stygioſve velit pro Sole receſſus.
Certa requirenti tandem ſententia ſedit.
Hennææ Cereri proles optata virebat
Unica; nec tribuit ſobolem Lucina ſecundam,
Feſſaque poſt primos hæſerunt viſcera partus
Infecunda quidem; ſed cunctis altior exſtat

Matri-

115 ſolem *MSS. & Baſ. marg.* 116 lucidus *Guelf.* 117 & nuncius *MS. ap. Burm. ad Aen. 3, 8.* 119 diverſo *ex MS. Claver. quod placet.* 120 Luce *Cuj.* 122 Aetnææ *omnes ante Heinſ.* vigebat *Cuj.* 125 lætior *Cuj.*

114 Inter antiquiſſimas fabulas Saturnus pater Jovis, cum Titanibus reliquis conjectus in Tartarum, Apollod. 1, 2. Sic, *Saturno tenebroſa in Tartara miſſo, Sub Jove mundus erat* Ovid. Met. 1, 113. Saturnalibus canitur a poëtis, v. g. Statio Sil. 1, 6. 4 *Saturnus compede exſoluta.*

116 Eo ipſo, quod cælum inferis miſcetur, redit vetus illud & primævum Chaos.

117 *Vix ea fatus erat* Pluto, & Mercurius jam in cælo erat apud Jovem, legationemque pertulerat. Pulcherrima celeritas in qua longe ſuperat Homeri patris repetitiones qui recte ille quidem ſuæ ætatis rationem ſecutus eſt, raritatem in primis literarum, quæ non pateretur, ſed poſceret mandata ejusmodi poni ut data ſunt, ac deinde ut perlata: ſed eo ipſo his qui nunc ſunt hominibus nugax & iners & tardus videtur.

119 Formula *Diverſos ducere animos*, exprimere videtur illud Homericum Iλ. A, 189 διάνδιχα μερμήριξεν. Dividitur velut animus certe alternis in partes diverſas vertitur trahiturque. Jupiter nunc ad hanc Dearum intendit cogitationem nunc ad aliam, *quæ tale* tam horribile *conjugium*, talem conjugem, ſequi audeat, quæ pro die & ſole, pro vita apud ſuperos, eligat Stygios inferorum receſſus.

122 Ita firmavit *Hennæam* Cererem, non *Aetnæam*, neque *Ennæam* Heinſius, tum Ez. Spanhemius ad Callim. H. in Cer. v. 15 p. 624 & v. 31, ut illam rationem in hoc opuſculo ſequi nihil dubitem. Vicinia Aetnæ montis, incendio ſuo nobiliſſimi, *Hennam* & *Hennæam* in *Aetnam* atque *Aetnæam* mutandi occaſionem dedit. Ceterum de Henna urbe, de loco vnde rapta eſt Proſerpina, de Cerere *Hennæa* vel, ut ibi vocatur, *Hennenſi* locus inſignis eſt Cic. in Verr. 4, 48 ſqq. Conf. ad Sil. 1, 93.

Matribus, & numeri damnum Proſerpina penſat.
Hanc fovet, hanc ſequitur. vitulam non blandius ambit
Torva parens; pedibus quæ nondum proterit arva,
Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.
Jam vicina toro plenis adoleverat annis
Virginitas: tenerum jam pronuba flamma pudorem
Sollicitat: miſtaque tremit formidine votum.
Perſonat aula procis. pariter pro virgine certant
Mars clipeo melior, Phœbus præſtantior arcu.
Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas,

130 matura *Guelf.* 132 timet *Guelf.* fremunt -- vota *Cuj.*

126 Quod deeſt numero liberorum, illud virtute & pulchritudine compenſat Proſerpina, quæ una matri pluris eſt; quam numeroſa ſuboles.

128 *Torva* proprium pene epitheton hujus generis. *Torva facies* in tauro laudatur Columellæ 6, 20. Et ipſi Virg. Ge. 3, 51 *Optima torvæ forma bovis.* Decor quidam poëticus eſt, quod *vaccam* non appellat nomine proprio. *Pedibus arva nondum proterit*, quæ jugum nondum ſubit aut arandi cauſa jungitur.

129 Rem humilem, quicum Deas comparare pene indecens erat, viciſſim extollit, & dignam illa comparatione cornuum illius cum Luna reddit. Hor. Car. 4, 2. 54 *tener vitulus -- Fronte curvatos imitatus ignes Tertium Lunæ referentis ortum.*

130 *Matura toro* mihi magis placeret non modo propter Virgilianam imitationem Aen. 7, 53 *Jam matura viro, jam plenis nubilis annis:* ſed quia *vicina* aliud ſignificat, nempe puellam, cui jam parantur nuptiæ.

131 *Pronuba flamma*, calor naturalis adoleſcentiæ, qui ſolicitat eos humores, quibus ad Venerem opus eſt, atque adeo ſuadere videtur matrimonium ac nuptias, quod faciunt pronubæ.

132 Qui cupiunt vehementer, illi jam tremunt ab hoc ipſo affectu: magis etiam, ſi in eo, quod cupias, ſit alea & periculum, ſi pudor adjunctus.

133 Decorum obſervat poëta, cum in amatorum recenſu omittit ipſum Jovem, de cujus in illam inceſtis furoribus obſcena fabula eſt apud Arnob. 5 p. 171. Sed totum hoc de procis non antiquus mythos eſt, opinor, verum exornatio in poëtæ noſtri cerebro nata ſimpliciter.

135 *Donat Mars*, quantum in ſe eſt, donare vult, offert: ſic *largitur* Apollo. Hæc obſervare in talibus locis, non eſt magni momenti: ſed interdum illorum meminiſſe conſultum eſt, ut cum in Evangelio Jo. I, 9 dicitur *ὁ λόγος φωτίζει πάντα ἄνθρωπον*, vel analogia quadam aut intercedente Metaphora Lucæ 5, 6 *διεῤῥήγνυτο τὸ δίκτυον.* *Martis* ſedem eſſe *Rhodopen* oſtendit etiam 3, 335. *Amyclæ* hic intelliguntur Laconicæ, Apollini ſacrum nemus habentes, unde & *Apollineas Amyclas* vocat Statius Theb. 4, 223.

Et Delon Clarioſque lares. Hinc æmula Juno,
Hinc poſcit Latona nurum. Deſpexit utramque
Flava Ceres; raptuſque timens (heu cæca futuri!)
Commendat Siculis furtim ſua gaudia terris,
[Inſidis natam laribus commiſit alendam
Aethera deſeruit, Siculasque relegat in oras]
Ingenio confiſa loci. Trinacria quondam

Italiæ

137 utrumque *vulg.* 139 pignora *omnes; qui hunc verſum habent. Sed omittit illum poſt MSS. Barth. Heinſius duo verſus omittit, quos hic uncis incluſos dedimus. Et videtur hic vel a poëta ipſo variatum, vel certatum ab emendatoribus. Claverius putabat de tribus ejusdem ſententiæ, & dubiæ electionis verſibus hunc præferendum,* Inſidis natam &c. *Ego integram electionem permittendam lectori ratus ſum qualis fuit in impreſſis usque ad Claverium, qui illud modo mutat, ut legat,*

Siculaque relegat in ora.

136 De *Delo* Apollini ſacra 8, 133. *Claros* Ioniæ, lucus, fanum, forte urbs etiam, unde *Clarius* Apollo, qui in prædicatione opum ſuarum Ovid. Met. 1, 515 *Mihi Delphica tellus*, inquit, *Et Claros, & Tenedos, Pataræaque regia ſervit.*

138 *Flava Ceres* hoc cognomen habet a colore frumenti maturi.

140 *Trinacriæ* nomen certe non habuit, cum adhuc continens eſſet, ſi unquam fuit, Italiæ, ac τρία ἄκρα, ſ. promuntoria nondum haberet. Breviter hic, quid de nobiliſſima illa vel hiſtoria vel fabula ſentiam, & unde quis petere poſſit reliqua, indicabo. Igitur de abrupta a Bruttiis & Rhegio Sicilia, nihil innotuiſſe videtur Homero, qui νῆσον vocet ſimpliciter Θρινακίην Od. M, 127 & in terribili Scyllæ & Charybdis fabula nullam plane ejus rei mentionem faciat. Heſiodus apud Diodorum Sic. 4 extr. aggeſtum Siciliæ ab Hercule Pelorum ait, & templum ibi conſtitutum Neptuno. Nihil, quod ſciam Pindarus. Primus, de quo conſtet, Aeſchylus apud Strabonem 6 p. 178, 18 Rhegii promuntorii & urbis nomen a verbo ῥήγνυσθαι & hac ruptura derivat. De aliis Poëtis mox videbimus. Inter hiſtoricos Thucydides 6 pr. ubi antiquitates Siciliæ perſequitur, tacet ſimpliciter. Salluſtius apud Iſid. Orig. 14, 6 p. 1177, 56 dicit *Italiæ conjunctam Siciliam* fuiſſe; neſcio an aſſeverate. Certe Trogus apud Juſti. 4, 1. 1 *Siciliam ferunt — Italiæ adhæſiſſe.* Diodorus Sic. l. c. παλαιοὺς μυθογράφους auctores citat. Hi poſſunt eſſe Aeſchylus & ſuppares. Redeamus ad Poëtas. Virgilius Aen. 3, 414. Ovid. Met. 15, 290, Lucanus 3, 59, Valerius Flaccus 2, 617, Statius Silv. 1, 3. 32, Silius Ital. 14, 11 & quis non Poëtarum? ita hujus rei mentionem faciunt, ut non poſtulent ſibi credi. Ad Poëtas potius quam Geographos referendus eſt Dionyſius ὁ περιηγητὴς v. 476, & qui auget fabulam, Euſtathius παρεκβολῇ ad eum locum. Nempe narrat a Neptuno abſciſſam eſſe Siciliam, qui gratificari vellet Acaſto (MS. Iocaſto) Aeoli F. quo is tutius ibi poſſet habitare. Superſunt Philoſophi, quorum qui velit ſententias cognoſcere, ille

adeat

Italiæ pars una fuit: ſed pontus & æſtus
Mutavere ſitum. rupit confinia Nereus
Victor. & abſciſſos interluit æquore montes:
Parvaque cognatas prohibent diſcrimina terras.
Nunc illam ſocia raptam tellure triſulcam
Opponit natura mari. caput inde Pachyni
Reſpuit Ionias prætentis rupibus iras.
Hinc latrat Gætula Thetis, Lilybæaque pulſat
Brachia conſurgens; hinc dedignata teneri
Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum.

141 *quid ſi* parś ima? 142 rapuit *Vien. marg.* 143 interfluit *Guelf.* 144 conjungi *Cuj.* 145 ſociæ raptam *Vien. Baſ. Junt. Ald. Plant. Claver.* ſociam r pta *Vic.* ſocia ruptam *Scal. & Barth.* 147 reſpicit *vulg.* deſpicit *Janſ.* protentis *vulg.* projectis, porrectis *Cuj.* reſpuit *ex MSS Heinſ. & habet jam margo Baſ. Plant. Claver.* 150 littora -- moveri *Baſ. marg.*

adeat non Platonem neque Ariſtotelem, fruſtra enim fuerit; ſed Strabonem L. 1 p. 37, 33 & 41, 30, tum Senecam Quæſt. Nat. 6, 29. Horum & ſimilium argumentatione potius, quam fide hiſtoricorum inductus videtur Plinius, cum 2 c. 88 *Rerum natura*, inquit, *avellit Siciliam Italiæ*, & his ſimilia 3 c. 8. Recentiorum αὐτοπτῶν & naturæ conſultorum ſententias, cum his, quæ antiqui tradiderant, habet Cluverius Sicilia antiqua 1, 1. Quæ noſtra ætate diſputata ſunt, prætereo ſciens. Summa eſto, nihil certi habet hiſtoria, Poëtæ arripuiſſe videntur philoſophemata non uſquequaque improbabilia certe, & his affinia, quibus collegere viri prudentes, non Titi ætate primum arſiſſe Veſuuium, licet hiſtorica fide nihil de ſuperioribus incendiis conſtet.

142 *Nereus* hic ut perſona fingitur, quæ fluctibus, tanquam manibus aut armis ſuis, repetito impetu viam ſibi fecerit.

145 *Triſulcam* eodem ſenſu dixit, quo *triquetram* Hor. Ser. 2, 6. 55. Intelligendum eſt hoc epitheton ex ea notione, qua *ſulcus* interdum eminentem inter foſſas ſ. lacunas duas tractum ſignificat, ut Pallad. Mart. 9, 11 & Georg. 1, 113. Placet hic diſerte ponere, quod in Theſauris omiſſum video. *Sulcus*, ὁλκὸς, tractus eſt, ſpeciatim in arvis, directus, cujus partes duæ, *lacuna*, depreſſa, & *ſtria ſ. porca*, eminens. Sed interdum generalis appellatio magis ad depreſſiorem partem, interdum ad altiorem reſtringi videtur. Hæc rarinſcula ratio eſt, & eo magis obſervanda, quia *biſulci* & *triſulci* ſignificatio inde pendet.

148 De verbo *latrat* vid. 31, 61. *Gætula Thetis*, mare quod Libyam ſ. Africam, alluit cujus partem habent Gætuli. *Brachia* hic ſunt, quæ etiam *linguæ* vocantur, partes terræ aliquantum procurrentes in mare

In medio ſcopulis ſe porrigit Aetna peruſtis:
Aetna Giganteos nunquam tacitura triumphos,
Enceladi buſtum, qui ſaucia terga revinctus
Spirat inexhauſtum flagranti pectore ſulphur.
Et quoties detrectat onus cervice rebelli
In dextrum, lævumve latus: tunc inſula fundo
Vellitur, & dubiæ nutant cum mœnibus urbes.
Aetnæos apices ſolo cognoſcere viſu,
Non aditu tentare, licet. pars cætera frondet
Arboribus: teritur nullo cultore cacumen.
Nunc vomit indigenas nimbos, piceaque gravatum
Fœdat nube diem: nunc molibus aſtra laceſſit
Terrificis, damniſque ſuis incendia nutrit.
Sed, quamvis nimio fervens exuberet æſtu,
Scit nivibus ſervare fidem, pariterque favillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis,
Arcano defenſa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Quæ

153 membra *ante Heinſ.* terga *etiam Baſ. marg.* 154 vulnere virus *Baſ. marg.* 155 dejectat *Baſ. marg. hinc* rejectat *conj. Heinſ.* 157 vertitur *Cuj.* 161 movet *Baſ. marg.* 162 motibus *ante Heinſ.* 166 caloris *Cuj.*

151 Qui conferre inter ſe & Poëtarum veterum & hiſtoricorum Græcorum pariter & Latinorum deſcriptiones Aetnæ voluerit, & ingenio inde pabulum procurare, illum juvabit Cluverius in Sicilia Vet. 1, 8. Copioſiſſimum eſt Cornelii Severi de Aetna carmen.

153 Quæ hic de Encelado narrantur, ea de Typhoëo Pind. Pyth. A, 29 ſq. quem ſequuntur plures. Tales diverſitates in Poëtis nemo miratur. Noſter auctores habet Virgilium Aen. 3, 578 alioſque. Cf. 7, 159 - 161. 35, 158 præſertim 36, 350.

161 *Indigenas* eleganti Metaphora, apud ſe, vel intra ſe potius natos nimbos. Mox in *laceſſit* etiam pulchra Metaphora, quaſi ἀκροβολισμὸς & velitatio quædam eſſet illa molium varii generis ejectio.

163 Quo plus flammarum, fumi, cinerum, pumicum, eructat Aetna, tanto intus illum minui neceſſe eſt, ſed *damna* etiam Aetnæ dici poſſunt vaſtationes illæ, quas torrentes ignei, & ejectamenta alia extrinſecus efficiunt.

166 *Vicinam flammis glaciem, æternoque rigore Horrentes*, cum infra ardeant, ſcopulos, canit etiam Sil. 14, 67 qui locus totus cum hoc noſtro conferri meretur.

167 *Fumus fidelis*, qui ut vicinus bonus nihil nocet &c.

Quæ ſcopulos tormenta rotant? quæ tanta cavernas
Vis glomerat? quo fonte ruit Volcanius amnis?
Sive quod objicibus diſcurrens ventus opertis,
Offenſo per ſaxa furit rimoſa meatu,
Dum ſcrutatur iter, libertatemque repoſcens
Putria multivagis populatur flatibus antra.
Seu mare ſulfurei ductum per viſcera montis
Oppreſſis igneſcit aquis, & pondera librat.
Hic ubi ſervandum mater fidiſſima pignus
Abdidit, ad Phrygios tendit ſecura penates,

 Turri-

169 rotent -- glomeret -- ruat *ante Heinſ. pro* cavernas, procellas *Cuj. quod verum puto. V. N.* 170 fluat *Cuj. pro* amnis, ignis *ante Heinſ. qui formulas ab aqua ad ignem translatas illuſtrat.* 171 apertis *Baſ. male.* 174 montivagis *Cuj.*

169 *Tormenta*, machinationes illæ, cum funibus contortis, intentisque validiſſime, deinde ſubito laxatis moles etiam magnæ lapidum vibrantur, & ad inſigne ſpatium projiciuntur. Si notæ fuiſſent ea ætate machinæ ignivomæ, quibus hodie magna pars bellorum conſtat, cum his haud paulo felicius comparare illam Aetnæ pyrobolicam licuiſſet. Ceterum talibus locis, qualis hic noſter eſt excuſari poſſunt, qui *tormentorum* nomine de pyrobolis, & tubis illis ignivomis abutuntur. Quomodo *cavernæ glomerari* poſſint, & quid omnino hoc ſignificet *glomerare cavernas*, cum non aſſequar: valde placet indicata ſupra lectio Cujaciana. *Procellæ* i. nubes a ſpiritu vehementi actæ, *glomerantur*, i. ſubito coguntur, denſantur in volumina, & volvendo augentur.

172 Reſponſurus poëta quæſtionibus ſuis, primum hac utitur hypotheſi. *Ventus* ſubterraneus, *offenſo* & impedito per occultos *obices* libero *meatu*, *furit per ſaxa* &c.

174 *Putria antra*, i. fiſtuloſa, fragilia, verbo in pumices ab ipſo igni redacta, ut *putre ſolum* quod in pulverem facile reſolvitur. Vid. Virg. Georg. 2, 204 quem declarat Columella 2, 2. 4.

175 Alia hypotheſis, *Mare igneſcit oppreſſis aquis.* Hoc recentior aliquis naturæ conſultus ita forte enunciet, Parva proportione moles aquæ marinæ, ab igne admiſto & omnia illius elementa diſtendente, in vaporem ſolvitur, qua quidem mixtione nihil habere naturam potentius & magis ἐλαστικὸν, tum Aeolipilæ tum infinitis aliis ſulphurei præſertim vaporis, experimentis conſtat.

176 *Pondera librat* proprie, qui ea huc illuc movet ponderis explorandi cauſa, ſed ſimiles motus edere etiam ſolent, qui magna vi projicere aliquid volunt. Ita hic etiam intelligo.

178 *Abdidit*, domo ſua, cujus firmitas deſcribitur infra v. 236 ſq. *Phrygii penates* domus ipſius Cereris. Ipſa enim filia eſt Cybelæ, Cybellæ, Cybebes, Deæ Phrygiæ, Rheæ, Matris magnæ Deum, quibus, aliisque

Turrigeramque petit Cybelen, ſinuoſa draconum
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frena venenis.
Frontem criſta tegit: pingunt maculoſa virentes
Terga notæ: rutilum ſquamis intermicat aurum.
Nunc ſpiris Zephyros tranant: nunc arva volatu
Inferiore ſecant. Cano rota pulvere labens
Sulcatam fecundat humum. Flaveſcit ariſtis
Orbita. ſurgentes condunt veſtigia culmi.

Veſtit

179 ſquamoſa *al.* 180 volucrique per avia *ante Clav.* vol. qui pervia *etiam Baſ. marg. & Plant. marg.* 184 nunc leves *Baſ. marg.* 187 ſcindunt v. fruges *ante Claver. Sed* condunt v. culmi *ſum Baſ. marg. pro* culmi, meſſes *MSS.*

aliisque nominibus paſſim celebratur. Ad hanc igitur matrem ſuam (quod aperte dicitur 36, 115) viſendam proficiſci facit Cererem poëta, ut ſit occaſio Plutoni raptori. Ceres & Cybele telluris ambæ ſymbola ſunt: ſed Cybele in quantum ab hominibus in urbes collectis tumultuoſe colitur, quod indicat corona *turrita* & reliquus illius apparatus; Ceres, quatenus gerit fruges, quibus aluntur homines, quæ habet ſpiceam coronam & trahitur a ſerpentibus, terreſtri beſtia &c. Rurſus Cybele Mater Deorum, eſt etiam mater Deæ Cereris.

179 *Sinuoſa* illa *draconum*, quibus vehitur Ceres, *membra* paſſim in nummis exhibentur, volucrium partim ſine alis, partim alatorum, tum coronatorum ſ. criſtatorum, barbatorumve. Vid. Spanhem. diſſ. 4 p. 211.

181 Epitheto *placidis* ſatis indicatur *venena* hic non intelligi noxia, ſed ſuccos potentes quidem, verum ad ſalutem. Sunt ἤπια Φάρμακα, qualia etiam Aeſculapii & Hygeæ ſerpentes fundunt.

182 *Maculoſum*, depoſita quaſi macula, & nota turpitudinis, etiam ad pulchritudinem pertinere, vel illa *maculoſæ tegmine lyncis velata* venatrix Virgil. Aen. 1, 327 docet. Hoc univerſim in lectione veterum debemus meminiſſe (quod copioſe diſputat l. c. Spanhemius) ſerpentes, dracones non horribilem beſtiam, ſed placidum animal, quin amatorium, ſub cujus ſpecie apud Olympiada ſe inſinuaverit Hammon Jupiter. Itaque ἀγαθοδαίμων, bonus genius, hac figura exhibebatur. Ita ille anguis, quem dubitat Aeneas, *Geniumne loci, famulumve parentis Eſſe putet*, pulcher eſt, *Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus Mille trahit varios adverſo ſole colores*, Virg. Aen. 5, 84 ſqq.

184 *Spiræ* ſunt illi flexus, illi *ſinus* unde *ſinuoſa volumina* tribuuntur ſerpentibus. Formula *Zephyros tranare* ſatis declarata eſt ad illud v. 92. *Proſcinde Notos*. Add. Virg. Aen. 4, 245 ubi Mercurius *turbida tranat Nubila*: & hic 36, 3 *Zephyros illapſa*.

185 *Canus pulvis* tanto magis eſt, quo eſt ſiccior. Rotæ in curru Cereris ſunt pro aratro & vomere: orbita eſt pro ſulco depreſſo. Suavis admodum imago. Ubicunque veſtigia poſuit Ceres, ſtatim ſurgunt culmi &c.

Veſtit iter comitata ſeges. Jam linquitur Aetna,
Totaque decreſcit refugo Trinacria viſu.
Heu quoties præſaga mali violavit oborto
Rore genas! quoties oculos ad tecta retorſit
Talia voce movens! „*Salve, gratiſſima tellus,*
Quam nos prætulimus cælo: tibi gaudia noſtri
Sanguinis, & caros uteri commendo labores.
Præmia digna manent. nullos patiere ligones,
Et nullo rigidi verſabere vomeris ictu.
Sponte tuus florebit ager. ceſſante juvenco
Ditior oblatas mirabitur incola meſſes.„
Sic ait, & fulvis ſerpentibus attigit Iden.
Hic ædes auguſta Deæ, templique colendi
Relligioſa ſilex, denſis quam pinus opacat
Frondibus, &, nulla lucos agitante procella,
Stridula coniferis modulatur carmina ramis.

L l 5 Terribi-

194 raros *Cuj.* 196 vexabere *MS.* actu *Cuj.* 200 ſedes auguſta *plerique ante Clav. qui dedit* ſedes aug. *quod eſt etiam in Baſ. marg.* ædes auguſta *Ald. & MSS.* ædes ang. *Parrhaſ.* 201 obumbrat *ante Heinſ.* 203 modulantur *ante Clav. Credo paſſive accepiſſe.*

189 *Decreſcit Trinacria* ex lege viſus, qua eo minora fiunt quæ cernimus, quo ſunt remotiora.

190 *Violantur genæ* a lacrimis, quia nunquam ſine aliquo certe dolore & injuria i. læſione cadunt.

192 *Salve* etiam in diſceſſu dici, ut ὑγίαινε, vel illa Aeneæ vox indicat qua Pallantis funus dimittit, *Salve æternum mihi, maxime Palla, Aeternumque vale.* Vale dicit ad tempus aliquod Siciliæ ſuæ Ceres.

199 *Fulvi ſerpentes* ab aureo fulgore. *Ide* Phrygia eſt, unde Idæa quoque mater vocatur Cybele.

200 *Religioſa ſilex templi colendi* ſ. auguſti eſt ille lapis, de quo Liv. 29, 11 Attalus Pergami rex Romanorum *legatos -- Peſſinuntem in Phrygiam deduxit*, ſacrumque *iis* lapidem, *quam matrem Deum eſſe incolæ dicebant, tradidit, ac deportare Romam juſſit.* *Silicem* cum noſtro poëta appellat Arnob. 6 p. 196 *Ridetis -- coluiſſe -- Peſſinuntios ſilicem pro Deum Matre.*

201 *Pinum* Deum Matri ſacram etiam aliunde conſtat. Vid. Virg. Aen. 9, 85 & hic ad 18, 277.

203 Cantum quendam pinui tribuere antiquum eſt. Theocritus 1, 1 Ἀδύ τι τὸ ψιθύρισμα, καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα Ἁ ποτὶ ταῖς παγαῖσι μελίσδεται. quod ita vertere liceat, Dulce ſuſurrus, & iſta canora, caprarie, pinus Ad fontes reſonans. Debet pinus Pani, quod muſica eſt. Ponamus fabulam ex Geopon. 11, 10 Puella fuit Pitys (πίτυς, pinus:) amant illam Boreas & Pan. Cum illa hunc

Terribiles intus thiaſi, veſanaque miſto
Concentu delubra gemunt. ululatibus Ide
Bacchatur, tumidas inclinant Gargara ſilvas.
  Poſtquam viſa Ceres, mugitum tympana frenant.
Conticuere chori. Corybas non impulit enſem.
Non buxus, non æra ſonant: blandaſque leones
Summiſere jubas. Adytis gaviſa Cybelle
Exſilit, & pronas intendit ad oſcula turres.
  Viderat hæc dudum ſumma ſpeculatus ab arce
Jupiter, ac Veneri mentis penetralia nudat.
„Curarum ſecreta tibi, Cytherea, fatebor.
Candida Tartareo nuptum Proſerpina regi
Jam dudum decreta dari. ſic Atropos urget:
Sic cecinit longæva Themis. Nunc matre remota
(Rem peragi tempus) fines invade Sicanos,
Et Cereris prolem patulis illudere campis,
Craſtina puniceos cum lux detexerit ortus,
Coge tuis armata dolis; quibus urere cuncta,

Me

209 blandique *vulg.* 213 extendit *MSS.* 214 *pro* nudat, monſtrat *it.* pandit *MSS.* 218 peragit *ante Heinſ. Sed* peragi *jam Cuj. Ald. & conj. Barth.* 221 falle *Baſ. marg.*

hunc præferret, Boreas furioſe irruens petræ illam allidit. Enaſcitur eo loco Pinus arbor, qua Pan coronari amat, quæ gemit ad flatum Boreæ. Hinc Propert. 1, 18. 20 *Arcadio pinus amica Deo.*

204 *Terribiles thiaſi* propter furorem illos choros ducentium ſive ſaltantium. Verba *gemunt*, & *ululatus* ad inconditos mulierum & ſemivirorum in his ſacris clamores deſcribendos pertinent. Recordemur, Horatium, cum extremum ab ira furorem deſcribere vult, Car. 1, 16. 5 cum eo, quem *Dindymene* i. Cybele in his montibus culta, incutit, comparare. Ibidem etiam *Corybantum* & *æris* i. pelvium mentio, de quibus ſtatim. Add. ad 8, 149. 20, 279 ſqq. ubi etiam de *buxo*, & 28, 259 ubi *Cybeleia æra* declaramus.

209 *Leonibus* junctis vectam Cybelen paſſim videmus in nummis. Leo rex animalium terreſtrium. *Turritam* coronam illius jam habuimus ad v. 179. cf. 24, 170.

213 Hic ergo aperitur *ſententia*, quæ *ſediſſe* Jovi dicitur ſupra v. 121.

221 *Coge*, perſuade: ſed forte ſimul philoſophatur, & indicat reſiſti non poſſe armis Veneris h. e. dolis. Illud *me quoque* leporem Alexandrinum habet, quo fatetur Jupiter, ſe mulierculanium eſſe.

Me quoque ſæpe, ſoles. cur ultima regna quieſcunt?
Nulla ſit immunis regio, nullumque ſub umbris
Pectus inaccenſum Veneri. jam triſtis Erinnys
Sentiat ardores: Acheron, Ditiſque ſeveri
Ferrea laſcivis molleſcant corda ſagittis.,,
  Accelerat præcepta Venus: juſſuque parentis
Pallas, & inflexo quæ terret Mænala cornu,
Addunt ſe comites. Divino ſemita greſſu
Claruit. augurium qualis laturus iniquum
Præpes ſanguineo dilabitur igne cometes
Prodigiale rubens. non illum navita tuto,
Non impune vident populi: ſed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut urbibus hoſtes.
  Devenere locum, Cereris quo tecta nitebant

Cyclo-

222 infera *Cuj.* 224 corpus inaccenſum *Baſ. marg.* inaccenſum *ſcribi obſervat etiam Parrhaſ. & meliores ſic habere, monet Heinſ. qui laudat etiam* Sil. 1, 96 Inaccenſi flagrant altaribus ignes. 230 canduit *Baſ. marg. quod probat Heinſ.* in orbem *vulg.* 231 præceps -- delabitur *vulg.* 234 nubibus ignes *Baſ. marg.* 235 manebant, micabant, latebant *MSS.* virebant *Heinſ.* 2 *ut* 5, 188.

224 Utrum hoc dicatur cum relatione ad fabulam, in qua ſint amores Erinnyos, non dixerim. Virgines, *ἀεὶ παρθένους Ἐριννῦς*, vocat Furias Sophocles Aiac. flagellif. v. 846. Sed Orphne, *Inter avernales haud ignotiſſima nymphas, Ex* Acheronte *ſuo furvis peperiſſe ſub antris* Aſcalaphum, memoratur Ovidio Met. 5, 539.

228 *Inflexo cornu* i. arcu, quem frequenter ita ſignant poëtæ, in venatione uti ſolitam Dianam, nummi docent. Venari autem ſolet per *Mænala* etiam, Arcadiæ montana. Vid. 17, 390

231 *Cometen* hic etiam aperte intelligit meteoron non conſiſtens aliquantum, aut progreſſiones tardas, inſtar planetæ, habens: ſed tale cujus ſive *præceps* ſive *præpes* h. e. volucris lapſus, *delapſus* vel *dilapſus* obſervari uno velut momento poſſit. Hæc quidem in hoc loco. Stabiliorem videtur facere 17, 112, ſed meteoron tamen. Erat hæc tum communis fere ſententia, Stoicorum præſertim, cui tamen repugnare auſus eſt Seneca Q. N. 7. 22 *Non exiſtimo Cometen ſubitaneum ignem, ſed inter æterna opera naturæ:* & 23 *Cometes emetitur ſpatium ſuum, nec exſtinguitur, ſed excedit.* —— *Quid eſt, quare in aliqua parte cælum pervium non ſit?* —— *Cometes poteſt ſic totum habere circulum, ut in hunc* (ſigniferum) *tamen parte aliqua ſui incidat: quod fieri non eſt neceſſarium, ſed poteſt.* —— c. 25. *Per ſucceſſiones iſta longas explicabuntur. Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.*

233 Illud *impune* declaramus ad 26, 243.

Cyclopum firmata manu. Stant ardua ferro
Mœnia; ferrati poſtes: immenſaque nectit
Clauſtra chalybs. nullum tanto ſudore Pyracmon,
Nec Steropes, conſtruxit opus: nec talibus unquam
Spiravere notis ánimæ: nec flumine tanto
Incoctum maduit laſſa fornace metallum.
Atria veſtit ebur: trabibus ſolidatur aënis
Culmen, & in celſas ſurgunt electra columnas.
Ipſa domum tenero mulcens Proſerpina cantu
Irrita texebat redituræ munera matri.

Hic

236 fabricata *MS. Cuſ.* formata *MSS.* fundata *Parrhaſ.* 239 committit *MS.* *unde* commiſit *conj. Heinſ.* 240 flamine *MSS. Baſ. marg. Plant. marg.* flumine *tuetur Heinſ. hic & ad 26, 542.* 242 cingit *vulg.*

238 *Bronteſque, Steropeſque, & nudus membra Pyracmon* etiam apud Virg. Aen. 8, 425 *Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro.*

240 *Noti* vehementes admodum venti: horum nomen tribuit iis qui Cyclopum follibus redduntur: quas hic *animas* vocari tanto minus mirabitur, cujus memoriæ obverſatur illud Hor. Car. 4, 12. 2 *Impellunt animæ lintea Thraciæ:* & de hac ipſa re Virg. Aen. 8, 403 *Quantum ignes animæque valent.*

241 *Maduit* non ea modo notione accipiendum, qua Virg. Ge. 1, 196 de ſiliquarum ſeminibus dititur, *Et quamvis igni exiguo properata maderent*, i. coquendo mollia, cibo apta fierent, quod ſuadere videtur vox *incoctum*, ut 26, 542 *flammis mollitus & arte chalybs:* ſed plane ſignificat fluxit, ut ex adjecto nomine *flumine* apertum eſt, quod nomen pulchre tuetur Heinſius ex Aen. 8, 445 *fluit æs rivis*, & aliunde. *Laſſa fornax* videtur intelligi, cujus omnes impenſæ vires ſunt, ut nihil ea effici amplius poſſit: niſi tamen legendum ſit *laxa fornace* i. ampla, ut magna vis metalli ſic intelligatur. *Vaſta fornax* eſt apud Virg. l. c.

242 *Veſtit* commode dicitur de ebore in laminas ſecto, quibus teguntur & poliuntur non menſæ tantum, & lecti, & ſellæ curules, ſed etiam, ut hinc licet diſcere, parietes. *Solidatur culmen*, i. cum columnis & parietibus connectitur & firmatur.

243 *Electra*, quia columnarum materia eſſe debent, non intelligenda ſunt gemmea illa ſive ſuccina, ſed metalla.

244 *Mulcere* in hac formula eſt ſuavitate quadam & jucunditate implere, ut Virg. Aen. 7, 34 *volucres æthera cantu mulcent.* Sic Ovid. Faſt. 1, 155. Suavis cantus eſt velut titillatio quædam. Phyſice loquuntur poëtæ. Motus ille effector ſoni primo leniter impellit & movet aëra, ab hoc mulcetur auris

245 Vim adverbii *necquidquam* vel *fruſtra* ad verbum *texebat* adjungendi, exprimit epitheto ad *munera* adjecto. Texendi ars & labor, Minervæ inventum, itemque pingendi

Hic elementorum ſeriem ſedeſque paternas
Inſignibat acu: veterem qua lege tumultum
Diſcrevit Natura parens, & ſemina juſtis
Diſceſſere locis. Quidquid leve, fertur in altum:
In medium graviora cadunt: incanduit æther:
Egit flamma polum: fluxit mare: terra pependit.
Nec color unus ineſt. ſtellas accendit in auro,
Oſtro fundit aquas, attollit litora gemmis,
Filaque mentitos jam jam cælantia fluctus
Arte tument. Credas illidi cautibus algam,
Et raucum bibulis inſerpere murmur arenis.
Addit quinque plagas. Mediam ſubtemine rubro
Obſeſſam fervore notat. ſqualebat aduſtus
Limes, & aſſiduo ſitiebant ſtamina ſole.

Vitales

247 hic ſignabat *Cuj.* 248 juſſis *MS. recte.* 250 ruunt *MSS.* 251 legit *Claver.* 252 non *al.* erat *al.* 254 ſubter cæl. *vulg.* *Sed* jamjam curvantia *Baſ. marg.* jam jamque levantia *conj. Heinſ.* 255 alnos *Baſ. marg.* 258 inuſtus *MSS.*

pingendi acu, nec Deas nec Reginas, dedecet. Speciatim Proſerpinam textricem jam fecerat Orpheus cujus rei etiam ſymbolicam rationem perſequitur Porphyrius de antro Nymphar. p. 118 pr. Barneſ. Παρὰ τῷ Ὀρφεῖ ἡ Κόρη, ἥπερ ἐπὶ παντὸς τοῦ σπειρομένου ἔφορος, ἱστουργοῦσα παραδίδοται κ. τ. λ.

246 *Elementorum ſeries*, primus ille velut actus Naturæ, quem deſcribit in Metamorphoſeon ingreſſu Ovidius, qui hic conferri debet.

251 *Egit*, movit, circumegit *flamma* in ſtellas collecta *polum*, h. e. cælum ipſum, nomen poli a circumactu habere putatur. Sed blanditur valde altera lectio, *Legit* ſibi *flamma* ſedem & locum ſuum naturalem *polum*, ut Ovid. Met. 1, 27 *Ignea vis -- Emicuit ſummaque locum ſibi legit in arce.*

253 *Oſtro fundit aquas*, quod *purpureum mare* dicunt poëtæ ut Virg. Georg. 4, 373. Homerus Ιλ. Π, 391 ἅλα πορφυρέην, & οἴνοπα πόντον Α, 350. Multum ex cæruleo qui maris color eſt, habet purpura & radii ſolis rubrum illi fulgorem conciliant repercuſſu. Sed an ſatis ex arte *litora gemmis extollit?* certe non illis lucidioribus, politis; niſi forte voluit rupes ſimulare pretioſas.

256 Ut picturam laudaturi dicunt, expectari vocem, metui impetum: ita noſter fingit, tantum non audire ſibi videri ſpectatores hujus telæ ſonum algæ cautibus illiſæ, murmur fluctuum in arenas irruentium.

257 *Plagas* dici, quæ alias Zonæ ſunt, res loquitur.

Vitales utrinque duas; quas mitis oberrat
Temperies, habitanda viris. tum ſine ſupremo
Torpentes traxit geminas, brumaque perenni
Fœdat, & æterno contriſtat frigore telas.
Nec non & patrui pingit ſacraria Ditis,
Fataleſque ſibi Manes. Nec defuit omen.
Præſcia nam ſubitis maduerunt fletibus ora.
Cœperat & vitreis ſummo jam margine texti
Oceanum ſinuare vadis: ſed cardine verſo
Senſit adeſſe Deas, imperfectumque laborem
Deſerit, & niveos infecit purpura vultus
Per liquidas ſuccenſa genas: caſtæque pudoris
Illuxere faces. Non ſic decus ardet eburnum,
Lydia Sidonio quod femina tinxerit oſtro.
Merſerat unda diem. ſparſo nox humida ſomno
Languida

261 cum fine *MSS.* & *pri. editt.* 263 conſtringit *vulg.* contriſtat *etiam Baſ. marg.* & *Clav.* 264 fingit *Baſ. marg.* & *MS.* 268 ſimulare *Baſ. marg.* 269 cernit *al.* 270 deſinit *MS. vid. Heinſ. ad Ovid. Art. 2, 725.* 273 texuit *MSS.*

265 *Manes*, quibus reginam ſe fatis deſtinatam neſciebat, acu pingit, h. e. animas defunctorum: nam pingi poſſunt, quia videri, ut umbræ. In hac parte operis verſanti Proſerpinæ occulta quadam præſenſione ſortis ſuæ oboriuntur lacrimæ.

271 *Liquidas genas* intelligo inſtar aquæ puræ nulla macula, lentigine, callo, fuſcatas, adeo ut æquabiliter funderetur ille rubor, cujus celerem ortum & vehementiam ſignat vox *ſuccenſa.*

273 Homerica pictura, quam paſſim æmulati ſunt Romani. Iλ. Δ, 141 ſanguis de vulnere Menelai per femur manat, Ὡς ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ Μῃονὶς ἠὲ Κάειρα κ. τ. λ. Virg. Aen. 12, 67 pulcherrime hoc ad vultum erubeſcentis Laviniæ tranſtulit, *Cui plurimus ignem Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro Si quis ebur* &c.

274 *Diem*, ſolem, diei effectorem. *Nox* perſona eſt, quæ bigis vehitur: juvencorum, ſi eadem Luna. Vid. infra ad 36, 403. it. Brouckh. ad Propert. 3, 19. 10, præſertim ad Tibulli 2, 1. 8. Imaginem exhibet Montf Ant. 4, 1. 1. Modo illud addam, Ἀτέγας, εὐκύκλοιο κατ' ἄντυγα Νυκτὸς ὀπαδοὶ jam eſſe Theocriti 2 extr. Ad currum placidam comitantia ſidera noctem.

Languida cæruleis invexerat otia bigis.
Jamque viam Pluton ſuperas molitur ad auras
Germani monitu. Torvos inviſa jugales
Alecto temone ligat, qui paſcua mandunt
Cocyti, ſpatiiſque Erebi nigrantibus errant,
Stagnaque tranquillæ potantes marcida Lethes
Aegra ſoporatis ſpumant oblivia linguis.
Orphnæus crudele micans, Aethonque ſagitta
Ocior, & Stygii ſublimis gloria Nycteus
Armenti, Ditiſque nota ſignatus Alaſtor,
Stabant ante fores juncti, ſævumque fremebant
Craſtina venturæ ſpectantes gaudia prædæ.

276 Siculas -- arces *vulg.* ſuperas -- auras *etiam Baſ. marg. Clav.* 279 pratisque *vulg.* *Sed* ſpatiis *etiam Vic. Vien. Parrbaſ.* 281 ſpirant *MS.* 283 crudelis *Parrbaſ. & Vien. marg.* 284 Alaſter *Vic.*

281 Quam diu ſunt apud inferos equi Plutonis, hic verſus in eos convenit. Aliter ſe gerunt *cum ſolem didicere pati* 35, 198. Naturam quidem illorum ſignant nomina.

282 *Orphnæus* a caligine dictus, quæ ὄρφνη eſt, αἴθων ardens, *νυκτεὺς* a nocte dictus, ἀλάστωρ nomen furiale, quaſi tu intolerabilem dicas.

286 Poteſt quidem *ſpectantes* idem ſignificare quod *exſpectantes*: ſed qui librariorum ingenia & morem in horum verborum confuſione norit, & cogitet, præcedere diphthongum æ; is facile in opinionem veniet, dediſſe hic poëtam *exſpectantes*.

XXXIV

CL. CLAUDIANI
IN LIBRUM II
DE RAPTU PROSERPINAE
AD
FLORENTINUM

PRAEFATIO

Otia ſopitis ageret cum cantibus Orpheus,
Neglectumque diu ſepoſuiſſet ebur;
Lugebant erepta ſibi ſolatia Nymphæ,
Lugebant dulces flumina mœſta modos.
Sæva feris natura redit, metuenſque leonum
Implorat citharæ vacca tacentis opem.
Illius & duri flevere ſilentia montes,
Silvaque Biſtoniam ſæpe ſecuta chelyn.

Sed

2 depoſuiſſet opus *ante Heinſ.* *niſi quod* ſepoſ. *etiam Claver.*
4 quærebant *Raphel. Janſ. Barth.* 7 eduri *Claver.*

Nihil habet hæc præfatio, quod eum argumento libri conjunctum ſit: niſi quod hoc voluit indicare, poſt librum primum de raptu Proſerpinæ, jacuiſſe opus, donec excitatus a Florentino ſuo poëta hunc alterum quoque librum proferret. Sed poteſt tamen ad quodcunque aliud opus ea accommodari. Summa, Orpheus cum cantum aliquamdiu intermiſiſſet, ad ſumendam denuo lyram ab Hercule excitatus eſt; auctor carminis a Florentino. Fuit ille Præfectus urbis A. 396. Quæ leges ad illum datæ ſint, enarrat Gothofr. in Proſopogr. Cod. Theod.

2 *Ebur* vel ad plectri ſive pectinis materiem refertur, de quo v. 15, vel ad laminas, quibus ipſa cithara ornata eſt.

5 Orpheus mitigaverat feras cantu: illo ceſſante *redit* feritas. Nemini non noti eſſe debent verſus Horat. A. P. 391 *Silveſtres homines* &c.

8 Quam v. 6 *citharam* dixerat, ea hic *chelys* ſ. teſtudo eſt, & v. 14 *lyra*. Et ita promiſcue hæc adhibentur a poëtis, ut diſcrimen adhuc conſtitui, quod ſciam, non potuerit. *Biſtonia* eſt Thracia, theatrum Orphei.

Sed poſtquam Inachiis Alcides miſſus ab Argis
Thracia pacifero contigit arva pede,
Diraque ſanguinei vertit præſepia Regis,
Et Diomedeos gramine pavit equos:
Tum patriæ feſto lætatus tempore vates
Deſuetæ repetit fila canora lyræ,
Et reſides levi modulatus pectine nervos
Pollice feſtino mobile duxit ebur.
Vix auditus erat: venti frenantur & undæ.
Pigrior adſtrictis torpuit Hebrus aquis.
Porrexit Rhodope ſitientes carmina rupes,
Excuſſit gelidas pronior Oſſa nives.
Ardua nudato deſcendit populus Aemo,
Et comitem quercum pinus amica trahit.

Cirrhæ.

9 oris *MS.* arvis *MSS.* 12 ſanguine *MSS. Baſ. marg.* 14 reparat *Baſ. marg.* 15 leni *ante Heinſ.* 16 feſtivo nobile *ante Heinſ.* 17 ſternuntur *ante Heinſ. niſi quod* frenantur *etiam Raphel.* 18 adfectis *Vet. ed. ap. Claver.* adſtrictis *tuetur auctoritatibus Heinſ.*

9 *Inachiis* eſt geographumenon, & docet ſitos eſſe ad flumen Inachum Argos.

12 De Diomedis equis v. ad 3, 254.

15 De *pectine* hic ponam, quod verſatus circa 10, 235 & 22, 172 ut denuo conſiderare poſſem hæc diſtuli, quodque tanto magis hic ponendum, cum videam, in theſauro negligentius hunc locum eſſe tractatum. Puto igitur pectinem eſſe inſtrumentum eburneum, aliquot dentibus inſtructum, adeoque crinali pectini ſimile, cujus ope poſſent tres quatuorve chordæ ſimul & fortius ſonantiusque, quam pulpa digitorum, tangi, pulſari, carpive, quoties, ut in clauſulis, pleniorem ſymphoniam ſ. harmoniam exprimere uno quaſi ictu citharista vellet. Fuiſſe illum pectinem pollici accommodatum, hic locus ſuadet. Res dubio forte careret, ſi exſtaret ſtatua Orphei, quam tempore Julii III P. M. inventam Romæ dicit Naſcimbænius ad Aen. 6, 647, quæ ſiniſtra manu citharam, dextra vero pectinem tenebat. In l. c. Virgilii Orpheus *Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum, Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.* Fuerit itaque *pecten* plectri ſpecies: quæ vox etiam bacillos, malleolos, ungues adſciticios, comprehendere poteſt, quibus tangi chordæ potuere.

Cirrhæaſque Dei quamvis deſpexerit artes,
Orpheis laurus vocibus acta venit.
Securum blandi leporem fovere Moloſſi,
Vicinumque lupo præbuit agna latus.
Concordes varia ludunt cum tigride damæ,
Maſſylam cervi non timuere jubam.
Ille novercales ſtimulos actuſque canebat
Herculis, & forti monſtra ſubacta manu,
Qui timidæ matri preſſos oſtenderit angues,
Intrepiduſque fero riſerit ore puer.
Te neque Dictæas quatiens mugitibus urbes
Taurus, nec Stygii terruit ira canis:
Non leo ſidereos cæli rediturus ad axes,
Non Erymanthei gloria montis aper.

Solvis

24 vocibu' capta *Cuj.* 31 oſtenderis --- riſeris *malit Heinſ.* 32 feros *malit Barth. non ego.* 35 ſidereas -- arces *malit Burm. ad Ovid. amor.* 3, 10. 21.

23 *Laurus*, cum adhuc puella Daphne eſſet, artes muſicas Apollinis Cirrhæi (vid. 2, 2) deſpexit, qui fruſtra illi dixit Ovid. Met. 1, 518 *per me concordant carmina nervis:* ſed nunc tamen in arborem mutata, venit.

28 *Maſſyli* appellatione noſter quidquid Africanum eſt, ſignat. Nominatim provincia Maſſylia leonum patria Martiali 8, 55.

29 Junonis, quæ noverca eſt Herculis, inſtinctu & auctoritate duris illis imperiis Herculem exercuit Euryſtheus Mycenarum rex.

31 *Angues* a Junone immiſſos Herculi in cunis jacenti, eliſit puer &c. Illud *fero ore* junctum & adtributum puero, pulchram habet phantaſian.

32 Hinc incipit Claudianus directa oratione referre poëma Orphicum.

33 *Dictææ urbes*, Cretenſes. Tauri hujus hiſtoriam dedimus ad 3, 289. Vid. infra 101, 119 ſq. De *Stygio cane*, Cerbero, ab inferis extracto, cujus de ſpuma aconitum natum ferebant, Ovid. Met. 7, 410.

35 *Siderei axes* ſunt ſtellæ, ut 17, 275. 35, 192. De uſu huius nominis apud noſtrum vid. ad 15, 458.

36 *Erymanthum* Arcadiæ ſaltum paſſim noſter celebrat: aprum hujus incolam in laboribus Herculis omnes referunt. Vid. hic 3, 286 it. 101, 103.

Solvis Amazonios cinctus, Stymphalidas arcu
Appetis, occiduo ducis ab orbe greges:
Tergeminique ducis numeroſos dejicis artus,
Et toties uno victor ab hoſte redis.
Non cadere Antæo, non creſcere profuit Hydræ:
Non cervam volucres eripuere pedes.
Caci flamma perit: rubuit Buſiride Nilus:
Proſtratis rubuit Nubigenis Pholoë.
Te Libyci ſtupuere ſinus: te maximus Atlas

 Horruit,

39 numero tot *conj. Scal.* nervoſos, immenſos *MSS.* 42 non Neſſum *Baſ. marg.* 43 maduit *Raphel.* 45 timuere *vulg.* ſtupuere *etiam Baſ. marg.* maxima Tethys *Baſ. marg.* *utrumque meliores membranæ ap. Heinſ.*

37 *Amazon* illa Hippolyte, de qua 11, 35 it. 35, 64. *Stymphalides* ex deſcriptione Lucretii 5, 31 *uncis timendæ Unguibus Arcadiæ volucres, Stymphala colentes.* Mons, Lacus, Urbs nomen commune habent *Stymphalos*, *Stymphalum*, *Stymphala, orum.* Non aues prædatrices, numero & magnitudine terribiles, fuiſſe volunt quidam, ſed prædones.

38 Boues Geryonis ab Heſperia inde h. e. Hiſpania abducti per Italiam in Græciam. Fabula Romanis celebrata, quod in illo reditu ad Euandrum in Italia divertiſſe, Cacum latronem interfeciſſe, cultum ſui inſtituiſſe, ferebatur. Vid. mox ad v. 43. Geryon ille porro vel Geryones tergeminus fingitur, ter vincendus, propter trium Inſularum, Balearidum duarum & Ebuſi, imperium. Totam expeditionem portentorum plenam narrat Apollod. Bibl. 2, 4. 10.

41 De *Antaeo* ad 3, 287 dictum: de *Hydra* 3, 290. Illa *Cerva*, in quam mutata fuerat Taygete, inter nobiliſſimos Herculis actus eſt, cum illam ad Hyperboreos uſque perſecutus ſit. Vid. Pind. Ol. 3, 50 & Schol.

43 *Caci* latronis ab Hercule interemti fabulam ſplendide narrat Virg. Aen. 8, 190: breviter Liv. 1, 7. Buſiris Aegypti tyrannus, de quo ad 18, 159, voluit etiam immolare Herculem: ſed hic ruptis vinculis ipſum interfecit. V. Apollod. Bibl. 2, 4. 11: verum negat Herodotus 2, 45.

44 *Nubigenæ* ſunt Centauri, e nube geniti, quam pro Junone Ixion amplexus eſt, Serv. ad Aen. 6, 286. Hygi. f. 62. Pugnam cum illis Herculis habet Apollod. l. c. §. 4. Pholoë mons & urbs Arcadiæ, ubi pugnatum eſt.

45 *Libyci ſinus* potuerunt *ſtupere* Herculem, vel ipſa *maxima Tethys*,

Horruit, impoſito cum premerere polo.
Firmior Herculea mundus cervice pependit:
Luſtrarunt humeros Phœbus & aſtra tuos.
Thracius hæc vates. Sed tu Tyrinthius alter,
Florentine, mihi: tu mea plectra moves,
Antraque Muſarum longo torpentia ſomno
Excutis, & placito ducis ab ore ſonos.

47 quievit *Cuj. pulchre ſane.* 52 placidus ducis in orbe choros *Baſ. marg.* placidos d. i. o. ch. *potiores ap. Heinſ. quos ſequitur.* placidos ducis ab ore ſonos *vulg.* placito *Clav. Raphel.*

Tethys, Oceanus, cum Heſperidum mala peteret, cum cervam illam perſequeretur, in primis vero cum vicem *Atlantis* ſubiens cælum humeris ſuſciperet, de qua re Apollod. l. c. §. 11.

52 *Excutis*, ut feræ in venatu e ſuis excutiuntur latibulis. *Excutere cubilibus feras* eſt Plin. Pan. 8, 1. *Ducis*, elicis ab ore meo, quod tibi placuiſſe oſtendiſti, a placita tibi facultate poëtica, *ſonos* novos nova carmina.

XXXV

CL. CLAUDIANI

DE

RAPTU PROSERPINAE

LIBER II

Impulit Ionios præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies: tremulis vibravit in undis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.
Jamque audax animi, fidæque oblita parentis,
Fraude Dionæa riguos Proſerpina ſaltus
(Sic Parcæ volvere) petit. ter cardine verſo

M m 3 Praeſagum

2 vibratur *MSS.* fibratur *ſphal. Baſ.* 6 juſſere *vulg.* volvere *etiam Baſ. marg.*

1 *Impelli* videntur fluctus, cum percutiuntur a radiis: & videtur alioqui noſter non alienus ab ea ſententia, quæ motum Telluris a Sole ſuſpendit. vid. ad 1, 1 & conf. 26, 236. *Præmiſſum lumen* eſt, quum Solis ipſum corpus adhuc infra horizonta noſtrum eſt, & tamen in fluctibus maris, ſplendor aliquis obſervatur, luci a Sole ſimilis. *Vibrare* intranſitivum eſt, ut *movet terra* c. i. g. a. Vid. Da. Heinſ. ad illud Sil. 1, 539 *Ultrix injuſti vibravit lancea belli.* & Drackenb. ad 4, 156.

3 Hoc phænomenon, quod *errantes flammæ ludunt per cærula,* cauſam eſſe puto, cur *purpureum mare*, *πορφύρεον κῦμα*, *θάλασσαν πορφυρέσσαν*, *ἅλα μαρμαρέην*, dixerint: cum hoc Claudiani verſu commode poſſit enunciari quod paſſim de purpura memorant. V.G. Plin. 9, 38 *Laus* purpuræ *ſumma, in colore ſanguinis concreti, nigricans adſpectu, idemque in ſuſpectu reſulgens.* Fluctus maris nigricantes, obſcuri certe & cærulei, in ipſo motu etiam ſplendidum, lucidum, & pene igneum fulgorem ſpargere ſolent. Etiam auroræ colorem reflexum a mari obſervari poſſe, colligas ex iis, quæ diſputat in Hiſtoria Maris Phyſica Marſilius Comes p. 20 ed. Gallicæ.

6 (*Sic Parcæ volvere*) Parentheſis ſimilis Homericæ principii Iliadis, *Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.* Dictio ſimilis Virgilianæ Aen. 1, 22 *Sic volvere Parcae.*

Præſagum cecinere fores. ter conſcia fati
Flebile terrificis gemuit mugitibus Henna.
Nullis illa tamen monſtris, nulloque tenetur
Prodigio. Comites greſſum junxere ſorores.
Prima dolo gaudens, & tanti callida voti,
It Venus, & raptus metitur corde futuros,
Jam durum flexura Chaos, jam, Dite ſubacto,
Ingenti famulos Manes ductura triumpho.
Illi multifidos crinis ſinuatur in orbes
Idalia diviſus acu. ſudata marito
Fibula purpureos gemma ſuſpendit amictus.
Candida Parrhaſii poſt hanc regina Lycæi,
Et Pandionias quæ cuſpide protegit arces,
Utraque virgo, ruunt: hæc triſtibus aſpera bellis;
Hæc metuenda feris. Tritonia caſſide fulva

Cælatum

7 præſagium *MSS.* 8 Aetna *editi. Sed* Henna *MSS. opt. Vid. ad* 33,122. 11 conſcia furti *vulg.* tanto c. voto *MSS.* cauti callida voti *ſuſp. Heinſ. conf.* 24, 120. 13 domitura *Baſ. marg.* læſura *Cuj.*

7 *Ter* illud repetitum indicat non temere aut naturali quadam ratione accidiſſe, ſed conſilio Dei vel Deæ alicujus. Januæ alias bene politæ, cum crepitu & velut gemitu quodam repetito apertæ, malum omen. Qui alia omina januarum diligenter collegit, hac de re tacet Sagitt. de januis Vett. 35, 15 p. 268 ſq.

10 Cauſa indicatur, quod mota non eſt prodigiis Proſerpina: Venus, Diana, Minerva illam comitantur.

13 *Chaos* eſſe ipſos inferos, dictum ad 5, 525.

14 Proponit poëta Chaos, inferos, tanquam magnam aliquam *familiam*, in qua herum, Ditem, ſequantur ducti in triumpho Veneris *famuli Manes*, defunctorum animæ.

16 Jam pingit cultum quatuor Dearum: primum Veneris, cujus ſimplex eſt ornatus. De *Idalia acu* vid. 14, 1. De *ſudata fibula marito* illius Vulcano, ad 14, 94. Illud *ſuſpendit* ita intelligo, ut in dextro humero, vel in ſummo pectore adeo duæ velut alæ amictus vel pallæ fibula connexæ fuerint, quæ inde pendere viderentur.

18 Dianæ deſcriptio, quæ venari per Arcadiæ montes ſoleret. Vid. ad 21, 181.

19 *Pandionia* a Pandione Erechthei F. Philomelæ & Prognes patre, rege Athenarum, ſolent poëtæ Attica omnia vocare Pandionia. Sic noſter 8, 508 it. 15, 406. Minerva, 'Αθήνη, nominatim *ἀκρόπολις*, cui & Athenarum & aliæ arces ſacræ.

21 *Tritoniam* vocare Pallada, noſtro in primis frequens. Nominis rationem obſcuravit ſedula Grammaticorum ſubtilitas. Placet Geographicum & hoc epitheton

Cælatum Typhona gerit, qui, ſumma peremtus,
Ima parte viget, moriens & parte ſuperſtes.
Haſtaque terribili ſurgens per nubila gyro
Inſtar habet ſilvæ. Tantum ſtridentia colla
Gorgonos obtentu pallæ fulgentis inumbrat.
  At Triviæ lenis ſpecies, & multus in ore
Frater erat, Phœbique genas & lumina Phœbi
Eſſe putes, ſolusque dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent: levibus projecerat auris
Indociles errare comas, arcuque remiſſo
Otia nervus agit. pendent poſt terga ſagittæ.
Criſpatur gemino veſtis Gortynia cinctu
Poplite fuſa tenus, motoque in ſtamine Delos

 Errat,

23 in parte *MSS.* partimque *conj. Heinſ.* 24 ferro *Baſ. marg.* 26 obtectu *Parrhaſ.* obumbrat *al.* 29 facit *MSS.* dabat *auctoritatibus aliorum firmat Heinſ.*

ton eſſe ab amne & lacu Tritonis in Libyæ regione Syrtica, cujus rationis auctor ipſe Herodotus 4, 178 coll. 180.

22 *Typhona* hic, de gigantibus unum, ita cælatum ait, ut quantum ad *ſumma* mortuus videatur, *ima parte*, quod ad pedes anguium formam habentes, ut nihil eſt ſerpentium genere vividius, *vigeat*, *moriens* ſimul, & tamen ſui *parte* adhuc *ſuperſtes*: nempe angues illi adhuc ſinuabantur ſua in volumina.

24 Obſervemus, de viva Dea, non de imagine, loqui poëtam. Itaque *gyrus* ille *terribilis* a quo nomen inveniſſe creditur (*πάλλειν* enim vibrare eſt) poteſt cogitari quomodo *inſtar ſilvæ* habeat, multiplicatur enim ab illo celeri circumactu haſta, & non unam arborem, ſed ſilvam exhibet: ut pruna in tenebris circumacta circulum ignitum refert.

25 In pectore gerit Minerva caput Gorgonis Meduſæ, ſerpentibus crinitum, qui ſerpentes etiam circa pectus Deæ in quibusdam antiquis imaginibus videntur reperire. Hæc ſtridentia & ſibilantia, tanquam viva colla Gorgonis, ne forte Proſerpinam terreat, palla tegit.

27 *Triviæ* ſ. Dianæ in vultu erat multa ſimilitudo fratris ſui, pulchri Apollinis &c.

31 *Indociles comæ*, quæ non coluntur, flectuntur, ſed ſuum ſibi ingenium ſervant: ut contra ap. Hor. A. P. 66 eſt *Amnis Doctus iter melius*.

33 *Gortynia veſtis*, Cretenſis, in qua inſula ob venandi ſtudium arcus & ſagittæ optimæ. De Diana Cretenſi dictum ad 24, 248. De *gemino cinctu* ad 24, 247. Add. Spanh. ad Callim. H. in Dian. v. 11 p. 134 ubi ſunt nummorum imagines hunc cinctum exhibentes.

34 *Stamen* videtur, Synecdoche quadam ſignificare totam veſtem Dianæ, ut 18, 304, in qua partus ipſius argumentum intextum indicatur.

Errat, & aurato t·ahitur circumflua ponto.
Quas inter Cereris proles, nunc gloria matris,
Mox dolor, æquali tendit per gramina paſſu,
Nec membris nec honore minor; potuitque videri
Pallas, ſi clipeum, ſi ferret ſpicula, Phœbe.
Collectæ tereti nodantur jaſpide veſtes.
Pectinis ingenio numquam felicior arti
Contigit eventus. nullæ ſic conſona telæ
Fila, nec in tantum veri duxere figuram.
Hic Hyperionio Solem de ſemine naſci
Fecerat, & pariter, ſed forma diſpare, Lunam,
Auroræ noctiſque duces. cunabula Tethys
Præbet, & infantes gremio ſolatur anhelos,
Cæruleuſque ſinus roſeis radiatur alumnis.

Invalidum

36 gaudia *Cuj.* 39 clipeum ferret, ſi *al.* 40 nectuntur *Cuj. commodius.* 42 nulli *vulg.* 43 figuras *MSS.* 45 Lunam ſed diſpare forma *vulg.* 46 vices *Baſ. marg.* 47 anili *placet Heinſ.*

dicatur. Dum incedit Dea & mover ſe, Delus in veſte filis aureis picta videtur errare & fluctuare quam fingunt nempe poëtæ illius naturam ac ſortem fuiſſe, antequam Latonam parturientem excepiſſet.

38 *Honor* credo hic eſt pulchritudo, a quo dicuntur honeſti, nomine adeo a primaria illa honoris notione diſcedente, ut *aſinos* etiam *honeſtos* dicere Varro nihil dubitarit.

39 Etiam hunc verſum de clipeo Minervæ pulchre illuſtrat Spanh. in Callim. H. in Pallad. v. 44 p. 576.

40 *Teres jaſpis* itaque fuiſſe ponitur pars fibulæ.

41 Laudare vult veſtem Proſerpinæ, *Arti pectinis*, inquit. h. e. texendi, nunquam ingenio & peritia artificis *Contigit eventus felicior.* Noſtri dicerent, *Nie iſt der Kunſt durch Hülfe des Genie ein Stück beſſer gerathen.*

44 Hic igitur *Hyperion* (quem Cæli ac Terræ filium faciunt) Solis & Lunæ pater ponitur, quos ex Theia ſuſcepiſſe volunt. Vid. Apollod. Bibl 1, 1. 3 & 1, 2. 2. Sumtum utrumque ex Heſiodi Theog. 371.

46 *Tethys* ſoror eſt Hyperionis Heſiod. Theog. v. 136 atque adeo amita horum parvorum, cui nutricatus ille convenit. Eſt autem conſtanti mytho Tethys mare. Quam venuſte igitur, & vere Alexandrino lepore, pingit poëta Tethyn ſolantem *infantes* Solem & Lunam *anhelos* a curſu, ſuo *gremio*? Quid notius, quam refrigerari, requieſcere Solem & ſidera in mari? Quam pictorium *cæruleum* illius *ſinum radiari roſeis alumnis* & a matre rubentibus & ab igne?

Invalidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce gravem, nec pubeſcentibus alte
Criſtatum radiis. Primo clementior ævo
Fingitur, & tenerum vagitu deſpuit ignem.
Læva parte ſoror vitrei libamina potat
Uberis, & parvo ſignatur tempora cornu.
Tali luxuriat cultu. comitantur euntem
Naïdes, & ſocia ſtipant utrinque corona,
Quæ fontes Criniſe tuos, & ſaxa rotantem
Pantagiam, nomenque Gelan qui præbuit urbi,
Concelebrant: quas pigra vado Camerina paluſtri,

54 ſignantur *vulg.* 56 Najades *vulg.* caterva *Baſ. marg.* 57 Crimniſe *vulg.* *Sed* Eraſine *Baſ. marg.* *Vic.* & *Vien.* Crimiſus, Cruniſus *al.* 59 Camarina *al.*

49 *Titan* eſt Sol genere. Pater enim illius Hyperion Titanum unus. V. Apollod. 1, 1. 3.

50 *Nondum luce gravem*, moleſtum, intolerabilem. *Criſtæ* ornamentum capitis, radii.

53 *Vitreum* uber Tethyos: is enim maris color eſt, ex viridi & cæruleo miſtus.

54 *Parvum cornu*, Luna corniculata, nova, perpetuum Dianæ inſigne & δεῖγμα.

55 *Luxuriat* honeſtum hic verbum eſſe debet, ut *poſtes ſuperbi*, & ſimilia. Quæ enim veſtis Proſerpinæ nimis ſumtuoſa eſſe poteſt?

56 *Naides* legendum etiam ideo, quod *Naiades* quadriſyllabum eſſet, monet Heinſius. Ceterum per hanc occaſionem lacus & flumina Siciliæ nos docet Poëta. Fundus quaſi omnis doctrinæ hiſtoria, hiſtoriæ Geographia: hanc propinant & vel non ſentientibus inſinuant Poëtæ, ut quisque maxime Patrem Homerum ſequitur. Nos hic etiam breviter indicamus, quæ verbis poëtæ declarandis neceſſaria videntur. Diſputationem accuratiorem requirentes ad præſtantiſſimi Cluverii Siciliam & Cellarianam Orbis antiqui notitiam ablegantes.

57 De *Criniſo* hoc tantum monemus, eundem fluvium videri Cluverio ac Cellario, qui *Crimeſus*, *Crimiſſus*, *Crimiſus*, *Criniſus* in diverſis ſcriptoribus vocatur. Plus etiam varietatis annotavit, *Criniſum* vero hic & apud Virg. Aen. 5, 38 probavit, Heinſius.

58 Vibius Sequ. de Flumin. p. 68 *Pantagias Siciliæ ita dictus, quod ſonitus ejus decurrentis per totam inſulam auditus eſt usque eo, donec Ceres quærens filiam comprimeret eum.* Cf. Bochartus Can. 1, 38 p. 592. De *Gela* plane eodem modo Virg. Aen. 3, 702 *Immanisque Gela, fluvii cognomine dicta.* Sil. 14, 218 *Venit ab amne trahens nomen Gela*, h. e. Gelenſes, vel Geloi *venerunt*.

59 Etiam *Camerina* (Græcis Καμαρίνη) palus, urbi vicinæ nomen dat. Nobilis eſt proverbio, cui ortum dedit, ſi Servium audimus ad Aen. 3, 701 oraculum, Μὴ κίνει Καμαρίναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων·

Quas Arethuſæi latices, quas advena nutrit
Alpheus. Cyane totum ſupereminet agmen.
  Qualis Amazonidum peltis exultat aduncis
Pulcra cohors, quoties Arcton populata virago
Hippolyte niveas ducit poſt prælia turmas;
Seu flavos ſtravere Getas, ſeu forte rigentem
Thermodontiaca Tanain fregere ſecuri.
Aut quales referunt Baccho ſolennia Nymphæ
Mæoniæ, quas Hermus alit, ripaſque paternas
Percurrunt auro madidæ; lætatur in antro
Amnis, & undantem declinat prodigus urnam.
  Viderat herboſo ſacrum de vertice vulgus
Henna parens florum, curvaque in valle ſedentem
Compellat

62 ademtis *vulg.* aduncis *Raph. Barth. Heinſ.* 66 Thermodoont. *al. male.* V. N. 69 circueunt *MS.* gravidæ *MSS.* gravidas *Raph.* 72 Aetna *ante Heinſ.*

ἀμείνων· quo contemto, peſtilentiæ auertendæ cauſa cum eam exſiccaſſent, per eam partem hoſtes ingreſſi ſunt.

60 *Arethuſa*, fons prope Syracuſas, in quem per ſubterraneos meatus exire putabatur Alpheus Elidis fluvius, amator quondam nymphæ Arethuſæ. Vid. ad 4, 9. Totam fabulam narrat more ſuo ex ipſius perſona Arethuſæ Ovid. Met. 5, 572 ſqq. Recentiores poëtas Guarinum Italum, & noſtrum Lohenſteinium, taceo.

61 *Cyanes* in fontem mutatæ, cum obſiſtere vellet raptori Plutoni, fabula eſt Ovid. Met. 5, 412.

62 De *peltæ* Amazoniæ figura multum diſputatum eſt. Vid. Pe. Petiti diſſ. c. 25 & 26. Quæ ibi ex nummis aliisque monimentis exhibentur figuræ, *aduncarum* epitheton pulchre his convenire oſtendunt. *Securis* etiam Amazoniæ figuram ibidem licet cognoſcere.

64 De *Hippolyte* hac ad 11, 35 dictum eſt: ſignat illam noſter etiam 34, 37.

66 *Thermodon* Θερμώδων, fluvius, qui in Pontum Euxinum exoneratur, patriam Amazonum alluit, ut idem fere ſit *Thermodontiacus* quod Amazonius. Etiam hic locus γεωγραφούμενος eſt, cum expeditionis modum quaſi depingat a Thermodonte ad Tanain, hujus autem glaciei mentionem injiciat, quam frangunt, ut videtur, Amazones ne impediat ratium trajectum, cum pedeſtri itineri firmum ſatis pontem præbere non poſſit.

67 *Bacchus* ſacra *Mæonia*, h. e. Lydia & Hermus, Vid. ad 24, 227.

70 Ita pinguntur paſſim a noſtro etiam fluvii ut Tiberinus pater 1, 213, Rhenus 3, 133, Pactolus 20, 172.

72 *Henna eſt loco præcelſo atque edito, quo in ſummo eſt æquata agri planities, & aquæ perennes —— quam circa --- lætiſſimi flores omni tempore anni, locus ipſe ut raptum virginis --- declarare videatur. Etenim propter eſt ſpelunca. —— infinita* al-

Compellat Zephyrum: „*Pater o gratiſſime veris,*
Qui mea laſcivo regnas per prata meatu
Semper, & aſſiduis irroras flatibus annum,
Reſpice Nympharum cœtus, & celſa Tonantis
Germina, per noſtros dignantia ludere campos.
Nunc adſis faveaſque, precor: nunc omnia fetu
Pubeſcant virgulta velis, ut fertilis Hybla
Invideat, vincique ſuos non abnuat Hortos.
Quidquid turiferis ſpirat Panchaïa ſilvis,
Quidquid odoratus longe blanditur Hydaſpes,
Quidquid ab extremis ales longæva Sabæis
Colligit, optato repetens exordia buſto,
In venas diſperge meas, & flamine largo
Rura fove, merear divino pollice carpi,
Et noſtris cupiant ornari numina fertis.„

Dixerat.

74 volatu *vulg.* meatu *auctoritate etiam aliorum firmat Heinſ.* 78 flatu P. v. tuo, ut ſic *Cuj.* 79 virg. novo, nunc *MS.* 81 floriferis, roriferis *MS.* 82 large *MS.* 83 externis — colonis *vulg.* extremis Sabæis *etiam Baſ. marg.* 84 optati referens ex. ſæcli *vulg.* renovans *Cuj.* optato rep. ex. buſto *Baſ. marg. pro* buſto, partu, fato, ſæclo *MSS.* leto *conj. Heinſ.* 85 in terras *Cuj.* experge *MS. ap. Burm. ad Aen.* 3, 625. 86 ut merear *al.* 87 foveant *MS. unde* faveant *vel* voveant *conj. Heinſ.*

altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exſtitiſſe. Hæc & plura Cic. Verr. 4, 48. De orthographia vid. ad 33, 122.

75 *Annum* totum hic *irrorat*, humectat & florum fertilem facit Zephyrus; in aliis orbis terrarum partibus modo ver exornat.

79 *Pubeſcere* dicuntur homines, quo tempore ſigna maturi ad generandum corporis exiſtunt: quod pulchre hic & ſolenni optimis poëtis Metaphora ad florem plantarum transfertur, quas *virgultorum* nomine videtur comprehendere. *Hyblam* Atticæ montem florum feracem eſſe, mel Hyblæum ſatis indicat. De *Panchaia* dictum ad 7, 210.

82 *Odoratus Hydaſpes* propter aromata, quæ ex India petebantur, forte Medicas etiam arbores habuit. Hic eſt *Indus odor* 45, 98.

83 *Ales longæva*, Phœnix, quæ poſt mille vitæ annos de turis ſurculis ſibi rogum facit &c. Habebimus enim n. 44 totum de Phœnice carmen. Ne de Lactantiano Phœnice dicam.

86 *Merear* poteſt illud quidem, pro uſu ætatis hujus & paullo ſuperioris, etiam ſignificare contingat mihi. Sed licet quoque naturali illo verbi intellectu hic ſumere, ita: tuo, o Zephyre, beneficio digna fiam, ut divino pollice carpar. Cui rex honorem tribuit, ille jam meretur aliorum reverentiam, & ſuo jure poteſt exigere.

Dixerat. Ille novo madidantes nectare pennas
Concutit, & glebas fecundo rore maritat,
Quaque volat, vernus ſequitur rubor. omnis in herbas
Turget humus, medioque patent convexa ſereno:
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & dulci violas ferrugine pingit.
Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales vinctura ſinus? quæ vellera tantum

Ditibus

90 color *al.* rubor *etiam Baſ. marg.* 91 madidoque *MS. quod merito placebat Heinſio.* 93 imbuit *Ald. & Baſ. marg. Claver.* Induit *etiam aliunde adfert Heinſ. Vien. marg. Baſ. marg.* 94 *pro* gemmis, donis 95 junctura *al.*

88 *Novum nectar*, quod ſubinde ſcaturit, eo, quod adhæſerat prius, conſumto.

89 *Maritat*, verecunda phraſi, maritali ſemine fecundat. De Favonio, qui eſt ipſe Zephyrus, Plin. 16, 25 pr. *Hoc maritantur viveſcentia e terra.* Et 13, 4 ſ. 7 de palma mare *Afflatu viſuque ipſo & pulvere etiam reliquas maritare.*

90 *Vernus rubor* vividum omnis generis ac lucidum colorem notat. Vid. quæ diximus ad 29, 7.

91 *Convexa* noſter pro cælo ſolet ponere fere perpetuo. V. G. 5, 454. *Patet* autem cælum, cum non eſt obtextum vel obtectum nubibus. Virg. Ae. 1, 155 *cælum apertum* interpretatur *ſerenum* Servius. Utrumque jungit noſter: in Hennenſi regione, inquit, *patent convexa* cæli, ut *medium* ſit *ſerenum*, cum in vicinia circum circa nubibus omnia obſcurentur. Hæc utcunque intelligere mihi videor: ſed multo tamen magis arridet illud *madidoque*: quod acutum merito viſum eſt Heinſio. *Madidum ſerenum*, cum ſudo licet cælo tamen non marcent viridia, ſed a madore vigent olentque. Sic *imbres ſerenos* a Nilo tribuit Aegypto noſter 47, 5.

92 *Sanguineum ſplendorem* intelligamus, non effuſi ſanguinis ſ. cruoris colorem, ſed fuſi per genas puellares.

93 *Violas* itaque non minus, quam Virgilii *hyacinthos* Ge. 4, 183 *ferrugineas* licet dicere: non ferruginis illum ex nigro robeum colorem habentes, ſed ferri politi, & a lento calore temperati cæruleum. Non. 16, 7 *Vere ferrugineus color cæruleus eſt.* Sic infra 275 *ferrugineus* Plutonis *amictus* eſt.

94 *Cingula bacis aſpera* etiam hic vidimus 22, 88. Sed de Parthorum ſ. Perſarum gemmatis cingulis inſignis locus eſt Tertull. de habitu muliebri c. 7 ad quem multa collegit Lacerda. Etiam in equorum Zonis ſ. cingulis quanta fuerit luxuries, apparet ex noſtri epigrammatis, quæ habentur n. 70. 71. 73.

95 *Sinus* veſtium, & ſtolæ fluentis præſertim intelligo. Hos enim efficit cinctus. Hinc Cic. ad Q. Frat. 2, 13 pr. *Mihi, crede, in ſinu eſt, neque ego diſcingor,* nempe ut excidere poſſit facile. Diſputavi hac de re ad Quinctil. 11, 3. 140.

Ditibus Aſſyrii ſpumis ſucantur aëni?
Non tales volucer pandit Junonius alas.
Nec ſic innumeros arcu mutante colores
Incipiens redimitur hiems, cum tramite flexo
Semita diſcretis interviret humida nimbis.
Forma loci ſuperat flores: curvata tumore
Parvo planities, & mollibus edita clivis
Creverat in collem. vivo de pumice fontes
Roſcida mobilibus lambebant gramina rivis.
Silvaque torrentes ramorum frigore ſoles
Temperat, & medio brumam ſibi vindicat æſtu.

Apta

96 fuſcantur *vulg.* fucantur *Vic. Parrhaſ. Vien. Heinſ.* 97 volucris Junonia pennas *ante Claver.* 99 picto *Baſ. marg.* 102 prono *MS.* 103 niveo de pum. *primæ editt.* 106 modico *vulg. Sed* medio *jam Baſ. marg.*

96 *Aſſyrium* pro Syrio dicere ſolent poëtæ: Syriæ autem adjudicare Phœnicen ac Tyrum. Eſt itaque ſermo hic de purpura Tyria. Verbum *fucare* eo magis huc convenit, quod *fuco* parabatur lana ad accipiendum pretioſum colorem purpuræ. Dixi hac de re ad 3, 207. Uſum verbi hic illuſtrat Heinſius.

99 *Hiemem* h. e. tempeſtatem pluvioſam, perſonam facit, coronatam arcu cæleſti ſ. iride, quæ apud nos frequentius ſequi ſolet, niſi fallor, quam denunciare pluviam. Sed ſic etiam Virg. Ge. 1, 380, ad quem locum alludens Seneca Q. N. 1, 6 *Et bibit ingens Arcus, ut ait Virgilius noſter, cum adventat imber.* Vere Plin. 2, 59 *Ne pluvios quidem aut ſerenos dies cum fide portendunt.*

100 Quod *Semitam* vocat, eſt ex Poëtica illa proſopopœia, ubi Iridis cælitus miſſæ viam arcu illo, vel fragmentis arcus ſignari, fingunt, ut 36, 3; ut Virg. Aen. 5, 609 *Illa viam celerans per mille coloribus arcum.* Obſervo ab antiquis Irin ſemper perſonam eſſe, nec Senecam nec Plinium cum φυσιολογοῦσι alio quam *arcus* nomine uti. Apulejus forte primus eſt, qui Philoſophis hoc nomen commendavit.

103 *Vivum pumicem* quod vocat, indicare videtur, ſe non proprie dictum, ſed ſimilem pumici poris ac fiſtulis tophum intelligere: niſi tamen Siciliæ illud ſolum hanc ſubiiſſe vicem dicamus, ut quæ ſaxa primum in pumicem uſta fuiſſent, ea dëinde aqua ſubiret. Pulchre jungit Ovid. Faſt. 2, 315 *Antra ſubit tophis laqueataque pumice vivo*, & in ſpeluncæ deſcriptione Met. 3, 159 *Natura - pumice vivo Et levibus tophis nativum duxerat arcum.*

106 *Brumam* dicere pro frigore modico durum eſt, & poëtæ noſtro relinquendum, cum præſertim *bruma* non tam frigidam aëris conſtitutionem ſignificet, quam diem *breviſſimam*, quod nomen in *breumam* vel *brumam* contrahi videtur eo fere modo, ut *infimus* vel *intimus* in *imum* &c.

Apta fretis abies, bellis accommoda cornus,
Quercus amica Jovi, tumulos tectura cupreſſus,
Ilex plena favis, venturi præſcia laurus.
Fluctuat hic denſo criſpata cacumine buxus,
Hic ederæ ſerpunt, hic pampinus induit ulmos.
Haud procul inde lacus (Pergum dixere Sicani)
Panditur, & nemorum frondoſo margine cinctus
Vicinis palleſcit aquis. admittit in altum
Cernentes oculos, & late pervius humor
Ducit inoffenſos liquido ſub gurgite viſus,
Imaque perſpicui prodit ſecreta profundi.
  Huc elapſa cohors gaudent per florea rura.
Hortatur Cytherea legant. „*Nunc ite, ſorores,*
Dum matutinis præſudat ſolibus aër:
Dum meus humectat flaventes Lucifer agros,
Roranti

118 gaudet *vulg.*

107 Ingenioſa brevitate arborum aliquot uſum ſolennem et pene proprium ſignat, *abies* navibus, *cornus* haſtis apta, *quercus* Jovi ſacra, antiqua nutrix hominum, *cupreſſus* funera indicabat, in *ilice* mellificare ſolent apes, *laurus* Delphico oraculo ſacrata.

110 *Criſpantur* rami buxi, & in ſe invicem inflectuntur, implicanturque: *ſerpunt hederæ* Virgilio etiam ecl. 8, 13, & ipſi naturæ: *induit* pulchre, ut veſtit, circumdat.

112 Operæ pretium eſt conferre Ciceronianam Hennæ deſcriptionem, cujus locum indicavimus, & retulimus particulam ad v. 72. *Pergus* lacus deſcribitur ſuaviſſime ab Ovid. Met. 5, 385 ſq.

114 *Vicinis* margini *aquis palleſcit* lacus h. e. virideſcit ab repercuſſa viridium umbra: quæ res tamen non impedit, quo minus per profundam ſatis aquam ad ipſum fundum lacus penetrare poſſint oculi. Habet talem lacum vicinia noſtra h. e. fontem liquidiſſimæ ſaluberrimæque aquæ, ita copioſum, ut emittat ſtatim rivum *molæ Roſarum* (ſic enim vocatur) pluribus rotis impellendis idoneum.

120 *Præſudat aër ſolibus* h. e. ante æſtum ſolis auctum adhuc roſcidus h. e. humidus & ſubfrigidus eſt.

121 *Luciferum* recte Venus vocat ſuum: eſt enim idem, *Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes*, ut canit Virg. Aen. 8, 590, *Quem Venus illuſtri gaudet producere cælo*, Val. Fl. 6, 528. Obſervemus obiter, antiquiſſimos non recto caſu, Saturnum, Jovem, Venerem dixiſſe Planetas, ſed illos adſignaſſe his Dis. V. G. Ariſtoteles de Mundo c. 2 Ὁ ϛίλβων ὃν ἱερὸν Ἑρμοῦ καλοῦσιν --- ὁ τοῦ Φωσφόρου (κύκλος) ὃν Ἀφροδίτης -- προσαγορεύουσιν. Cic. de N.D. 2, 20 *Stella Veneris, quæ Φωσφόρος Græce,*

Roranti prævectus equo.„ Sic ſata, doloris
Carpit ſigna ſui. Varios tum cætera ſaltus
Invaſere cohors. Credas examina fundi
Hyblæum raptura thymum, cum cerea reges
Caſtra movent, fagique cava demiſſus ab alvo
Mellifer electis exercitus obſtrepit herbis.
Pratorum ſpoliatur honos. Hæc lilia fuſcis
Intexit violis: hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur ſtellata roſis; hæc alba liguſtris.
Te quoque flebilibus mœrens, Hyacinthe, figuris,
Narciſſumque metunt, nunc inclita germina veris,
Præſtantes olim pueros. tu natus Amyclis:
Hunc Helicon genuit. te diſci perculit error:

Hunc

122 provectus *al.* prævectus *firmat etiam aliunde Heinſ.* cruoris *MSS.* doloris *in omnibus MSS. eſſe contra Politianum tuetur Parrhaſ.* 125 carptura *Cuj.* 132 gramina *vulg.* germina *jam Baſ. marg. it. Plant. marg.*

ce, *Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur Solem, cum ſubſequitur autem, Heſperos.* Recte igitur diſtinguunt Poëtæ Deam a ſuo ſidere: recte apud Silium 7, 639 *Oeani renovatus Lucifer unda Laudatur Veneri*, recte 12, 247 eodem ſenſu 12, 247 *Cythereius ignis -- ſe ſe Veneri jactat.*

122 *Equus rorans* pulchre tribuitur Lucifero, quod mane, ſereno cælo ros exſiſtit. *Signa doloris* Veneris ſunt anemonæ ex ſanguine Adonidis ab illa excitatæ. Vid. Ovid. Met. 10, 728. Nam fabula de roſa e ſanguine ipſius Veneris nata, quæ pedem ſpinis induerat, forte recentior eſt: certe antiquior illius auctor Aphthonio Prog. 2 non laudatus a Politiano Miſc. c. 11.

131 *Hyacinthi & Narciſſi* fabulas, quia communia quædam habent, venuſte ſibi invicem innectit. Ille in luſu diſci cum Apolline amatore ſuo eliſus; hic, poſt contemtum Echus amorem, ſuæ imaginis in fonte viſæ amore conteſcens periit: uterque in florem ſui nominis mutatus eſt. Hyacinthi fabulam narrat Ovid. Met. 10, 163, Narciſſi 3, 339.

133 *Amyclis*, Laconica urbe, natum facit Hyacinthum noſter: alii Amyclæ, conditoris Amyclarum filium. Sed & alia hic multa, ut ſolet, diſſenſio, de qua eſt erudita diſputatio Burmanni ad l. c. cui addi poteſt, a Colutho p. 82 in Neandri opere aureo, *Carneum* vocari, κάρνειον, & civem Ἀμυκλαίων.

134 *Helicon* genuiſſe dicitur Narciſſum, in cujus vicinia natus eſt, *Cephiſſi* (vel *Cephiſi*: variant enim libri ubique) fluvii, in finibus Phocidos & Bœotiæ lacum Copaicum influentis, ex Liriope Nympha filius. Etiam hic multam fabularum varietatem Burmannus indicavit.

Hunc fontis decepit amor. te fronte retuſa
Delius, hunc fracta Cephiſſus arundine luget.
  Aeſtuat ante alias avido fervore legendi
Frugiferæ ſpes una Deæ. nunc vimine texto
Ridentes calathos ſpoliis agreſtibus implet:
Nunc ſociat flores, ſeſeque ignara coronat,
Augurium fatale tori. Quin ipſa tubarum
Armorumque potens, dextram, qua fortia turbat
Agmina, qua ſtabiles portas & mœnia vellit,
Jam levibus laxat ſtudiis, haſtamque reponit,
Inſolitiſque docet galeam miteſcere ſertis.
Ferratus laſcivit apex, horrorque receſſit
Martius, & criſtæ pacato fulgure vernant.
Nec, quæ Parthenium canibus ſcrutatur odorem,
Aſpernata choros, libertatemque comarum
Injecta tantum voluit frenare corona.
  Talia virgineo paſſim dum more geruntur,
Ecce repens mugire fragor, confligere turres,
Pronaque

135 recuſſa *Baſ. marg.* 136 Cephiſos *MS.* 138 textos *ante Heinſ.* 139 foliis *ante Heinſ.* 141 quippe ipſa *ante Heinſ. præter Ald. qui dedit* quin. 147 placato *vulg.* 148 odoris *ante Heinſ. nec male.* 150 tandem *al.*

135 *Fronte retuſa*, obtuſis & obſcuratis præ mœrore radiis (vid. 28, 21) luget Hyacinthum ſuum Apollo Deli natus: Cephiſſus autem ſuum filium fracta corona arundinea, quam dare ſolent fluviis, ut noſter Tiberino patri 1, 217. Add. 28, 163.

139 *Calathos* lanificarum, ſed idem proprium vas in inſtrumento Cereris, & in ſacris illius adhiberi ſolitum illuſtrat, & ſpectandum exhibet Spanh. ad Callim. p. 652.

140 *Corona* omen & augurium regni inferorum, quod hac ipſa excurſione parabatur, ſed ignaræ, Proſerpinæ.

141 Splendida Minervæ armipotentis & bellicæ deſcriptio, cui etiam tubæ inventio attributa eſt, quin ipſa inde Σάλπιγξ dicta & hoc nomine culta apud Argivos, qua de re Potter. ad Lycophr. 915. *Haſtam & Galeam* Minervæ omnia monimenta tribuunt.

148 *Parthenium* montem & nemus Arcadiæ indicat, venationibus opportunum, hic & infra v. 241 —— *Parthenios canibus circumdare ſaltus* eſt Virg. ecl. 10,57.

149 *Libertatem comarum* Dianæ venatricis illuſtrat laudandus in hoc opere ſæpe Spanh. ad Callim. p. 660.

152 *Terræ motus* brevis ſed terribilis deſcriptio.

Pronaque vibratis radicibus oppida verti.
Cauſſa latet. Dubios agnovit, ſola tumultus
Diva Paphi, miſtoque metu perterrita gaudet.
Jamque per anfractus animarum rector opacos
Sub terris quærebat iter, gravibusque gementem
Enceladum calcabat equis. immania findunt
Membra rotæ, preſſaque gigas cervice laborat
Sicaniam cum Dite ferens, tentatque moveri
Debilis, & feſſis ſerpentibus impedit axem.
Fumida ſulfureo prælabitur orbita dorſo.
Ac velut occultus ſecurum prodit in hoſtem
Miles, & effoſſi ſubter fundamina campi
Tranſilit eluſos arcano limite muros,
Turbaque deceptas victrix erumpit in arces,
Terri-

161 fulcis imped. actum *Cuj.* implicat *Par. Vien.* 162 prolabitur *ante Raph.* 163 pergit *MSS.* 165 incluſos *vulg. ſed* eluſos *etiam Baſ. marg. & Raph.*

158 *Enceladum*, cui pro carcere & numellis impoſita eſt Sicilia. Vid. 33, 153: Supplicium novum hic patitur Typhoëus, ſimile rotæ, qua in Germania ſceleratorum membra contunduntur.

161 *Serpentibus*, quos pro pedibus habet *implicat* vel *impedit axem* currus Plutonii. Sed eruditior eſt, quam ut ſtupori librariorum tribui poſſit altera lectio, *Sulcis ſerpentibus impedit actum. Sulci* ſunt ὁλκοὶ tractus ſ. volumina ſerpentium. Apulej. Met. 11, p. 57, 19 Elmenh de Iſidis corona *Dextra lævaque ſulcis inſurgentium viperarum cobibita Serpentes* hic adjective ſumendum. Apud Lucia. Hermot. c. 79 ſ. To. 1 p. 823, 83 ὁλκὸν τοῦ ὄφεως recte verti equidem *tractum ipſum ac volumen corporis*, & ὁλκὸν aliunde illuſtravi: ſed ſi hic locus & Apulejanus tum mihi noti fuiſſent, magis ad literam, ut ſic loquar, interpretari poteram *ſulcum*. Porro his *ſulcis* ſuis *ſerpentibus actum* currus Plutonii *implicat* vel *impedit* Enceladus, h. e. progreſſum ac motum: *agitur* enim currus, ut conſtat. Ovidius Halieut. 72 de equo, *Quam tumidus, quantoque venit ſpectabilis actu*, h. e. inceſſu, quo *ſe agere* dicitur etiam equus.

163 Cuniculum militarem deſcribit. *Subter* hic motum ſignificat, ut Virg. Aen. 3, 695 *Alpheum* dicit *Occultas egiſſe vias ſubter mare. Fundamina campi* indicant campum ſolidum, & fundamenta mœnium ſuſtinentem. *Eluduntur muri*, honeſta Metaphora, cum vi ſua excludendi privantur, ut *eluduntur* cuſtodes, cum per ambages invenitur aditus. *Limitem* pro via a poëtis poni, tranſlaticium eſt. In verbo *tranſilit* videor mihi aliquid Alexandrini leporis, ὀξυμω-

ρον

Terrigenas imitata viros: ſic tertius heres
Saturni latebroſa vagis rimatur habenis
Devia, fraternum cupiens exire ſub orbem.
Janua nulla patet. prohibebant undique rupes
Oppoſitæ, duraque Deum compage tenebant.
Non tulit ille moras, indignatuſque trabali
Saxa ferit ſceptro. Siculæ tonuere cavernæ.
Turbatur Lipare. ſtupuit fornace relicta
Mulciber, & trepidus dejecit fulmina Cyclops.
Audiit, & ſi quem glacies Alpina coërcet,
Et qui te, Latiis nondum præcincte tropæis
Tibri, natat, miſſamque Pado qui remigat alnum.
Sic, cum Theſſaliam ſcopulis incluſa teneret
Peneo ſtagnante palus, & merſa negarent
Arva coli, trifida Neptunus cuſpide montes
Impulit adverſos. tum forti ſaucius ictu

Diſſiluit

168 tenebroſa *vulg. ſed* latebroſa *jam Baſ. marg.* 171 Siculaque *MSS.* ſolitaque *Baſ. marg. Hinc* ſolidaque *conj. Heinſ.* 173 tonuere *MSS.* 177 latis *ante Heinſ.* 180 negaret *ante Heinſ.* 182 ter forti *MSS.*

gon quddam, deprehendere: *Muros tranſilit* proprie, qui ſaltu ſe ſupra illos librat; hic vero, qui infra & ſubter illos poſtquam reptavit, ſubito intra urbem exſiſtit.

167 Cadmeos fratres intelligit, ſ. ſpartos illos qui ex dentibus draconis a Cadmo ſeminatis de terra enati dicuntur, & mox mutuis vulneribus periiſſe: quæ fabula deinde a Jaſone quoque acta. Utrisque hoc nomen tribuit Naſo, illis Met. 3, 118, his Epiſt. 12, 99. *Tertius heres Saturni* eſt Dis ſ. Pluto, poſt Jovem & Neptunum.

168 *Habenis rimatur*, quibus nunc in dextrum nunc in ſiniſtrum latus agit equos, nunc immittit, nunc retinet, vel retro agit.

174 Illam Vulcani & Cyclopum officinam deſcribit Callim. H. in Dianam 46. Sed multo copioſius Virg. Aen 8, 416.

178 Quod *bibere* alias dicuntur accolæ fluvios ſuos, hic venuſte *natare*: cum præſertim in conſuetiſſimis Romanorum exercitationibus fuerit natatus. Taceo, quod etiam *Natat uncta carina* Virg. Aen. 4, 398: & habuit hic præ oculis noſter, obſervante Heinſio, Ge. 2, 451 *Torrentem undam levis innatat alnus Miſſa Pado. Latia tropæa* ſunt, quæ Latini retulerunt: *Latii tropæa*, quæ a devictis Latinis aliquis reportat.

179 Graphice deſcriptam a noſtro illam mutationem, apertas Peneo vias, qua ratione pro maximo lacu, amœna illa Tempe exorta ſunt, pro illa doctrinæ copia illuſtravit Spanh. in Callim. p. 410.

Diſſiluit gelido vertex Oſſæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractoque meatu
Redduntur fluviuſque mari telluſque colonis.
Poſtquam victa manu duros Trinacria nexus
Solvit, & immenſo late diſceſſit hiatu:
Apparet ſubitus cælo timor. aſtra viarum
Mutavere fidem. vetito ſe proluit Arctos
Aequore. præcipitat pigrum formido Booten.
Horruit Orion. audito palluit Atlas
Hinnitu. rutilos obſcurat anhelitus axes
Diſcolor; & longa ſolitos caligine paſci
Terruit orbis equos. preſſis hæſere lupatis
Attoniti meliore polo; rurſusque verendum
In Chaos obliquo pugnant temone reverti.

184 factoque *MSS.* 185 fluviiſque *ante Heinſ.* 193 ferrugine *MS.* 196 *pro* obliquo, flexo *Cuj. Forte gloſſa fuit, aut voluit* inflexo? *pro* pugnant, *quod habent etiam primæ editt.* certant *al. ante Heinſ.*

183 *Olympo* tertio caſu intelligendum, ut *Diſſidens plebi virtus* Hor. Od. 2, 2. 18. Continentes erant Oſſa & Olympus: jam diſceſſu vallem faciunt, amœnam adeo, ut generis nomen τέμπος, plur. τέμπεα, η, proprium huic factum ſit.

186 *Manu* i. vi & impetu, ut *manu facta* dicuntur, quæ non natura, ſed conſilio & opera hominum, parata ſunt.

189 *Fidem*, ut *fœdus*, *legem* & ſimilia, meminerimus ad conſtantiam naturæ referendam, quarenus ſub iisdem cauſis, iidem ſemper effectus conſequuntur. Memorat nunc ſiderum motus, quo nihil eſt conſtantius, & æternis legibus ſuis a Deo magis adſtrictum. Sic *vetitum Arcto æquor*, quod nobis nunquam videtur attingere &c. *Bootes tardus* etiam Ovidio Met. 2, 172, & *piger* Faſt. 3, 405 non tantum quod celeritas a bubulcis non requiritur: ſed quod ſidus polo proximum ob id ipſum motum habet minus obſervabilis celeritatis. Ceterum dum animat hæc ſidera & perſonas facit, horribilem hujus perturbationis imaginem excitat. Dicas, quid *Atlas* poſt *Orionem?* verrucula in corpuſculo planetæ, poſt mille Syſtemata Solaria, quæ forte Orion continet? Poëta vero magnitudinem agnoſcit ſolam relationis. Et quid opus eſt ſubtilitate diſputationis? Atlas totum cælum, cujus modica pars eſt Orion, humeris ſuſtinet.

192 *Axes* noſtro eſſe ſingulas quoque ſtellas, monuimus ad 34, 35. Vapor a Plutonis equis anhelitu excitatus, nubem nducit terræ, unde ſtellæ obſcurantur.

195 *Verendum* ad terrorem etiam referri, docet 33, 80. De *Chao* pro inferis 5, 525.

Mox ubi pulſato ſenſerunt verbera tergo,
Et ſolem didicere pati: torrentius amne
Hiberno, tortaque ruunt pernicius haſta.
Quantum non jaculum Parthi, non impetus Auſtri,
Non leve ſollicitæ mentis diſcurrit acumen.
Sanguine frena calent: corrumpit ſpiritus auras
Letifer: infectæ ſpumis vitiantur arenæ.
Diffugiunt Nymphæ: rapitur Proſerpina curru,
Imploratque Deas. jam Gorgonos ora revelat
Pallas, & intento feſtinat Delia cornu:
Nec patruo cedunt. ſtimulat communis in arma
Virginitas, crimenque feri raptoris acerbat.
Ille, velut ſtabuli decus armentique juvencam
Cum leo poſſedit, nudataque viſcera fodit
Unguibus, & rabiem totos exegit in armos,
Stat craſſa turpis ſanie, nodoſque jubarum
Excutit, & viles paſtorum deſpicit iras.
„*Ignavi domitor vulgi, teterrime fratrum,*

Pallas

201 diſcurrat *malit Heinſ.* 206 telo *MSS.* 210 pectora *ante Heinſ. ſed* viſcera *jam Baſ. marg. & Plant. marg.* 213 deſpuit *MS.* 214 dom. mundi *vulg. ante Heinſ. Sed* vulgi *Baſ. marg. & Claver.*

158 *Hibernum amnem* h. e. torrentem e tempeſtate ortum a Græcis didicere Latini. Χειμέριον ὕδωρ eſt ΙΛ. ψ, 420. *Hibernis agitatum fluctibus æquor* Ovid. Tr. 1, 11. 33.

201 *An non nimia* ſit hæc Hyperbole non diſputo: ſed hoc meminiſſe velim Poëſeos candidatos, in *acuminis* appellatione ineſſe notionem celeritatis, acutus gladius celerius penetrat, acutus morbus celerius conficit, acuta mens perſpicit velocius &c. Feſtus, *Acupedius dicebatur, cui ſummum erat in currendo acumen pedum.*

202 Solet noſter hac imagine cruentati a freno oris acrium equorum uti. Vid. ad 1, 5. 22, 350.

209 *Stabuli armentique*, duas quaſi relationes offert poëta, ubi comparata cum aliis ſui generis juvenca placeat.

211 *Exigere* hic idem eſt quod exſerere, exercere: *rabiem* ponit velut gladium vel ferrum quod *exigi* dicitur, h. e. plane adigi. *Armos*, membra robuſtiora dicit, in quibus morſu & ungue lacerandis, omnem impetum leo conſumit.

212 An *nodos jubarum* dicit, qui oriuntur a grumis cruoris, quibus velut in glomerem conglutinantur jubæ?

Pallas ait, *quæ te ſtimulis facibuſque profanis*
Eumenides movere? tua cur ſede relicta
Audes Tartareis cælum inceſtare quadrigis?
Sunt tibi deformes Diræ: ſunt altera Lethes
Numina: ſunt triſtes Furiæ te conjuge dignæ.
Fratris linque domos: alienam deſere ſortem:
Nocte tua contentus abi. quid viva ſepultis
Admiſces? noſtrum quid proteris advena mundum?„
Talia vociferans avidos tranſire minaci
Cornipedes umbone ferit, clipeique retardat
Objice, Gorgoneiſque premens aſſibilat hydris,
Prætentasque aperit criſtas. libratur in ictum
Fraxinus, & nigros illuminat obvia currus.

217 mundum inceſtare *fere ante Heinſ.* cælum *Baſ marg. Claver.* incæltare *primæ editt.* infeſtare *MSS.* 219 flumina *ante Heinſ. præter Claver.* numina *probat etiam Barth.* 226 prætentaque op. criſta *ex MSS. Heinſ. pro* criſta, palla *MSS.*

215 *Profanæ faces*, inceſtæ, quibus violatur etiam religio, & natura rerum, quæ divina eſt: ideo de eadem re ſtatim *inceſtandi* verbum adhibet.

218 *Diræ* hic aperte diſtinguuntur a Furiis, dum ſeorſim commemorantur. Videtur itaque intelligere poëta Harpyias illas Typhonis filias, Phineo puniendo a Jove immiſſas, a Calai & Zete Boreæ filiis abactas. Hæ ſubſtantiva poſitione *ſævæ Diræ* vocantur a Valerio Fl. 4, 586: *Tartareas volucres* nominarat v. 579. *Lethes Numina* h.e. inferorum. *Flumina* fenineam perſonam ſuſtinere, non memini.

220 *Sortem* hanc declaravimus ad 33, 100.

222 *Proteris* injuriæ verbum, conculcas: *advena* & ipſum ſignat injuriam, non dominus, ne civis quidem ſuperorum, ſed advena, peregrinus.

224 Synonymice hæc dicuntur *umbone*, & *clipei objice*: *hydri Gorgonei* etiam ſunt in clipeo Minervæ, quos habet Meduſa Gorgo pro crinibus.

226 *Criſtas* illas galeæ ſuæ terribiles, *aperit* Minerva concutiendo, ut majores fiant, & ſic *prætendit*, & velut intentat equis. Humanum paſſus eſt ſummus vir, cum contulit cum lectione ſua *operit* illud 24, 168. Ibi enim Romam *velat ſua Gorgone* Pallas, h. e. tegit, munit: hic conſternandi ſunt objecta & intentata criſta equi Plutonis. Texerat Minerva caput Meduſæ ſupra v. 25: hoc nunc objicit equis. Sic intelligimus, contraxiſſe, conſtrinxiſſe antea criſtam, quam hic aperit.

227 *Fraxinus* h. e. haſta Minervæ, ſine reſpectu ad materiem, fulmen eſt jam vibratum, jam jaculandum: itaque jam illuminat fulgore ſuo currum.

Miſſaque pæne foret, ni Jupiter æthere vulſo
Pacificas rubri torſiſſet fulminis alas,
Confeſſus ſocerum. Nimbis Hymenæos hiulcis
Intonat, & teſtes firmant connubia flammæ.
Invitæ ceſſere Deæ. Compeſcuit arcum
Cum gemitu, taleſque dedit Latonia voces.
„*Sis memor, o, longumque vale. reverentia patris*
Obſtitit auxilio. nec nos defendere contra
Poſſumus. imperio vinci majore fatemur.
In te conjurat genitor, populoque ſilenti
Traderis, heu, cupidas non adſpectura ſorores,
Aequalemque chorum. Quæ te fortuna ſupernis
Abſtulit, & tanto damnavit ſidera luctu?
Jam neque Partheniis innectere retia luſtris,
Nec pharetram geſtare libet. ſecurus ubique
Spumet aper, ſævumque fremant impune leones.
Te juga Taygeti, poſito te Mænala flebunt
Venatu, mœſtoque diu lugebere Cyntho.

Delphica

228 æth. ſummo *vulg.* juſſo, lapſus, çelſo *MSS.* 229 luminis *al.* fulminis *etiam Parrh. Vien. Clav.* 230 generum *al.* ſocerum *Baſ. marg. Raph. ſententia eadem.* Hymenæon, *ut* intonat *ad Jovem referatur, Heinſ.* 239 æqualesque choros *ante Heinſ.* 240 damnarunt *MSS.* 243 ſævique *ante Heinſ.*

228 Aethere *vulſo*, convulſo & quaſi dirupto: cælum rumpi & rima quadam aperiri videtur a *fulmine*, cui hic *pacificæ alæ* tribuuntur, quia ipſo terrore & minis quietem, pacem, nuptias, amores denunciat. Si noſtris moribus hoc velis accommodare, dic is hoc fulmen fuiſſe ſimile illis tonitribus fulguribusque arte factis, quibus hodie in caſtris & munimentis victoriæ, natales, nuptiæ, Regum celebrantur.

230 *Nimbi hiulci* ſunt nubes denſæ ab igne fulgurum disjectæ & hiantes. *Flammæ* ſunt pro facibus nuptialibus, ſicut tonitruum ſonus pro *Hymenæo* ſ. cantu & ſtrepitu nuptiali.

240 *Sidera* Synonymon *ſupernorum*: ne putemus ad ipſum ſtatum cæleſtium Deorum referri. *Siderum* luctus eſt, quod non vident amplius in terris Proſerpinam. Etiam terreſtres actus ſuos mox memorat Diana & regiones ſibi frequentatas, Laconiam ubi *Parthenius*, *Taygetus*, *Mænala*; Delum ubi *Cynthus*, montes omnes quibus inerrare Diana ſolet. Sic *cælum* ponitur v. 262.

Delphica quin etiam fratris delubra tacebunt.„
Interea volucri fertur Proſerpina curru
Cæſariem diffuſa Noto, planctuque lacertos
Verberat, & queſtus ad nubila rumpit inanes.
„Cur non torſiſti manibus fabricata Cyclopum
In nos tela, pater? ſic me crudelibus umbris
Tradere, ſic toto placuit depellere mundo?
Nullane te flectit pietas? nihilumne paternæ
Mentis ineſt? tantas quo crimine movimus iras?
Non ego, cum rapido ſæviret Phlegra tumultu,
Signa Deis adverſa tuli: non robore noſtro
Oſſa pruinoſum vexit glacialis Olympum.
Quod conata neſas, aut cujus conſcia noxæ
Exſul ad immanes Erebi detrudor hiatus?
O fortunatas, alii quaſcunque tulere
Raptores! ſaltem communi ſole fruuntur.
Sed mihi virginitas pariter cælumque negatur:
Eripitur cum luce pudor: terriſque relictis
Servitum Stygio ducor captiva tyranno.
O male dilecti flores, deſpectaque matris

246 ſilebunt *MS.* 249 fundit *vulg.* rendit, tollit *MSS.* 252 credere *MS.* defendere *MS. eadem ſententia.* 253 nullumne *vulg. præter Claver.* 255 rabido *jubet legi Heinſ.* 258 *pro* noxæ, culpæ *vulg. quam gloſſam putat Heinſ.* 262 negantur *malit Heinſius.* 263 *pro* luce, ſole *vulg. quod ferri poſſe ob repetitionem, negat Heinſ.* 264 infelix *vulg. præter Ald. qui cum MSS.* ſervitum.

246 Reſpicit, puto, Claudianus ad Romanum morem, juſtitium indicendi in luctu publico: ita non reſpondet conſulentibus, non fert ſententiam Apollo.

250 In hac querela Proſerpinæ, & tota adeo hac ſcena, placet mihi Claudianus præ Naſone, qui nimis puellam facit Proſerpinam Met. 5, 399 *Collecti flores tunicis cecidere remiſſis: Tantaque ſimplicitas puerilibus adſuit annis, Hæc quoque virgineum movit jactura dolorem.* Talia decebant 'Οαριστὺν Theocriti, ſ. Idyll. 27, 52.

255 De *Phlegra* & *Phlegræo* tumultu vid. ad 27, 20.

257 Cui hic non in mentem venient illi *conjurati cælum reſcindere fratres* Terræ filii, qui *Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,* Theſſaliæ montem, *atque Oſſæ involvere Olympum,* Virg. Ge. 1, 280.

259 *Hiatus* nomen ad *Chaos* alludit, χαίνειν hiare.

262 *Cælum* ut 240 *ſidera.*

Conſilia: o Veneris deprenſæ ſerius artes!
Mater, io, ſeu te Phrygiis in vallibus Idæ
Mygdonio buxus circumſonat horrida cantu,
Seu tu ſanguineis ululantia Dindyma Gallis
Incolis, & ſtrictos Curetum reſpicis enſes,
Exitio ſuccurre meo: compeſce furentem:
Comprime ferales torvi prædonis habenas.„
Talibus ille ferox dictis fletuque decoro
Vincitur, & primi ſuſpiria ſentit amoris.
Tunc ferrugineo lacrimas detergit amictu,
Et placida mœſtum ſolatur voce dolorem:
„Deſine funeſtis animum, Proſerpina, curis,
Et vano vexare metu. majora dabuntur
Sceptra, nec indigni tædas patiere mariti.
Ille ego Saturni proles, cui machina rerum
Servit, & immenſum tendit per inane poteſtas.
Amiſſum ne crede diem. ſunt altera nobis
Sidera; ſunt orbes alii; lumenque videbis
Purius, Elyſiumque magis mirabere ſolem,
Cultoreſque pios. illic pretioſior ætas,

Aurea

273 planctuque *MSS.* 275 deterſit *vulg.*
276 timorem, pudorem *MSS.*

268 *Buxus*, tibia e buxo. Vid. ad 20, 286.

269 *Ululare* dicuntur Dindyma, montana Phrygiæ, h. e. ab ululatu Gallorum, qui ſe exſecuere, vel ſpectaculi cauſa vulnerarunt, reſonare. Vid. ad 18, 277. it. ad 20, 262. De *ululatu* & tota re adeo ad 33, 205.

270 De *Curetum* enſibus dictum ad 20. 279. Recordemur, ſecundum poëtæ noſtri fictionem, Cereris abſentiam apud matrem ſuam ac Deorum, Cybelen, occaſionem raptui dediſſe. Vid. 33, 179.

275 De *ferrugineo amictu* dictum ſupra ad v. 93.

280 Etiam hic in Plutonis oratione ſunt philoſophemata illa, ad quæ ſupra 5, 525 it. 33, 55 alluſum obſervavimus.

282 Aperte reſpicit Virg. Aen. 6, 641 *Solemque ſuum, ſua ſidera norunt.* *Orbes*, puto, Planetarum intelligit.

285 Nam auream poëtarum, v. g. Heſiodi Op. & Di. 121, ætatem olim κατὰ γαῖα κάλυψεν. Prærogativa inferorum eſt, quod apud illos ſemper durat aurea gens, quæ ſub cælo ſemel tantum fuit.

Aurea progenies, habitant, ſemperque tenemus,
Quod Superi meruere ſemel. nec mollia deſunt
Prata tibi. Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Eſt etiam lucis arbor prædives opacis,
Fulgentes viridi ramos curvata metallo.
Hæc tibi ſacra datur. fortunatumque tenebis
Autumnum, & fulvis ſemper ditabere pomis.
Parva loquor. quidquid liquidus complectitur aër,
Quidquid alit tellus, quidquid ſalis æquora verrunt,
Quod fluvii volvunt, quod nutrivere paludes,
Cuncta tuis pariter cedent animalia regnis,
Lunari ſubjecta globo, qui ſeptimus auras
Ambit, & æternis mortalia ſeparat aſtris.
Sub tua purpurei venient veſtigia reges,
Depoſito luxu, turba cum paupere miſti.
Omnia mors æquat. tu damnatura nocentes.

286 habitat *vulg.* 287 deerunt *vel ſine ſcriptis legi jubet Heinſ. Certe ſic optimos ſolere, oſtendit.* 289 Aetna *vulg. Vid. ad 33, 122.* 290 Averni *Baſ. marg.* amœnis *MS.* Avernis *placet Heinſ.* 291 gravido *MS.* 293 dotabere *MS.* 295 maris *vulg. præter Claver.* 297 animantia *MS.* 300 faſtigia *conj. Barth.*

287 *Mollia prata* eſſe debent, de quibus Virg. Aen. 6, 642 *Pars in gramineis exercent membra palæſtris.*

290 Hæc eſt illa arbor, de qua ramum decerpere debebat Aeneas, Aen. 6, 141.

294 Magnum ſane eſt Proſerpinæ regnum. Quidquid enim apud ſuperos, moritur, perit, diſſipatur, ſenſibus hominum ſubducitur, illud venit in Haden, ad Plutonem. Neque vero inauditum aliquid fingit noſter, de communicato cum Proſerpina inferorum imperio. Sæpe illius mentionem facit Horatius, apud quem V. G. Tireſias Sat. 2, 5 extr. *Sed me,* inquit, *Imperioſa trahit Proſerpina.* Quin jam Hymnus Orphicus Eumenidum illam arbitram & judicem ſcelerum facit. Plura in Hymno ipſius Proſerpinæ.

298 Globus ille cavus, ſphæra illa ſeptima, quæ infixam ſibi habet Lunam, finem conſtituit rerum mutationi obnoxiarum & immutabilium. Cic. Somn. Scip. 4 *Infra Lunam nihil eſt, niſi mortale & caducum, præter animos —— ſupra Lunam ſunt æterna omnia.* Macrobius ad h. l. 1, 21, inter alia, *Sicut ætheris & aëris, ita divinorum & caducorum Luna confinium eſt.*

Tu requiem latura piis: te judice ſontes
Improba cogentur vitæ commiſſa fateri.
Accipe Lethæo famulas cum gurgite Parcas.
Sit fatum quodcumque voles.„ Hæc fatus ovantes
Exhortatur equos, & Tænara mitior intrat.
Conveniunt animæ, quantas truculentior Auſter
Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres
Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas.
Cunctaque præcipiti ſtipantur ſæcula curſu
Inſignem viſura nurum. Mox ipſe ſerenus
Ingreditur facili paſſus molleſcere riſu,
Diſſimiliſque ſui. Dominis intrantibus ingens
Aſſurgit Phlegethon. flagrantibus hiſpida rivis

Barba

306 ſitque ratum *MSS.* ſit factum *MSS.* ſanctum, pactum *conj. Heinſ.* velis *vulg.* ſitque ratum, quodcunque voves *conj. Heinſ.*
311 tartara *vulg. præter Ald. quem & MSS. ſequitur Heinſ.*

305 Hic ergo *Parcas*, *Fatumque* novæ uxori ut *famulas* ſubjicit poëta noſter, & ſervat morem ſuum, quo nunquam, quod recorder, fatalem neceſſitatem, libertati Dei & humanæ contrariam, defendit. Idem dicit ſtatim *Sit fatum quodcunque voles.* Magnam Proſerpinæ vim aſſignat, Hymnus Orph. p. 126. V. G. H κατέχεις ἀΐδαο πύλας —— παντοκράτειρα κόρη —— Ζωὴ καὶ θάνατος μούνη θνητοῖς, & cum alluſione ad nomen, Φέρεις γὰρ ἀεὶ καὶ πάντα φονεύεις. Sed cf. 36, 410.

306 *Ovantes equos*, & totum hunc verbi uſum declaramus ad 22, 68.

307 *Tænara* puto hic non eſſe ſimpliciter illud promuntorium Laconicæ ſuo cum ſpecu; ſed indefinite ſic indicari inferos, ut *Tænarius* eſt idem quod inferus vel Infernus. Sed poteſt tamen fieri, ut ſuos auctores ſecutus ſit noſter. Variant enim & hic fabulæ. Hymnus Orphicus in Plutonem p. 116, 14 abductam ait Proſerpinam ὑπ' Ἀττίδος ἄντρον, Δήμου Ἐλευσῖνος, τόθι περ πύλαι εἰσ' ἀΐδαο. Et ſuadent ſacra Eleuſinia.

308 Comparari poteſt Aen. 6, 706 *Hunc circum innumeræ gentes populique volabant* &c.

311 *Sæcula* ſunt ipſi homines per ſuas generationes & gradus diſcreti. Quoties Lucretius *ſæcla hominum*, *ſcriptorum*, *mortalia*, *animalium*, *ferarum* dixerit pro ipſis hominibus, feris &c. Indices facile docent. Hic *ſæcula* ſunt βίοι, umbræ, animæ defunctorum, vel nondum natorum.

312 *Nurus* νύμφη etiam hic eſt, juvenis mulier nupta, quæ peperit, pariendi certe cauſa habetur.

313 *Paſſus molleſcere*, omiſſo ſe, ut Hor. Car. 1, 2. 43 *Patiens vocari Cæſaris ultor.*

315 *Phlegethontem* perſonam facit, ut fluvios alios, niſi quod pro aquis illi dat flammas.

Barba madet, totoque fluunt incendia vultu.
Occurrunt properi lecta de plebe miniſtri.
Pars altos revocant currus, frenisque ſolutis
Vertunt emeritos ad paſcua nota jugales.
Pars aulæa tenent. alii prætexere ramis
Limina, & in thalamum cultas extollere veſtes.
   Reginam caſto cinxerunt agmine matres
Elyſiæ, teneroque levant ſermone timores,
Et ſparſos religant crines, & vultibus addunt
Flammea, ſollicitum prævelatura pudorem.
Pallida lætatur regio, genteſque ſepultæ
Luxuriant, epuliſque vacant genialibus Umbræ.
Grata coronati peragunt convivia Manes.
Rumpunt inſoliti tenebroſa ſilentia cantus.
Sedantur gemitus. Erebi ſe ſponte relaxat
Squalor,

317 propere *vulg.* 321 in thalamis *vulg.* thalamos *MS.*
323 tenerosque — dolores *Vic. Vien.* & *al.* timores *Ald. Baſ. marg.*
325 prævallatura *MS.* prævellatura *Vic.*

318 *Revocare currus* eſt retinere equos junctos.

319 *Emeriti jugales*, non qui jam mereri deſinant ſimpliciter, ſed qui in illo actu bene de ſuo domino meruerant.

320 Conjungit utramque honoris & gaudii ſignificationem Pacatus Pan. 37, 4 *Portas virentibus ſertis coronatas, aulæis undantes plateas*: ubi *undantes* intelligam fluctuantes aliquantum ab aura & vento, quod non intenta & affixa ſuis extremis eſſent aulæa, ſed ita ſuſpenſa, ut velut undas quasdam agere a vento poſſent: qua ratione mutatus ſubinde cum ſitu repercuſſus lucis, & umbræ admiſtio, colorum quoque & ſplendoris mutationem oculis jucundam & vitæ quoddam inſtar, attulit

321 *Veſtes cultas* & ipſas de aulæis velisque intelligo, quas *tollunt in thalamum*, h. e. ex illis ſublatis ac ſuſpenſis thalamum, velut tentorium quoddam conſtituunt, ſub quo lectus ſternitur. Hæc *Veſtis* & *veſtiendi* notionibus comprehendi, alias oſtenditur.

325 Vix unquam in nuptiali ceremonia *flammeum* omittit noſter V. G. 10, 285. 21, 83.

327 Videt etiam apud inferos Aeneas 6, 656 *per herbam Veſcentes lætumque choro Pæana canentes.* Obſervavit Da. Heinſ. ad Heſiodi, qui aurei ſæculi θαλίας laudat Op. 115, felicem omnem immortalitatem a Græcis & Romanis hoc θαλιῶν, *epularum*, nomine ſignari. Sed hoc extraordinarium & *inſolitum* hic eſt, & datum nuptiis Proſerpinæ, quod requies etiam & indulgentia quædam datur infelicibus ac damnatis.

Squalor, & æternam patitur rareſcere noctem.
Urna nec incertas verſat Minoïa ſortes.
Verbera nulla ſonant, nulloque frementia luctu
Impia dilatis reſpirant Tartara pœnis.
Non rota ſuſpenſum præceps Ixiona torquet:
Non aqua Tantaleis ſubducitur invida labris.
[Solvitur Ixion: invenit Tantalus undas.]
Et Tityos tandem ſpatioſos erigit artus:
Squalentiſque novem detexit jugera campi.
Tantus erat. lateriſque piger ſulcator opaci
Invitus trahitur laſſo de pectore vultur,
Abreptasque dolet jam non ſibi creſcere fibras.
  Oblitæ ſcelerum formidatique furoris
Eumenides cratera parant, & vina feroci
Crine bibunt. flexiſque minis jam lene canentes
Extendunt ſocios ad pocula plena ceraſtas,
Ac feſtas alio ſuccendunt lumine tædas.
  Tunc & peſtiferi pacatum flumen Averni
Innocuæ tranſiſtis aves, flatumque repreſſit
Amſanctus:

331 clareſcere *MS. Claver. qui recte improbat.* 336 Tantalicis *vulg.* 337 *Ejiciendum putat hunc verſum Heinſ. jure, arbitror.* 342 abruptasque *malit Heinſ.* 343 formidandique *MSS.* 348 limen *vulg.* flumen *Ald. Baſ. marg. MSS.*

332 *Urna Minoia* ſortitur judicees malis, de qua Aen. 6, 432 *Quæſitor Minos urnam movet.* Alia eſt illa apud Hor. Car. 3, 1 16 *urna capax*, quæ *movet omne nomen*, qua *omnium ſors verſatur* 2, 3. 26. Hac decernitur, quæ animæ ire ad ſuperos, quæ ad inferos redire debeant. Hæc eſt ſortitio animarum; quam deſcribit ex Eris Pamphylii perſona Plato de rep. extr.

335 Etiam *Ixionis* & *Tantali Tityque* pœnas debet Virgilio v. 595 ſqq.

344 *Cratera parant* h. e. in vaſe ampliore miſcent vinum aquæ, in quo plures ſimul ſerpentes, quos pro crinibus habent, (hi ſunt etiam *ſocii ceraſtæ*) mergere capita bibendi gratia poſſint. Vid. 10, 197. Ab hoc vino non lugubrem ſtridorem edunt, ſed leni ſibilo canunt.

347 *Feſtas tædas* non illas terribiles de Phlegethonte accenſas, quibus terrent impios.

349 Alludit ad etymon *Averni*, ἄορνος *Quem ſuper haud ullæ poterant impune volantes Tendere iter pennis* &c. Virg. Aen. 6, 239. Monuit Heinſius ex Ariſtot. de mirabil.

Amſanctus: tacuit fixo torrente vorago.
Tunc Acheronteos mutato gurgite fontes
Lacte novo tumuiſſe ferunt, ederiſque virentem
Cocyton dulci perhibent nudaſſe Lyæo.
Stamina nec rupit Lacheſis, nec turbida ſacris
Obſtrepitant lamenta choris. Mors nulla vagatur
In terris, nullæque rogum planxere parentes.
Navita non moritur fluctu, non cuſpide miles.
Oppida funerei pollent immunia leti.
Impexamque ſenex velavit arundine frontem
Portitor, & vacuos egit cum carmine remos.
Jam ſuus inferno proceſſerat Heſperus orbi.
Ducitur in thalamum virgo. ſtat pronuba juxta
Stellantes Nox picta ſinus, tangenſque cubile
Omina perpetuo genitalia fœdere ſancit.

Exſultant

350 Anfractus *Vic. Vien. & omnes pene MSS. quos vidit Parrh. & Baſ.* Anxantus *Ald. & Junt.* 353 ſtagnaſſe *vulg.* 354 non rupit *vulg.* 359 impexosque -- crines *Vic. Vien. Junt. Baſ. rell. ante Heinſ.* impexamque -- frontem *Ald. MSS.* implexam -- frontem *Baſ. marg.* 364 ſanxit *al.*

mirabil. audit. reperiri tamen ibi Cygnos. Sed omnia de fabulis & hiſtoria collegit Cluver. Ital. ant. p. 1126 ſqq.

350 *Amſanctus* ſ. *Amſancti valles* notæ ex Aen. 7, 565 ſqq. *ſævi ſpiracula Ditis*, ubi *rupto ingens Acheronte vorago Peſtiferas aperit fauces* Hinc ille *flatus*; quem modo *repreſſum* dicit noſter.

354 *Lacheſin* nominavit, quæ magis proprie Atropos dicenda erat. Sed commune Parcarum illud opus eſt, inter ſe conſentientium certe.

359 Ipſum *coronari* eſt lætitiæ ſignum; *arundine* ſui fluminis utuntur fluvii, quatenus perſonæ ſunt. Charon *portitor* alias ſemper triſtis.

361 *Suus Heſperus:* nam ſolem *ſuum & ſua* ſidera habent, ut monuimus ad v. 282. Ceterum *Heſperus*, Veneris eſt optatum ſponſis ſidus, quem invocant. Totum ex hoc pendet Catulli epithalamium ſ. carmen 62 *Veſper adeſt. Heſpere, qui cælo fertur crudelior ignis? Heſpere, qui cælo lucet jucundior ignis?*

363 Eſt nempe etiam *Nox* Dea, cum Luna ſæpe congruens. Vid. Burm. ad Val. Fl. 5, 567.

Exſultant cum voce pii, Ditiſque ſub aula
Talia pervigili ſumunt exordia plauſu.
„Noſtra parens Juno, tuque o germane Tonantis
Et gener, unanimi conſortia diſcite ſomni,
Mutuaque alternis innectite colla lacertis.
Jam felix oritur proles: jam læta futuros
Exſpectat Natura Deos. nova numina rebus
Addite, & optatos Cereri proferte nepotes.

366 ducunt *vulg.* 367 potens *Ald. & MSS. Hinc* Nocte potens *conj. Heinſ.* 68 unanimis *primæ editt.* ducite *vulg.* diſcite *jam Baſ. marg. & MSS.*

366 *Pervigili plauſu*, tertio caſu, hoc faciunt exordium. Neque enim totum refert Poëta Hymenæum, ſed principium & ſummam.

368 *Diſcite*, ut rudes operum Veneris Sic 31, 130.

370 Hymnus Eumenidum Orphicus poſterior p. 166 illas facit filias Plutonis & Proſerpinæ. Sed hoc non convenit cum Oeconomia Claudiani, qui nuptiis eas jam præſentes facit. In Hymno in Proſerpinam p. 126 non Eumenidum modo, ſed etiam Eubulei mater appellatur.

XXXVI

XXXVI

CL. CLAUDIANI
DE
RAPTU PROSERPINAE

LIBER III

Jupiter interea cinctum Thaumantida nimbis
Ire jubet, totoque Deos arceſſere mundo.
Illa colorato Zephyros prælapſa volatu
Numina conclamat pelagi, Nymphaſque morantes
Increpat, & fluvios humentibus evocat antris.
Ancipites trepidique ruunt, quæ cauſſa quietos
Excierit, tanto quæ res agitanda tumultu.
Ut patuit ſtellata domus, conſidere juſſi.
Nec confuſus honos. Cæleſtibus ordine ſedes
Prima datur. tractum proceres tenuere ſecundum
Aequorei, placidus Nereus, & lucida Phorci
Canities.

3 prælapſa, elapſa, prægreſſa *MSS.* transgreſſa *vulg.* Zephyris illapſa, illata *MSS.* 9 *Omiſſus, credo caſu, hic verſus Baſ.* 11 lucida *vulg.* lurida, lubrica, candida, pallida, verecundaque *MSS.* cærula *etiam Baſ. marg.*

* De Prologo, quem quidam hic inculcarunt, vid. 27 pr.

1 *Thaumantida*, Irin, (vid. 35, 100) Thaumantis & Electræ filiam, Harpyiarum ſororem facit Heſiodus Theog. 265, indeque Apollod. Bibl. 1,2.6. Junonis quidem interdum nuncia ut Aen 4, 693 & 5,606: ſed Jovis præcipue, ut Aen. 9, 803. & Heſiod. Theog 784 Thaumantis filiam faciunt, quia θαῦμα eſt, ſpectaculum admirabile, τέρας ut vocat Homerus Ἰλ. Λ, 27 & Ρ, 547 *Cinctam nimbis* facit phyſica ratione.

3 *Zephyros* pro aëre humido, quem efficiunt Zephyri ponit. Vid. 33, 92 & 185. Plane ſic Stat. Theb 7, 6 Jupiter Mercurio, *I, medium rapido Borean illabere ſaltu*, quod pulchre hic animadvertit Heinſius.

4 *Conclamat* eſt clamore convocat, ut Ovid. Met. 13,73 de Ulyſſe in periculo verſante *Conclamat ſocios.*

11 *Phorci canities* memoratur, quod marinus deus eſt, Phorcys ſ. Phorcus, mare autem canum & cæruleum. Filiæ illius Græe,

[γgaìs

Canities. Glaucum ſeries extrema biformem
Accipit, & certo manſurum Protea vultu.
Nec non & ſenibus fluviis conceſſa ſedendi
Gloria. plebejo ſtat cætera more juventus,
Mille amnes. liquidis incumbunt patribus udæ
Naïdes, & taciti mirantur ſidera Fauni.
Tum gravis ex alto genitor ſic orſus Olympo:
„Adduxere meas iterum mortalia curas,
Jam pridem neglecta mihi, Saturnia poſtquam
Otia & ignavi ſenium cognovimus ævi;
Sopitoſque diu populos torpore paterno
Sollicitæ placuit ſtimulis impellere vitæ,
Incultis ne ſponte ſeges grandeſceret arvis,

Undaret

15 ſtant *legi jubet Heinſ.* 17 placidi numina *vulg. præter Ald.* 19 abduxere *Vic. Ald. Junt. Baſ. Claver. Heinſ. Sed* addux. *Parrhaſ. Vien. Raphel.* 24 graneſceret *MSS.* caneſceret *MSS.*

[γραῦς anus] canæ inde a nativitate, ἐκ γενετῆς πολιαὶ, Gorgones, apud Heſiodum Theog. 270.

12 *Biformem* vocat Glaucum, quia ab umbilico inde piſcis fuit. Ovid. Met. 13, 963 *Cruraque pinnigero curvata noviſſima piſce.* Sic etiam pingit Philoſtratus Icon. 2, 15 extr. e cujus deſcriptione Glauci illuſtrari poſſunt, quæ de Tritone dicta ſunt ſupra ad 10, 146. Ceterum hae Glauci deſcriptiones patiuntur, ut utrumque pedem in ſuum ſibi piſcem mutatum intelligamus, quod de Tritone oſtendimus. Hiſtoriam & fabulas Glauci dedit P. Pater ad Palæph. c. 28.

13 *Proteus* ille monſtrorum marinorum velut paſtor, Virg. Ge. 4, 388, qui ut ibi eſt v. 407 *fit ſubito ſus horridus, atraque tigris, Squamoſusque draco, & fulva cervice leæna* &c. vel, ut Horat Sat. 2, 3. 73 *aper, modo avis, modo ſaxum, & cum volet arbor.* Hic honoris Deum cauſa certo manere vultu jubetur.

17 *Taciti* commodum *Faunorum* epitheton, quos loquaces alias faciunt, & nomen ipſum arceſſunt a *fando.* Vid. Serv. ad Aen. 7, 47. *Taciti* autem hic ſunt præ admiratione ſplendoris cæleſtis, ſibi inſueti.

19 Pulchra, certe ſpecioſa, Jovis oratio effingit morem Regum humanorum, qui ſuis actibus, valde interdum hominem ſapientibus, olentibus, referentibus, ſplendidos obtentus quærunt, & alias longe habent diverſasque multum a *ſuaſoriis* cauſas *juſtificas.* Quidni enim utamur nominibus Grotianis, & huic rei hodie propriis. *Adduxere* id eſt adverterunt res hominum, quas aliquamdiu neglexeram, curas meas denuo, poſtquam penitius inſpexi otia illa aureæ ætatis ſub patre meo Saturno degenerare in *ſenium*, & ignavum languorem; & ideo decrevi populos ſtimulis vitæ ſolicitæ ad laborem impellere hoc modo,

Undaret neu ſilva favis, neu vina tumerent
Fontibus, & totæ fremerent in pocula ripæ.
Haud equidem invideo; (nec enim liveſcere fas eſt,
Vel nocuiſſe Deos) ſed quid diſſuaſor honeſti
Luxus, & humanas oblimat copia mentes?
Provocet ut ſegnes animos, rerumque remotas
Ingenioſa vias paullatim exploret egeſtas!
Utque artes pariſt ſollertia, nutriat uſus!
Nunc mihi cum magnis inſtat Natura querelis,
Humanum relevare genus, durumque tyrannum
Immitemque

28 ſed quod *vulg.* 30 prov. aut *MS.* *unde* haud *conj. Heinſ.* 32 atque *MS.* 34 *Expungi vult h. v. vir doctus ap. Heinſ.* dirumque *pri. editt.*

modo, ne in poſterum *ſponte* naturæ, ſine labore hominum omnia provenirent.

25 *Undare* ad liquidum & profluens mel pertinet: *tument* fontes, cum ebulliunt: *fremunt ripæ*, cum aquæ cum ſtrepitu labuntur & ruunt.

27 *Liveſcere* eſt invidere. Jam φθόνον, invidiam, tribuere DIs alias non verentur veteres. Quin de ſententia Solonis apud Herodotum 1, 32 Τὸ θεῖον πᾶν φθονερόν. qua de re eſt diſputatiuncula mea in opuſculorum Vol. 1 p. 336. Breviter, ſi æqui eſſe volumus, dicemus, qui viri alioquin ſapientes invidiam Deo tribuunt, ii non affectum & conſilium volunt intelligi, ſed effectus, quos invidia habet inter homines. Jupiter poëtæ hic Εὐθυμήμων eſt, malevolam invidentiam a ſe removet.

29 *Oblimat* honeſta Metaphora a canalibus & incilibus agrorum, ubi limus impedit fluxum aquæ. Videtur reſpexiſſe ad Virg. Ge. 3, 136 *Nimio ne luxu obtuſior uſus ſit genitali arvo, & ſulcos oblimet inertes.* In agro quem limus occupat, h. e. in limo, quam diu limus eſt, nihil poteſt naſci.

30 Illud *ut* eſt imperantis, precantis, exſecrantis &c. hoc eſt, omittuntur verba, impero, precor & ſimilia. V. G. Hor. Sat. 2, 1. 43 O *pater & rex Jupiter, ut pereat poſitum rubigine telum!* Narrat igitur Jupiter ſe aurea patris ſui tempora ideo ſuſtuliſſe, ut egeſtas excitaret homines ad agendum. Apparet, & pulchre vidit Parrhaſius, poëtam præ oculis habuiſſe Virgilii Ge. 1, 121 unde ponemus, quæ unice hunc locum declarant licet pluſcula ſint. *Pater ipſe,* Jupiter, *colendi Haud facilem eſſe viam voluit —— Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno. Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni —— Ille, Jupiter, Mella decuſſit foliis, —— Et paſſim rivis currentia vina repreſſit, Ut varias uſus meditando extunderet artes* &c. Totus ille locus divinus eſt, quem brevius attingit hic Jupiter.

33 *Nunc*, poſtquam hæc ita conſtitui, & homines tamen nimis adhuc vel hebetes, vel ad ſua commoda tardi, laborent inopia, iraſcitur mihi Natura mater &c.

33 *Natura* igitur etiam perſona, etiam Dea, non modo ſequioris

Immitemque vocat, regnataque ſæcula patri
Commemorat, parcumque Jovem ſe divite clamat.
Cur campos horrere ſitu, dumiſque repleri
Rura velim, & nullis exornem fructibus annum?
Se jam, quæ genitrix mortalibus ante fuiſſet,
In diræ ſubito mores tranſiſſe novercæ.
Quid mentem traxiſſe polo quid profuit altum
Erexiſſe caput, pecudum ſi more pererrant
Avia, ſi frangunt communia pabula glandes?
Hæccine vita juvat ſilveſtribus abdita luſtris,
Indiſcreta

38 nulliſque *MSS.*

ætatis poëtis, ut Papinio Theb. II, 466 it. Achill. I, 488 ubi plura hujus generis dedit Barthius: ſed etiam patri Theologiæ poëticæ Orpheo, h. e. auctori Hymnorum, qui nomen illud præferunt. Pulchra ibi omnia: ſed ponemus quædam (p. 106) unde, quam late naturæ nomen antiquis illis patuerit, queat intelligi. Ω Φύσι παμμήτειρα θεὰ, πολυμήχανε μῆτερ, —— Πανδαμάτωρ, ἀδάμαστε, κυβερνήτειρα —— παντοκράτειρα —— Ἄφθιτε, πρωτογένεια —— ὑπνοκάθεκτε, Ἄψοφον ἀστραγάλοισι ποδῶν ἴχνος εἱλίσσουσα —— Αυτοπάτωρ, ἀπάτωρ —— Αὐτάρκεια, δίκη, χαρίτων πολυώνυμε πειθώ. Πικρὰ μὲν φαύλοισι, γλυκεῖα δὲ πειθομένοισι —— Ἀΐδιος ζωή, ἠδ' ἀθανάτη τε πρόνοια, Πάντα σὺ ἐσσί, τὰ πάντα σὺ γὰρ μούνη τάδε τεύχεις. Quæ ſic ad verbum reddas: Natura mater omnium, multa machinans, Domitrix omnium ipſa invicta, gubernatrix, omnipotens, Immortalis, primogenita, deprehenſu difficilis, ſine ſtrepitu talis pedum trahens veſtigia, Ipſa tibi pater, patre carens, ſufficientia, jus, gratiarum conciliatrix multis nominibus diſtincta, Amara malis, dulcis obſequentibus. —— Aeterna vita, immortalis Providentia, Omnia tu es, omnia enim hæc tu ſola facis. In fine Dea invocatur, ut pacem, valetudinem, & incrementa omnium adducere velit. Infelicitas fuit illorum ſæculorum, quod ab opere ſuo auctorem non ſatis diſtinxerunt: ſed de Deo eiusque operibus divinitus multa ſunt dicta in hymnis illis Orphicis. Sed redimus ad Claudianum. Hic facit expoſtulantem cum Jove Naturam: fingir pugnam inter attributa & conſilia divina.

41 Quid juvat homines igneus ille vigor, illa cæleſtis origo, ille vultus ad ſidera erectus &c.

43 *Glandes* antiquis hominibus commune cum aliis animalibus, ante fruges inventas, pabulum aſſignant poëtæ. Vid. ad 33, 30. Lubuit rei pervulgatæ hiſtoriam, ſed breviſſime texere. Cum Heſiodus in aureæ ætatis deſcriptione adhuc poſuiſſet, Εργ. 233. Δρῦς Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους μέσση δὲ μελίσσας· Homerus contra Troicis temporibus βαλάνους h. e. glandes ſuibus tantum aſſignat Od. K, 242 & N, 409: ut ante Heroica illa tempora jam σῖτον, frumentaceum cibum ſolemnem fuiſſe hominum, intelligamus. Porro priſcos illos βαλανηφάγους aureæ ætati

Indiſcreta feris? Tales cum ſæpe parentis
Pertulerim queſtus, tandem clementior orbi
Chaonio ſtatui gentes avertere victu.
Atque adeo Cererem, quæ nunc ignara malorum
Verberat Idæos torva cum matre leones,
Per mare, per terras avido diſcurrere luctu
Decretum, natæ donec lætata repertæ
Indicio, tribuat fruges, curruſque feratur
Avius, ignotas populis ſparſurus ariſtas,
Et juga cærulei ſubeant Actæa dracones.
Quod ſi quis Cereri raptorem prodere Divum
Audeat: imperii molem, pacemque profundam
Obteſtor rerum, natus licet ille, ſororve,
Vel conjux fuerit, natarumve agminis una,

48 atque ideo *Ald. Plant. MSS.*

ætati adſcribit Juvenal. 6, 1 ubi laudatur uxor *Horridior glandem ructante marito.* Indicare idem videtur Plutarchus in principio libelli de eſu carnium ſ. p. 993, F. Βαλάνυ γευσάμενοι, inquit, καὶ Φαγόντες ἐχόρευσαν ὑφ' ἡδονῆς περὶ δρῦν τινα, καὶ Φηγὸν (fagum, a quo ipſum Φαγεῖν dictum volunt quidam Grammatici) ζείδωρον τε καὶ μητέρα, καὶ τροφὸν ἀποκαλȣ̃ντες ἐκείνην. Honorem quem poſteri habuere Telluri Matri, Cereri, fago illi habuere. Arcades, ſtudioſi & jactatores antiquitatis, quod mediterranei eſſent, & a navigantium commerciis alieni, videnrur diutius etiam hanc rationem retinuiſſe, propter quam rem in veteri oraculo, quod refert Herodotus 1, 66 deſignantur per βαλανηΦάγυς ἄνδρας. conf. Pauſa. Arcad. ſ. 8 pr. Aelia. H. V. 3, 39. Plura de βαλανηΦαγίᾳ tum antiqua illa, tum ætatis poſterioris collegit Meurſ. ad Lycophr. 483. Illud ad rem noſtram pertinet addere, defectu glandis & inopia compulſos ad agriculturam homines, indicari etiam a Virgilio Ge. 1, 148 *Cum jam glandes & arbuta ſacræ Deficerent ſilvæ, & victum Dodona negaret.* Contra poſt inventas fruges calamitatis & famis remedium quercus, Georg. 1, 159: aut ſtultæ factæ ruditatis indicium, Cic. Orat. c. 9 *Quæ eſt enim in hominibus tanta perverſitas, ut inventis frugibus glande veſcantur.*

47 *Chaonia* pars Epiri, in qua eſt Dodona, quercuum & glandium patria.

49 Ad matrem ſuam & aliorum Deorum Cybelen ſalutatum ierat Ceres; hic *attigit Iden* 33, 200: hic cum matre Leonibus vehitur.

54 *Dracones* vectura Cereris, qui 33, 200 *fulvi ſerpentes* vocantur, hic *cærulei:* nempe utrumque colorem ſquamæ illæ referunt. Hunc currum ſuum commodavit Ceres Triptolemo Attico ſ. *Actæo*, in Eleuſine pago habitanti, ut munus frugum terris eo celerius feliciusque impertiret.

Se licet, ille meo conceptum vertice jactet,
Sentiet iratam procul ægida, ſentiet ictum
Fulminis, & genitum divina ſorte pigebit,
Optabitque mori: tunc vulnere languidus ipſi
Tradetur genero, paſſurus prodita regna,
Et ſciet an propriæ conſpirent Tartara cauſſæ.
Hoc ſanctum. manſura fluant hoc ordine fata."
Dixit, & horrendo concuſſit ſidera motu.
At procul armiſoni Cererem ſub rupibus antri
Securam placidamque diu jam certa peracti
Terrebant ſimulacra mali, noctesque timorem
Ingeminant, omnique perit Proſerpina ſomno.
Namque modo adverſis invadi viſcera telis,

Nunc

59 ſcilicet *Ald. Junt. Baſ. Plant.* illa --- conceptam *ante Heinſ.* 60 iratum, procul ægide *ex MSS. volebat Heinſ.* 62 ſaucius *Ald.* 66 nutu *MSS. boni ap. Heinſ. cui placet merito.* 71 immiſſis *Vic. Junt. Baſ. Plant. Clav. Raph. Barth.* adverſis *Vicn. Parrhaſ. Ald.*

59! *Minervam* deſignat, quæ objecerat ſe Plutoni 35, 205 ſqq. quod autem maſculino genere loquitur diſſimulandæ perſonæ cauſa ajunt factum. Sed non diſſimulo, poſt conſideratam lectionis varietatem, mihi videri, Minervam hic deſignari tanquam cariſſimam, ut aliæ & alii tanto magis metuant; totumque locum ita conſtituendum. *Se licet illa meo conceptam vertice jactet, Sentiet iratum* me, *procul* a ſua *ægide*, quam meo conceſſu habet. *Procul*, ut *longe illi Dea mater erit* Aen. 12, 52. Ceterum Heinſianæ, quam retinuimus, lectionis hæc ſententia, *Sentiet iratam ægida meam* etiam *procul* ſ. e longinquo terribilem.

63 *Pati prodita regna* eſt ſuſtinere poenam regni proditi: *conſpirant* autem *Tartara cauſæ propriæ*, cum traditum ſibi proditorem ſuum eo gravius ulciſcuntur, ut ſi quis, ob læſum carnificem ipſi carnifici quem læſit in cruciatum dedatur.

65 *Hoc ſanctum* ſ. ſancitum eſto. Hinc *ſanctæ* leges dicuntur, præſertim ob pœnam adjectam, quam partem legis pœnalem ſanctionem appellant. *Fata* etiam hic Jovi ſubjicit, fatum eſt, quidquid fatus eſt, futurum juſſit Jupiter.

66 Aperta alluſio ad Homericum Jovem, qui ubi juravit Thetidi, Iλ. A, 530 *μέγαν ἐλέλιξεν Ὄλυμπον*, quod reddit Virg. Aen. 10, 115 *nutu tremefecit Olympum.*

67 *Armiſonum antrum*, propter furioſos tumultus Curetum, Corybantum. V. 33, 209.

71 Somniat Ceres ex diſciplina oneirocritica. Artemid. 1, 46 p. 40 pr. Καὶ γὰρ οἱ παῖδες σπλάγχνα λέγονται. Etiam de veſtibus idem 2, 3 p. 84 pr. ἐσθὴς ἡ μέλαινα ἐσθὴς πᾶσι πονηρά. Denique 2, 25 p. 113 med. Orni quæ ſunt ſilveſtres

Nunc ſibi! mutatas horret nigreſcere veſtes,
Nunc ſteriles mediis frondere penatibus ornos.
Stabat præterea luco dilectior omni
Laurus, virgineos quæ quondam fronde pudica
Umbrabat thalamos. hanc ima ſtirpe reciſam
Vidit, & incomtos fœdari pulvere ramos.
Quærentique nefas Dryades dixere gementes,
Tartarea furias debellaviſſe bipenni.
Sed tunc ipſa, ſui jam non ambagibus ullis
Nuntia, materno facies ingeſta ſopori.
Namque videbatur tenebroſo obtecta receſſu
Carceris, & ſævis Proſerpina vincta catenis,
Non qualem Siculis olim mandaverat arvis,
Nec qualem roſeis nuper convallibus Hennæ
Suſpexere Deæ. ſqualebat pulcrior auro
Cæſaries, & nox oculorum infecerat ignes.
Exhauſtuſque gelu pallet rubor. Ille ſuperbi
Flammeus oris honos, & non ceſſura pruinis

 Membra

76 imo ſtipite cæſam *ante Claver. Sed* ima ſtirpe reciſam *etiam Baſ. marg.* 78 quæſivitque *ante Claver. Sed* quærentique *Baſ. marg.* 80 ſed tamen *MS. unde* ſed tandem *conj. Heinſ.* 81 inſerta *vulg. ante Heinſ.* impreſſa, immiſſa, *marg. Plant.* ingeſta *Ald. Heinſ. qui illuſtrat.* 83 *pro* ſævis, duris *MSS.* 85 Aetnæ *omnes. Sed* Hennæ *docuit Spanh. ad Callim.* p. 675. 88 exultusque *conj. Heinſ. recte, puto.*

veſtres fraxini, *μελίαι διὰ τὸ ἄκαρπον πενίας καὶ ἀπορίας εἰσὶ σημεῖον. Sterilis* ornus, orbitatis ſymbolum.

75 Etiam illud de *lauro* eſt ex diſciplina Artemidori. *Laurus* enim 2, 25 p. 113 pr. ſ. *δάφνη γυναῖκα σημαίνει —— εὔμορφον, διὰ τὸ χαρίεν.*

78 *Dryades* Nymphæ arboribus cognatæ & annexum illis fatum habentes.

88 *Superbum os* eſt vultus regii faſtigii dignitatem æquans, non ad mores refertur: ut *ſuperbi poſtes* e. i. g. a.

89 Comparatio eo jucundior, quo rarior: nec enim minus candida eſt pruina nive, qua omnes in hac re utuntur.

98 *Leænas* matris tuæ, quibus in hoſpitio illius vecta es. Has ac tigrides nominari in crudelitatis exprobratione ſolemne eſt: cf. 105. Illud ex humanorum animorum cognitione ſcite a poëta obſervatum, miſerias ſuas augere homines, culpa illarum ſibi mutuo imputanda, ut hic matrem aſpere & pene impie accuſat Proſerpina.

Membra colorantur picei caligine regni.
Ergo hanc ut dubio vix tandem agnoſcere viſu
Evaluit: „*Cujus tot pœnæ criminis? inquit.*
Unde hæc informis macies? cui tanta facultas
In me ſævitiæ eſt? rigidi cur vincula ferri
Vix aptanda feris molles meruere lacerti?
Tu, mea tu proles? an vana fallimur umbra?„
Illa refert: „*Heu dira parens, natæque peremtæ*
Immemor, heu fulvas animo tranſgreſſa leænas,
Tantane te noſtri tenuere oblivia? tantum
Unica deſpicior? certe Proſerpina nomen
Dulce tibi, tali quæ nunc, ut cernis, hiatu
Suppliciis incluſa teror. tu ſæva choreis
Indulges, Phrygiaſque etiamnum interſtrepis urbes.
Quod ſi non omnem pepuliſti pectore matrem,

Si

91 vultu *ante Heinſ.* 93 poteſtas *ante Heinſ.* 102 feror *al. præter Ald. & Heinſ.* trahor & teror *MSS. ap. Clav.*

101 *Hiatum* hic oportet cogitare ut apertam ſpecum, quæ cum horribili magnæ feræ vel draconis victu comparetur. Et diu eſt cum ſolent locum æternorum ſuppliciorum ſic pingere pictores, & poëta talibus nominibus appellare. V. 82 *tenebroſum carceris receſſum* dixerat. *Suppliciis teror* poſſet forte dici de damnatis & infelicibus: ſed in Proſerpina malim jungi cum *incluſa*, ac tertio caſu intelligi, ut ſe ad ſupplicia ſervari queratur. Nempe ipſa apud inferos commoratio pœna eſt. Itaque Homericus Achilles Od. Λ. 488 apud Ulyſſem fatetur, ſe malle quamvis humili conditione vivere apud ſuperos, quam imperare mortuis omnibus, *Βυλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ Ανδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη, Η πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.* quo nomine male de Achille, pejus etiam de ſe meritus eſt bonus Homerus. Hæc prima cauſa eſt, ob quam illum de ſua republica exeſſe juſſit Plato, certe hi primi verſus, quos deleri jubet libro 3 pr. p. 432, C. ubi rogandos ait poëtas, ne ſimpliciter vituperent inferos&c. Neque effugit hic locus naſum Luciani Dial. mort. 15 p. 399 ubi facit Antilochum dicere Achilli, hanc vocem ignavi potius Phrygi & vitæ cupido convenire, quam Pelidæ, Chironis & Phœnicis diſcipulo &c. Neque magna operæ pretia feciſſe videtur in Homero hic defendendo Daceria. Sapientius Romanus poëta *αὐτόχειρας* inducit Aen. 6, 436 *Quam vellent æthere in alto Nunc & pauperiem & duros perferre labores.* Sed nos hoc modo voluimus, ſupplicium videri Proſerpinæ ipſam apud inferos commorationem.

102 Vid. ad v. 49.

Si tu nota Ceres, & non me Caſpia tigris
Edidit: his oro miſeram defende cavernis,
Inque ſuperna refer. prohibent ſi fata reverti;
Vel ſaltem viſura veni.„ Sic fata trementes
Tendere conatur palmas. vis improba ferri
Impedit, & motæ ſomnum excuſſere catenæ.
Obriguit viſis. gaudet non vera fuiſſe,
Complexu caruiſſe dolet. Penetralibus amens
Proſilit, & tali compellat voce Cybellen.
„Jam non ulterius Phrygia tellure morabor,
Sancta parens. revocat tandem cuſtodia cari
Pignoris, & cunctis objecti fraudibus anni.
Non mihi, Cyclopum quamvis exſtructa caminis,
Culmina fida ſatis. timeo, ne fama latebras
Prodiderit, leviuſque meum Trinacria celet
Depoſitum. Terret nimium vulgata locorum
Nobilitas. aliis ſedes obſcurior oris
Exquirenda mihi. Gemitu flammiſque propinquis
Enceladi nequeunt umbracula noſtra taceri.
Somnia quin etiam variis infauſta figuris
Sæpe monent, nulluſque dies non triſte minatur
Augurium.

105 ſancta Ceres *ante Heinſ.* ſi tua nata Ceres *MS.* & ne non *Ald.* & me non *Baſ. marg.* & non te *vulg.* 106 catenis *ante Heinſ.* 116 *pro* cunctis, certis *MSS.* cautis *MS.* 125 movent *al.*

105 Plane ut Virgiliana Dido Aen. 4, 365 *Duris genuit te cautibus horrens Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.*

106 *Defende*, depelle, vi hinc aufer.

115 *Sanctos* vocare ſolent homines parentes vita functos, & in communionem Deorum receptos, ut ille Scipio Africanus in Somnio c. 3 *Pater ſanctiſſime*, inquit, *atque optime.* Hic Dea Deam matrem quid ni *ſanctam* vocet?

116 *Objecti fraudibus anni*, ætas puellaris, quam ſuperioris libri narratio non ſatis cautam fuiſſe oſtendit.

117 *Cyclopum educta caminis Mœnia* ſunt Virg. Aen. 6, 630.

122 *Gemitus & flammæ* vicini Aetnæ invitant curioſitatem hominum ac Deorum, qui per hanc occaſionem etiam ad Hennam poſſunt attenti fieri.

125 *Nullus non dies minatur triſte augurium.* In augurio nihil eſt niſi

Augurium. Quoties flaventia ſerta comarum
Sponte cadunt: quoties exſudat ab ubere ſanguis;
Larga vel invito prorumpunt flumina vultu,
Injuſſæque manus mirantia pectora tundunt!
Si buxos inflare velim, ferale gemiſcunt:
Tympana ſi quatiam, planctus mihi tympana reddunt.
Ah vereor, ne quid portendant omina veri:
Heu longæ nocuere moræ! „*Procul irrita venti*
Dicta ferant, ſubicit Cybele, *non tanta Tonanti*
Segnities, ut non pro pignore fulmina mittat.
I tamen, & nullo turbata revertere caſu.„
Hæc ubi; digreditur templis. ſed nulla ruenti
Mobilitas. tardos queritur non ire jugales.
Immeritaſque movens alterno verbere pinnas
Sicaniam

127 exundat *Ald. & Heinſ. ex MSS.* 133 ne *pri. editt. MSS. unde* Næ *conj. Heinſ. Sed* Heu *inde ab Aldo.* 134 ſubiit *MSS. ut* 8, 353. 135 ſumat *Baſ marg. Plant. marg.* 137 ſat nulla *conj. Heinſ.* 138 dracones *Baſ. marg.* 139 pœnas *Vic. Parrhaſ. Vien. Junt.* pennas *Ald. Heinſ.* pinnas *Baſ. Plant. Clav. Raph. Barth. quos ſequor.*

niſi *minæ:* augurium eſt ſignificatio minarum, aut quaſi vultus minax, Dei. Eſt itaque ex eo genere oratio, ut ſi dicas *minatur minas.*

126 *Flaventia ſerta*, quia ſunt de ſpicis. Hor. Car Sæc. 30 *Tellus ſpicea donet Cererem corona!*

127 *Exſudat* modo guttam unam alteramque ſignificat: hoc omen eſſe poteſt, ut gutta una alteraque ſtillans de naribus: *exundat* morbus fuerit, hæmorrhagia a cancro, vel vulnere.

130 Inſtrumenta nominat, quibus Cybeleia cohors ſolebat uti. Cf. 31, 208 ſq.

234 *Subicit* conſueta forma pro *ſubjicit*, ut *obicis*. Vid. ad 8, 365.

137 *Templa* Cybelæ ſunt etiam ſpecus & montes ut Ida, Dindyma &c.

138 Hi *jugales* ſerpentes juncti ſunt. Vid. 33, 180.

139 Nunc hunc nunc alterum ſerpentem verberibus ad movendum ocius *pinnas* impellit: *pinnas*, inquam, quod nomen a *pennis* origine & antiquiſſimo uſu forte non differt, & frequenter in MSS. permutatur: ſed tamen videntur jam Quinctiliani ætate Grammatici, quos ipſe probat, *pinnas* potius tribuiſſe tum alis majorum avium, tum propter ſimilitudinem quandam piſcibus, ac deinde murorum ſummis marginibus. Dixi olim ad Quinctil. 1, 4. 12 & obſervavi certe de ſynonymia idem viſum & Cannegietero ad Avia. fab. 2 p. 18, b. Itaque nec damnare ſimpliciter auſim *pennatos ſerpentes* Ovid. Met. 7, 350. Sed multo minus velim
Met.

Sicaniam quærit, cum nec dum abſconderit Iden.
Cuncta pavet, ſperatque nihil. Sic æſtuat ales,
Quæ teneros humili fetus commiſerit orno
Allatura cibos, & plurima cogitat abſens:
Ne fragilem ventus diſcuſſerit arbore nidum:
Ne furtum pateant homini, neu præda colubris.
Ut domus excubiis incuſtodita remotis,
Et reſupinati neglecto cardine poſtes,
Flebilis & tacitæ ſpecies apparuit aulæ;

 Non

140 aſcenderit *primæ editt.* abſconderit *jam Baſ. marg.*
144 gracilem *ante Heinſ.*

Met. 3, 671 & mox 678 *pinnas* novorum Delphinorum mutare in *pennas*.

140 Pulchre pingit impatientiam amoris & ſolicitudinis maternæ. Nondum *abſcondidit* h. e. ex oculis propter diſtantiam locorum amiſit Iden Phrygiæ, & jam quærit oculis Siciliam. Laudavit Heinſius Aen. 3, 291 *Protinus aerias Phæacum abſcondimus arces.*

141 Suavis & lepida eſt imago metuentis ſuo nido aviculæ: ſed an probari poſſit paullo ſubtilius cogitantibus non dixero. Similitudo inventa eſt, ut res magis ipſi quoque ſenſui appareat. Quid autem cogitet, immo an cogitet? mater hæc ales ad nidum ſuum feſtinans, non apparet. Nimium explicata cogitatio avis avertit animum lectoris a pictura, quæ ſenſum intrare debebat. Multo ſalubrior Horatius Epod. 1, 19 *Ut aſſidens implumibus pullis avis ſerpentium allapſus timet Magis relictis; non, ut adſit, auxili Latura plus præſentibus.* Hæc poſſunt ex actu gallinæ conjici: ille actus gallinæ comparatur cum actu poëtæ. Hic, quid Dea cogitaverit, docetur ex cogitationibus avis.

147 *Reſupinati poſtes* ſunt ipſæ valvæ, ac ne quidem jacentes, ſed reflexæ tantum, verbo, apertæ. Nec enim expugnata fuit domus, ſed deſerta modo, prodeunte ſponte domina. Unice huc facit Propert. 4, 8. 49 Hic *ſubito rauci ſonuerunt cardine poſtes: ——* deinde *totas reſupinat Cynthia valvas.* Ut ſoleo libenter prætermiſſa in Theſauris revocare, ita hic ponam loca quædam, in quibus aperte *poſtes* non paraſtadas & ſtantia tigna januarum, ſed ipſas valvas notant. Igitur Virg. Ge. 2, 463 *Varii pulchra teſtudine poſtes*, jam comparati a Servio cum Luca. 10, 120 *Suffixa manu foribus teſtudinis Indæ Terga ſedent.* Laminis teſtudineis non poſtes proprie dictos ornant, ſed valvas. Aen. 2, 480 *Poſtes a cardine vellit*, & 493 *Emoti procumbunt cardine poſtes.* Et 7, 621 *Cardine verſo Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.* Tibull. 1, 1. 87 *Frangere poſtes*, & 1, 2. 31 *Referet modo Delia poſtes.* Propert. 1, 16. 15 *Ille meos nunquam patitur requieſcere poſtes*, de verſiculis inſcriptis: & 4, 9. 61 de Hercule, *Humeris poſtes concuſſit opacos.* Potuit Hercules totam domum evertere; ſed hic voluit modo irrumpere in conclave. Iterum Virgilius Aen. 8, 227 de Caco, *Fulta emuniit objice poſtes.* Obice firmantur valvæ. Sic Aen. 11, 890 *Arietat in portas & duros objice poſtes.*

Non exſpectato reſpectu cladis, amictus
Conſcidit, & fractas cum crine avellit ariſtas.
Hæſerunt lacrimæ: non vox, non ſpiritus oris
Redditur, atque imis vibrat tremor oſſa medullis.
Succidui titubant greſſus, foribuſque recluſis,
Dum vacuas ſedes & deſolata pererrat
Atria, ſemirutas confuſo ſtamine telas,
Atque interceptas agnoſcit pectinis artes.
Divinus perit ille labor, ſpatiumque relictum
Audax ſacrilego ſupplebat aranea textu.
Nec deflet, plangitve malum: tamen oſcula telæ
Figit, & abrumpit mutas in fila querelas.

Attritoſque

149 exſpectatæ *Claver. & probat Heinſ.* 151 aut ſpir. *vulg.* non ſpir. *etiam Plant. marg.* ori *MS.* 152 en imis *Baſ. marg.* 159 tantum oſc. *MSS. & Baſ. marg. Recte puto.* 160 *Velim inveniri in bono libro* abſumit.

149 Non exſpectat Ceres alium aſpectum cladis ſuæ: ſatis indicant valvæ patentes, quid actum ſit.

150 Furor doloris non abjicit coronam ſpiceam, deinde invadit in crines: ſed uno impetu agit utrumque.

151 *Hæſerunt lacrimæ:* in malo domeſtico & nimis prope animum matris tangente, dolorem non ſunt ſecutæ lacrimæ. Sic Pſammenitus Aegyptius rex in filiæ ignominia & filii morte immobilis, in lacrimas & ejulatum erumpit ad calamitatem humilis amici. Τὰ *μὲν*, inquit, *οἰκήϊα ἦν μέζω κακὰ, ἢ ὥςε ἀνακλαίειν.* Herodot. 3, 14.

152 Virgiliana imitatio Aen. 2; 120 *Gelidusque per ima cucurrit Oſſa tremor.* Illud *vibrat* vehementiam tremoris pulchre exprimit.

153 *Fores* hic interiores conclavium & membrorum domus intelligi debere, verſus 147 indicat.

157 *Semirutus* urbium, mœniumque epitheton negligenter & feſtinato abjectam relictamque telam indicat, quæ nec ſtaret jam nec jaceret: *confuſum ſtamen* ablato pectine, quo diſtinguuntur. *Divinus labor*, quem deſcripſit 33, 246 ſqq.

160 *Mutas querelas abrumpit* ſignificat, ſubito deſinit; ſed hoc repugnat conſilio poëtæ, cui forte melius conveniat *abſumit*, impendit, conſumit in fila a filia tractata, gemitus & tacitas querelas. Hæc facilius intelliget, qui vidit matrem filii ſui mortui veſtimenta aut aliás reliquias recenti luctu tractantem. Literarum s & r quanta ſit in quibusdam MSStis ſimilitudo conſtat. Mutata ſemel in *r* litera *ſ*, cum *abrumit* ſenſu careret, varam ſecuta eſt vibia, aſſumto p factum *abrumpit*.

Attritoſque manu radios, projectaque penſa,
Cunctaque virgineo ſparſa oblectamina ludo,
Ceu natam, preſſat gremio: caſtumque cubile
Deſertoſque toros, &, ſicubi ſederit olim,
Perlegit. Attonitus ſtabulo ceu paſtor inani,
Cui pecus aut rabies Pœnorum inopina leonum,
Aut populatrices infeſtavere catervæ:
Serus at ille redit, vaſtataque paſcua luſtrans
Non reſponſuros ciet imploratque juvencos.
Atque ibi ſecreta tectorum in parte jacentem
Adſpicit Electram, natæ quæ ſedula nutrix
Oceani priſcas inter notiſſima Nymphas.
Par Cereri pietas. Hæc poſt cunabula dulci
Ferre ſinu, ſummoque Jovi deducere parvam
Sueverat, & genibus ludentem aptare paternis.
Hæc comes, hæc cuſtos, hæc proxima mater haberi.
Tum laceras effuſa comas & pulvere canos
Sordida ſidereæ raptus lugebat alumnæ.
Hanc aggreſſa Ceres, poſtquam ſuſpiria tandem
Laxavit frenoſque dolor, „*Quod cernimus*, inquit,
Excidium?

163 carumque *Baſ. marg.* 166 quem lupus *vulg.* cui pecus *Baſ. marg. & Plant. marg. Raph. Barth. Heinſ.* 170 atque ubi *conj. Heinſ.* 176 prox. ſemper *MS.* 177 diffuſa *MSS. Plant. marg.* genas *Baſ. marg. Plaut. marg.* lacrimas effuſa *MS.* lacrimis afuſa, ſuffuſa, offuſa *conj. Heinſ.*

165 *Perlegere* eſt attente conſiderare: ut ſocii Aeneæ apud Virg. 6, 34 valvas templi & ſculpta argumenta a Dædalo *perlegunt*. Qui legunt aut perlegunt ſcriptum, ii animo literam unam poſt alteram *legunt*, h. e. tollunt, & deinde colligunt in ſyllabas ac voces.

166 *Pœni leones* ſunt etiam Virg. ecl. 7, 25.

171 *Electræ* nomen frequens in antiqua Mythologia, a pulchritudine & ſplendore ductum: hæc noſtra de millibus tribus Oceanidum nympharum una eſt, quas ex Tethye ſuſcepit pater Oceanus. Apollod. Bibl. 1, 2. 2. Eadem forte mater Iridis, de qua ad 36, 1.

180 *Dolor* nimius, qui adhuc ut aqua adverſis clauſtrorum valvis incumbens, aut nimia multitudo ſimul portis cupiens exire, ſibi velut obſtruxerat viam, nunc tandem prorumpit in verba. Miſcet duas ſimilitudines, unam, quam diximus, alteram ab equo frenis retento.

Excidium? cui præda feror? regnatne maritus?
An cœlum Titanes habent? quæ talia vivo
Auſa Tonante manus? rupitne Typhoëia cervix
Inarimen? fractane jugi compage Veſevi
Alcyoneus per ſtagna pedes Tyrrhena cucurrit?
An vicina mihi quaſſatis faucibus Aetna
Protulit Enceladum? noſtros an forte penates
Appetiit centum Briareïa turba lacertis?
Heu, ubi nunc, ubi nata mihi? quo mille miniſtræ,
Quo Cyane? volucres quæ vis Sirenas abegit?
Hæccine veſtra fides? ſic fas aliena tueri
Pignora?„ Contremuit nutrix, mærorque pudori
Ceſſit, & aſpectus miſeræ non ferre parentis
Emtum morte velit, longumque immota moratur
Auctorem dubium certumque expromere funus.
Vix tamen hæc: *„Acies utinam veſana Gigantum*
Hanc dederit cladem! levius communia tangunt:
Sed Divæ, multoque minus quod rere, ſorores
In noſtras nimium conjuravere ruinas.

Inſidias

188 arripuit *MSS.* 189 nunc eſt nata *vulg. unde* nunc es *conj. Heinſ. & habent MSS.* 192 timori *vulg.* pudori Cedit *MSS.* 197 tangant *conj. Heinſ.*

181 *Cui præda feror?* Vehemens communicatio: ſe prædam dicit ferri, cum abripitur filia, ea ratione, ut *proximus ardet Ucalegon*, cum illius domus incenſa eſt. Aen. 2, 312.

181 *Maritum* vocat Jovem, improprie, & indignante Junone. Obſcena fabula, apud Arnob. 5 p. 170 de Cerere, matre eadem Jovis, ab hoc filio ſuo in taurum converſo compreſſa, enataque inde Proſerpina, quam ipſam quoque in ſerpentem ſ. draconem verſus corruperit. Verum hæc non pertinent ad conſtantes illas fabulas, quæ velut fundum Mythologiæ poëticæ conſtituunt, ſed ad mythos ſymbolicos phyſiologicosque.

183 De Typhoëo & Inarime vid. ad 27, 18. De Encelado ad 33, 153.

185 *Alcyoneus* cum Porphyrione princeps gigantum Deos oppugnantium, cujus hiſtoriam habet Apollod. 1, 6. 1. Magnitudinem ejus pulchre ſignificat noſter. De *Briareo* ad 21, 304.

190 De *Cyane* dictum ad 35, 61. De *Sirenibus* res aperta fit, ſi quis conferat noſtrum infra v. 205 & 256 ſqq.

194 Imitatio Virgiliana Aen. 10, 403 *Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum Intactum Pallanta.*

Inſidias Superum, cognatæ vulnera cernis
Invidiæ. Phlegra nobis infenſior æther.
Florebat tranquilla domus, nec limina virgo
Linquere, nec virides audebat viſere ſaltus
Præceptis obſtricta tuis. Telæ labor illi,
Sirenes requies; ſermonum gratia mecum,
Mecum ſomnus erat, cautique per atria ludi.
Cum ſubito (quonam dubium monſtrante latebras
Reſcierit) Cytherea venit, ſuſpectaque nobis
Ne foret, hinc Phœben comites hinc Pallada junxit.
Protinus effuſo lætam ſe fingere riſu.
Nec ſemel amplecti, nomenque iterare ſororis,
Et dura de matre queri, quæ tale receſſu
Maluerit damnare decus, vetitoque Dearum
Colloquio patriiſque procul mandaverit aſtris.
Noſtra rudis gaudere malis, & nectare largo
Inſtaurare dapes. Nunc arma habitumque Dianæ
Induitur, digitiſque attentat mollibus arcum.
Nunc crinita jubis galeam, laudante Minerva,
Implet,

200 cognataque *ante Heinſ.* 201 incenſior *editi fere omnes ante Heinſ. Sed* infenſior *antiqua manus ad Vien. Parrh. Baſ. marg. MSS. Barth. in Comm.* 206 caſtique *vulg* cautique *Ald. MSS.* gratiq. tacitiq. *Plant. marg.* 207 tenebras Præſcierit *ante Heinſ. Sed* latebras Reſc. *Plant. marg. & MSS.* 209 hinc plebe com. *Vic.* duxit *MSS.* 213 vetitamque *vulg.* vetitoque *jam Baſ. marg. & MS.* 214 patriis procul abſentaverit *Vic. Parrh. Vien. Baſ. Junt. Plant. Scal. Barth.* amandaverit *Baſ. marg. Claver.* emandaverit, *it.* procul a patriis mandaverit *Plant. marg.* pr. a p. damnaverit *conj Barth. Noſtra lectio eſt Ald. & Heinſii ex MSS.*

197 *Communia* mala tolerabiliora propriis. Illud Titanum bellum intentatum DIs omnibus: hæc calamitas tua peculiaris, illata non a communi hoſte, ſed a proximis, a Proſerpinæ tuæ ſororibus,

201 De *Phlegra* dictum ad 27, 20. Hic aciem gigantum indicat, contra Deos ibi pugnantium

215 Proſerpina *rudis* nova, imperita blanditiarum fallacium, gaudebat tanquam felicitate aliqua inſperata, *malis*, certe periculis, ſuis.

216 Hic etiam locus pulcherrimus, & Alexandrini leporis atque ingenii plenus.

218 *Crinita* fit *jubis*, dum laudibus Minervæ ſibi placens galeam illius ſuo capite implet. Illud *laborat* indicat puellarem conatum nondum paris ferendo oneri.

Implet, & ingentem clipeum geſtare laborat.
Prima Venus campos Hennæaque rura maligno
Ingerit affatu. Vicinos callida flores
Ingeminat, meritumque loci, velut inſcia, quærit.
Nec credit, quod bruma roſas innoxia ſervet,
Quod gelidi rubeant alieno germine menſes,
Verna nec iratum timeant virgulta Booten.
Dum loca miratur, ſtudio dum flagrat eundi,
Perſuadet. Teneris, heu, lubrica moribus ætas!
Quos ego nequidquam planctus, quas irrita fudi
Ore preces? Ruit illa tamen confiſa ſororum
Præſidio. Famulæ longo poſt ordine Nymphæ.
Itur in æterno veſtitos gramine campos,
Et prima ſub luce legunt, cum rore ſerenus
Albet ager; ſparſoſque bibunt violaria ſuccos.
Sed poſtquam medio ſol inſtitit altior axi,
Ecce polum nox fœda rapit, tremefactaque nutat
Inſula cornipedum ſtrepitu, pulſuque rotarum.
Noſſe nec aurigam licuit: ſeu mortifer æſtus,
Seu mors ipſa fuit. Luror permanat in herbas.

Deficiunt

220 Aetnæa *vulg. V. N. ad* 33, 122. 221 afflatu *ex MSS. Heinſ.* affatu *omnes edd.* 224 gramine *vulg.* 231 germine *etiam hic malit Heinſ.* colles *MSS.* 233 alget *vulg.* albet *jam probabat in Comm. Parrhaſ. tum Clav. Heinſ.* 234 ſol altior aſtitit orbe *ante Heinſ. niſi quod* orbi *Ald.* axe, exſtitit axe, altius inſtitit axi *Plant. marg. Lectio noſtra eſt Baſ. marg. & Heinſ. e MSS.* 235 nox alta *vulg.* fœda *Ald. & Heinſ. ex MSS.* 236 pulſu ſtrepituque *malit Heinſ.* ſtrepitu curſuque *Vic. Par. Vien. Baſ.* 237 mortifer ille *omnes præter Claver. & Heinſ.* 238 lutor permanſit in herbis *Vic. Parrh. Vien. Junt. Baſ. Plant. Raph. Barth.* luror *MSS. ap. Parrh. qui non damnat.* Livor permanſit in herbis *Baſ. marg. quod placet Barth.* Livor pervenit in herbas *Clav. Noſtra lectio eſt Heinſ. ex MSS.*

223 *Credit quod* Græciſmus huic ætati ignoſcendus & relinquendus.

224 *Rubere* ad omnem colorem quatenus ſplendet & velut igneus eſt, referri monuimus ad 29, 7.

225 *Bootes oritur III Idus Februarii* in Veteri Kalendario. Eſt idem Arctophylax. Vid. ad 7, 170. 10, 272.

229 Opponit Proſerpina precibus & monitis nutricis ſororum ſuarum præſidium, quo ſe tutam eſſe adverſus omnes metus arbitratur.

238 *Luror & luridus* palloris ſummus gradus, ex flavo nigricans, qualis eſt ictericorum. Lucret.

Deficiunt rivi. ſqualent rubigine prata,
Et nihil afflatum vivit. pallere liguſtra,
Exſpirare roſas, decreſcere lilia vidi.
Ut rauco reduces tractu detorſit habenas,
Nox ſua proſequitur currum; lux redditur orbi,
Perſephone nuſquam. Voto rediere peracto,
Nec manſere Deæ. Mediis invenimus arvis
Exanimem Cyanen. cervix redimita jacebat,
Et caligantes marcebant fronte coronæ.
Aggredimur ſubitæ, & caſus ſcitamur heriles,

(Nam

241 liveſcere *MS.* areſcere *conj. Heinſ.* 242 detraxit *Vic.* ut red. rauco *Vic. Vien. Parrh. Ald. Junt.* 244 Perſ. nulla eſt *Vic. Parrh. Vien. Ald. Junt. & probat Clav. Raphel. Barth.* nuſquam eſt *Baſ. marg. Plant. marg.* 245 undis *MSS.* 248 ſubito *vulg.* tacite *it.* propius *Plant. marg.* ſcrutamur *Baſ. marg.* ſciſitamur *Vien.* caſusque ſcitamur *Ald. Plant.*

cret. 4, 333 *Lurida præterea fiunt, quæcunque tuentur Arquati* (icterici, morbo regio laborantes) *quia luroris de corpore eorum Semina multa fluunt.* Sic eſt in editione Veronenſi etiam 1486 ſol. Sunt tamen etiam libri, qui *Lutea* habent & *lutoris*, quos juvat locus Varronis in Eumenid. apud Non. 1, 151 & 16, 10 *Nam ut arquatis & lutea quæ non ſunt, & quæ ſunt, lutea videntur; ſic inſanis ſani & furioſi videntur eſſe inſani.* *Lutor* & *lutens* color itaque hactenus conveniant cum *lurore* & *lurido*. Sed nec *Livor* multum abludit, color obſoletus & obſcurus, ex flavo & cæruleo, qui fit ſanguine e contuſione ſuffuſo cuti.

240 *Pallere* ad obſolete flaveſcentem a marcore alborum cum vigent florum colorem pulchre convenit. *Alba liguſtra* cum *cadunt* (Virg. ecl. 2, 18) pallent, h. e. flava fiunt.

241 *Decreſcere* etiam ex natura hauſtum. Pulcherrimus ab amplitudine etiam flos, dum ſeneſcit, in rugas contrahitur.

242 *Raucus tractus* eſt ſonus venti a curru Plutonis excitati. Sumſiſſe videtur a Val. Flacco 1, 614 ubi de Zephyro, Noto, Euro, *Induxere hiemem, raucoque ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt.* Ipſa converſio currus tumultum excitavit in aëre. *Raucus* perpetuum ventorum & naturale epitheton.

243 *Nox ſua*, propria Plutonis. Interdum plane Synonyma ſunt *Inferi*, *Nox*, *Erebus*, *Chaos.* Ubi igitur currus Ditis eſt, ibi nox eſt, illo diſcedente redit lux & dies.

244 *Voto peracto*, cum egiſſent, quod volebant Deæ, redierunt in cælum. Sed hoc de voto non niſi ad Venerem vere poteſt referri. Verum loquitur Electra, ignara ceterorum, infelix: ea accuſat, more miſerorum, omnes.

246 *Cyane* deſcribitur, ut intelligamus, eam fuiſſe partem chori flores legentium. *Cervix jacebat*, non erat erecta, ſed languens.

247 *Caligantes coronæ* a fumo piceo currus Plutonii.

(Nam propior cladi ſteterat) quis vultus equorum?
Quis regat? illa nihil: tacito ſed læſa veneno
Solvitur in laticem. ſubrepit crinibus humor.
Liquitur, in roremque pedes & brachia manant,
Noſtraque mox lambit veſtigia perſpicuus fons.
Diſcedunt aliæ. Rapidis Acheloïdes alis
Sublatæ Siculi latus obſedere Pelori,
Accenſæque malo jam non impune canoras
In peſtem vertere lyras. vox blanda carinas
Alligat. audito frenantur carmine remi.
Sola domi luctu ſenium tractura relinquor.„
Hæret adhuc ſuſpenſa Ceres, & ſingula demens,
Ceu nondum transacta timet: mox lumina torquens
Ultro in cælicolas furiato pectore ferri.
Arduus Hyrcana quatitur ſic matre Niphates,
Cujus Achæmenio regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques. Fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Diſpergit

250 lapſa *vulg.* læſa *Ald. & Plant. marg.* 262 vultu ad *vulg.* multum in *Baſ. marg.* ultro *probat & illuſtrat Heinſ.* 265 avertit *MS.* premit *i. perſequitur, ut 3, 227.*

250 *Tacitum venenum* per Metonymian intelligendum, quod loqui prohibet, ut *pallida mors.*

253 *Lambere* hac Metaphora etiam eſt Horat. 1, 22. 7 *Vel quæ loca fabuloſus Lambit Hydaſpes.* Et noſter infra 373.

254 Jam de Sirenibus Acheloi filiabus refert, de quibus quæſierat Ceres v. 190.

256 *Accenſæ malo*, injuria ſibi illata in furorem verſæ. Quod *lyras* tribuit Sirenibus firmat eam traditionem, quæ ſuperiora membra humana iis relinquit, infra & in tergo facit aves. Cf. 29, 23.

263 *Hyrcana mater* tigris eſt, ut 3, 227. *Quatitur Niphates* rugitu ac gemitu impletur. Vox omnis eſt in motu aëris: itaque poteſt ferire, percutere, ſed & reflecti, repercuti&c. Totum hunc locum, & fabulas de Tigride illuſtrat etiam ex Arabibus Bochartus Hieroz. 3, 8 p 795.

264 *Ludibria* catuli tigridum fiunt, cum exarmantur excuſſis dentibus, & alia arte manſueſiunt.

265 *Maritum Zephyrum* dari Tigribus, docet etiam Oppianus Cyneg. 3, 353 Ὠκυτέρα τελέθει δὲ θοῶν παννυπείροχα θηρῶν. Αὐτῷ γάρ τε θέειν ἰκέλη ζεφύρῳ γενετῆρι, Ferarum omnium celerrimam longe ait, curſu æequalem ipſi patri ſuo Zephyro: quam fabulam deinde refellit.

266 *Virentes* tigrium *maculas* declaravi ut potui ad 24, 545.

Diſpergit maculis, jamjamque hauſura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.
Haud aliter toto genitrix bacchatur Olympo;
Reddite, vociferans: „*Non me vagus edidit amnis:*
Non Dryadum de plebe ſumus: turrita Cybelle
Me quoque Saturno genuit. Quo jura Deorum,
Quo leges abiere poli? quid vivere recte
Proderit? en audet noti Cytherea pudoris
Oſtentare ſuos poſt Lemnia vincula vultus.
Hos animos bonus ille ſopor caſtumque cubile
Præbuit? amplexus hoc promeruere pudici?
Nec mirum, ſi turpe nihil poſt talia ducit.
Quid vos expertes thalami? tantumne relictus
Virginitatis honos? tantum mutata voluntas?
Jam Veneri, & ſociis junctæ raptoribus itis?
O templis Scythiæ, atque hominum ſitientibus aris
Utraque digna coli. tanti quæ cauſa furoris?

Quam

267 nimiumque *vulg.* inhiatque *Baſ. marg.* vivumque *MS.* hauſtura *vulg.* exhauſta *Plant. marg.* hauſura *Plant. marg. Heinſ.* I. 273 cecidere *vulg. Sed* abiere *jam Parrhaſ.* 278 cudit *Baſ. marg.* 282 hominem *vulg.* hominum *Heinſ. ratione & exemplis, non libris auctoribus.*

267 Formam *hauſurus* firmant exemplis viri docti ad Virg. Aen. 4, 383 & Sil. 16, 11.

268 Speculum abjicere dicitur venator in via, in quo imaginem ſuam obſervans fera aliquantum detinetur. Vero aliquantum ſimilior narratio Ambroſii hexaëm. 6, 4 laudata Barthio, *Sphæram de vitro projicit; at illa imagine ſui luditur, & ſobolem putat, revocat impetum, colligere fetum deſiderans.* Sphæram vitream intelligi oportet materia opaca intus obductam, quæ reddit imagines minutas.

270 Amnium, qui ambiguo epitheto *vagi* dicuntur invidiæ cauſa, filiæ Nymphæ, quarum magna ubique copia.

274 *Noti pudoris Cytherea* acrem habet ironiæ morſum. *Lemnia vincula*, quæ maritus illlus, Lemnius faber Vulcanus, injecit deprehenſæ cum Marte ſuo.

277 *Hoc promeruere*, ut impune illi liceat lenam agere & prodere raptori virginem.

282 *Templis Scythiæ*, in Tauris, colebatur Diana, cujus ibi *ara*, *hominem* peregrinum *ſitiens*, ſanguine Oreſtæ vel Pyladæ imbuenda, argumentum eſt fabulæ Euripideæ Iphigenia in Tauris. Exclamat non Dianam modo dignam eſſe, quæ a barbaris barbara adeo religione colatur, ſed mereri idem Minervam.

Quam mea vel dicto tenui Proſerpina læſit?
Scilicet aut caris pepulit te, Delia, ſilvis:
Aut tibi commiſſas rapuit, Tritonia, pugnas.
An gravis alloquio? Veſtros an forte petebat
Importuna choros? Atqui Trinacria longe,
Eſſet ne vobis oneri, deſerta colebat.
Quid latuiſſe juvat? Rabiem livoris acerbi
Nulla poteſt placare quies.„ His increpat omnes
Vocibus. aſt illæ (prohibet reverentia patris)
Aut reticent, aut noſſe negant, reſponſaque matri
Dant lacrimas. quid agat? rurſus ſe victa remittit,
Inque humiles demiſſa preces, *„Ignoſcite, ſi quid*
Intumuit pietas: ſi quid flagrantius actum,
Quam decuit miſeram. Supplex, dejectaque veſtris
Advolvor genibus. Liceat cognoſcere ſortem.
Hoc tantum: liceat certos habuiſſe dolores.
Scire peto quæ forma mali: quamcunque dediſtis
Fortunam, ſi nota, feram, fatumque putabo,
Non ſcelus. Adſpectum precor indulgete parenti.
Non repetam. Quæſita manu ſecurus habeto,
Quiſquis es. Affirmo prædam. Deſiſte vereri.

Quod

285 ſcilicet hæc *vulg.* aut *jam Ald.* & *Baſ. marg.* 291 dies *vulg.* quies *probavit etiam Barth.* 292 ſententia *Ald. Baſ. marg. MSS.* 297 miſerandaque *vulg.* dejectaque *Baſ. marg.* 299 furores *Baſ. ſed in marg.* dolores. 301 ſit rapta feram *vulg.* nota *Ald. Baſ. marg.* ſi nota *Raph. Barth. Heinſ.*

288 *Longe* eſt idem quod procul, remoto in loco, ne incommodare cui poſſit; ut contra *Longe illi dea mater erit* Aen. 12, 52, ut nihil poſſit adjuvare.

296 *Intumuit* pietas, in iram accenſa eſt. Frequens eſt apud noſtrum illa *tumoris* & *tumendi* & *tumeſcendi* ſignificatio, ab ipſa natura hauſta, quam deſcribit 8, 242 ſqq. Illuſtravit multis has formulas Bentl. ad Hor. A. P. 197.

303 *Quæſita manu* ſunt, quæ quis bello juſto ablata hoſtibus ſibi peperit. Hac lege vult eſſe raptorem filiæ ſuæ: habeat illam, modo videndæ illius faciat copiam. *Affirmo* prædam, jus firmum illius, & poſſeſſionem juſtam tibi concedo, & confirmo.

Quod ſi nos aliquo prævenit fœdere raptor;
Tu certe, Latona, refer. Confeſſa Diana
Forte tibi. Noſti quid ſit Lucina, quis horror
Pro genitis, & quantus amor: partuſque tuliſti
Tu geminos: hæc una mihi. Sic crine fruaris
Semper Apollineo, ſic me felicior ævum
Mater agas.„ Largis tunc imbribus ora madeſcunt.
„Quid? tantum dignum fleri, dignumque taceri?
Hei mihi, diſcedunt omnes. Quid vana moraris
Ulterius? non bella palam cæleſtia ſentis?
Quin potius natam pelago terriſque requiris?
Accingar luſtrare diem: per devia rerum
Indefeſſa ferar: nulla ceſſabitur hora.
Non requies, non ſomnus erit, dum pignus ademtum
Inveniam, gremio quamvis mergatur Iberæ
Tethyos, & rubro jaceat vallata profundo.

305 vos-munere *omnes editi ante Heinſ.* fœdere *etiam MSS. penes Parrhaſ. Baſ. marg. & Plant. marg.* Munere *illud gloſſam ſapit.* 307 timorque *vulg.* quis horror *MSS.* 312 *Hunc verſum,* Quid tantum *pro ſpurio habet Claver.* Quid tandem *conj. Heinſ.* 314 num bella *MS.* 320 velata *vulg.* vallata *jam Baſ. marg. & Plant. marg.*

305 *Quod ſi nos*, me & meam filiam *prævenit*, occupavitque *federe* aliquo cum Diana & Minerva inito, de non prodendo facinore; at tu, Latona, quæ nullo federe aut pacto teneris, & tamen forte de tua Diana expiſcata es, mihi indica &c. Sed vulgata lectio pene vividior, ſi *vos*, te, Pallas, ac te, Diana, forte *munere* aliquo dato occupavit, antequam ego ſupplicatum vobis venirem, ac devinxit raptor: at tu, Latona &c.

307 *Quid ſit* tibi *Lucina* tua, quam carum pignus illam habeas. Demea Terentianus ad Micionem Ad. 1, 2. 45 *Pater eſſe diſce ab illis, qui vere ſient.* Provocat Ceres ad ſenſum Latonæ.

309 Perpetua juventus *intonſi* Apollinis, ἀκερσεκόμου, quæ præcipua pulchritudinis pars eſt, materia voluptatis matri. Solent matres tenerius amare filios, admiſcente ſe pietati admiratione naturali ſexus alterius.

311 Ad longam & miſerabilem Cereris querelam nihil reponunt Deæ, niſi lacrimas ut ſupra v. 293. Pergit igitur Ceres, & indicat, ſe non comprehendere, quid ſit, quod fletu quidem miſericordiam præ ſe ferant, & tamen taceant, cum ipſa nihil petat, præter pauca verba.

316 *Diem*, quemcunque locum Sol videt & diem ibi facit: licet ipſa noctivago labore (v. 331) peragratura eſſet terras.

320 *Ibera Tethys* mare Atlanticum ſ. Occidentale: *rubrum profundum*

Non Rheni glacies, non me Rhipæa tenebunt
Frigora: non dubio Syrtis cunctabitur æſtu.
Stat fines penetrare Noti, Boreæque nivalem
Veſtigare domum. primo calcabitur Atlas
Occaſu, facibuſque meis lucebit Hydaſpes.
Impius errantem videat per rura per urbes
Jupiter. Exſtincta ſatietur pellice Juno.
Inſultate mihi: cælo regnate ſuperbi.
Ducite præclarum Cereris de ſtirpe triumphum.„
Sic fatur, notæque jugis illabitur Aetnæ,
Noctivago tedas informatura labori.
Lucus erat prope flavum Acin, quem candida præfert
Sæpe mari, pulcroque ſecat Galatea natatu:
Denſus, & innexis Aetnæa cacumina ramis,
Qua libet uſque, tegens. illic poſuiſſe cruentam
Aegida, captivamque pater poſt prælia prædam
Advexiſſe datur. Phlegræis ſilva ſuperbit
Exuviis,

331 inflammatura *vulg.* infor. *Baſ. marg.* 332 Atym *Vic.* Acym *Vien. Junt. etiam Clav.* flumen Acin *vulg. ſed repugnat modus ſyllabæ prioris in* Acis, *quæ longa eſt.* flavum *eſt e MS. antiquiſſimo Claverii receptum ab Heinſio. Vid. Not.* 335 qualicet *Baſ. marg. Ald. Clav.* quamlibet *conj. Heinſ.*

fundum Oceanus Orientalis, ut 10, 168. Ita *Rhenus* & *Rhipæi montes* ſeptentrionem ſignant, *Syrtes* meridiem. Nimis diſertus eſſe atque eruditus videtur dolor Cereris.

322 *Cunctabitur*, morabitur, retinebit. Vid. ad 22, 284.

324 *Primum occaſum* intelligit remotiſſimum: poteſt aliquis ab Atlante incipere, & pergere verſus Orientem, ad Hydaspen usque extremum: ut poteſt *primus* cogitari *Hydaspes*.

327 *Exſtincta*, ut non amplius ametur, ut illius, quaſi mortua eſſet, nullus jam ſit reſpectus.

330 *Notæ Aetnæ* mentionem facit, quod Hennæ vicina.

332 *Acis* ex monte Aetna brevi itinere in mare decurrit. Fabulam illius, cum juvenis eſſet, a Polyphemo rivali, ob amorem Galateæ ſaxo oppreſſi &c. copioſe tenerrimeque narrat Ovid Met. 13, 750. Fluvium deſcribit Cluver. Sicil. 1, 8 p. 114. Hic cum Poëtarum loca, ſolita diligentia congeſſerit, apparet ab omnibus priorem vocalem hujus nominis productam, quam legem a doctiſſimo poëta migratam, nullo modo eſt probabile.

337 *Datur* narratur, Virg. ecl. 1, 19 *Iſte Deus qui ſit, da, Tityre, nobis.* Vid. Barth. hic & ad Stat. Theb. 7, 315 *Aſopos genuiſſe datur.* De *Phlegra* dictum ad 27, 20. *Exu-*

Exuviis, totumque nemus victoria veſtit.
Hic patuli rictus: hic prodigioſa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ truncis facies, immaniaque oſſa
Serpentum paſſim cumulis exſanguibus albent,
Et rigidæ multo ſuſpirant fulmine pelles,
Nullaque non magni ſe jactat nominis arbor.
Hæc centumgemini ſtrictos Aegeonis enſes
Curvata vix fronte levat. liventibus illa
Exſultat Cœi ſpoliis. hæc arma Mimantis

 Suſtinet.

342 tumulis *vulg. Sed* cumulis *vel ſine libris legi jubet Heinſ. ut 1, no. 15,39.*
345 fractos *pro* ſtrictos *mallit ex MS. Parrhaſ. & placet Heinſ.*
346 fronde *Plant. marg. Claver.* 347 Caci *Vic. Vien. Plant. marg. & multi MSS.* Zancli *Parrh. Vien. marg.*

Exuviæ Phlegrææ ſunt velut tropæa, quæ DI erexere de gigantibus. Vid. v. 354. Similia de Pallene Thraciæ Val. Fl. 2, 17 ſqq.

339 Antiquum ſupplicium θεομάχων, excoriari, ἀσκὸν fieri: quod etiam ab Apolline paſſus eſt Marſyas. Ipſum nomen ἀσκοῦ derivant Grammatici, ab Aſco gigante, quem Bacchus excoriaverit. Vid. Steph. Byz. h. v. & quæ ibi Berkel. *Patuli rictus* in primis horribiles, pellis de facie detracta, vel caput in perſonam aut galeam formatum: explicat deinde per *affixas truncis facies. Tergora*, credo, dixit, ut tanquam de belluis, leonibus v. g. loqui illum ſentiamus. *Oſſa ſerpentum* ſunt illæ reliquiæ vel ſceleti pedum in angues formatorum, a quibus *anguipedes* vocantur. Vid. ad 35, 23. 139 & VV. DD. ad Val. Fl. 2, 28.

343 *Suſpirant* dictum capio de perforata paſſim & trajecta a fulminibus pelle, quæ vulnera ac foramina ſunt velut ſpiracula & ſpiramenta, quæ commeatum præbent aëri: niſi malis, intra illas pelles & utres excitari incendia & ſulphureos vapores, quorum exitus ſint velut ſuſpiria. Comparat Parrhaſius Aen. 1, 44 *Ajacem exſpirantem transfixo pectore flammas.* Et hoc verius eſſe, ſuadet v. 350 ubi *fumantia opima Enceladi.* Pelles quia *rigidæ* ſunt ſervant formam corporum etiam perforatæ. Videntur illæ de Aſco, de Pallene, de his tropæis, fabulæ ad antiquam de gigantum quibusdam reliquiis perſuaſionem pertinere. Quæ in Sicilia quam ſexto decimo ſæculo adhuc viguerit, poteſt ex Fazello præſertim 1, 1. 6 conſtare, cujus locum bene longum, & hiſtorias bene multas, etiam retulit Cluverius p. 13.

345 De Aegæone ad 33, 47. Hujus exuvias cum C manibus totidemque enſibus vix ſuſtinet arbor cacumine incurvato.

347 *Cœus* centimanus (Apollod. 1, 1. 1) nobile inter gigantas nomen: nobilis etiam *Mimas*, de quo vid. Spanhem. ad Callim. p. 368. Etiam noſter illum memorat 37, 85. *Zanclus* quem hic habent libri quidam, fabuloſus rex γηγενὴς, terrigena, Zancles, quod antiquum nomen Meſſanæ fuit. *Cacus* latro plane huc non pertinet.

Suſtinet. hos onerat ramos exutus Ophion.
Altior at cunctis abies umbroſaque late
Ipſius Enceladi fumantia geſtat opima
Summi terrigenum Regis, caderetque gravata
Pondere, ni laſſam fulciret proxima quercus.
Inde timor numenque loco, nemoriſque ſenectæ
Parcitur, ætheriiſque nefas nocuiſſe tropæis.
Paſcere nullus oves, nec robora lædere Cyclops
Audet, & ipſe fugit ſacra Polyphemus ab umbra.
Non tamen hoc tardata Ceres. accenditur ultro
Religione loci, vibratque incerta ſecurim,
Ipſum etiam per itura Jovem. ſuccidere pinus,
Et magis enodes properat proſternere cedros,
Exploratque obiens truncos, rectique tenorem

Stipitis

352 lapſum *vulg.* laſſam *Baſ. marg.* & *MS. Delr.* 358 infeſta *Ald.* & *quidam MSS.* 359 ipſum ſeu *Baſ. marg.* petitura *omnes ante Clav.* feritura *MSS.* petat ira *pulchre conj. Barth.* 360 dubitat *Baſ. marg.* 361 abies *Vic.* abiens *omnes editt.* habiles *neſcio unde Barth.* & *Heinſ.*

pertinet. Sed placuit librariis, quia notior illis erat, quam Coeus, literæ pene eædem. *Spolia* de pelle accipienda: nemo, arbitror, veſtitos aut thoracatos facit gigantas. Idem notat *exutus Ophion* h. e. exuviæ Ophionis.

348 *Ophion* cum Eurynome uxore regnaverat ante Saturnum & Jovem, quem ideo τῶν 'Οφίωνος θρόνων ἄνακτα vocat Lycophron v. 1192 ubi vid. Schol. & Potter.

350 De *Encelado* ad 33, 153.

352 Quod legitur antiquitus, *lapſum fulciret*, non auſim damnare. Nam ſignificat hic fulcire ſuſtinere, impedire ne cadat, ut Ovid. Triſt. 1, 6. 5 *Te mea, ſuppoſita veluti trabe, fulta ruina eſt.*

356 *Polyphemus Cyclops* impius, & contemtor religionum in Euripidæ Cyclope inducitur: & tamen horret ſacram ſilvam, & tropæa Jovis violare. Sed Ceres nunc irata Jovi & DIs omnibus non parcit, quin quo ſanctior eſt lucus, eo magis cupit & velut ardet illum vaſtare.

358 *Incerta vibrat ſecurim*, quia non curat, quam arborem petat, ſtragem modo vult edere.

359 Solicitor putare, ab ipſo Claudiano eſſe *petitura*, adeo & libri conſentiunt, & ſententiæ aptum eſt. Quod modus Syllabæ repugnat, inter πταίσματα referri poteſt, a quibus nec optimi fuere immunes. Et fluctuaſſe hoc verbum, ut alia, inter tertiam & quartam conjugationem, apertum eſt. Parrhaſius certe concoxit ſilentio, & interpretatus eſt *petitura.*

360 Studioſi hiſtoriæ naturalis in characteribus cedri hic epitheton *enodes* poſſunt obſervare, quod facit illas ædificationibus & contabulationibus aptas.

361 *Obiens* leviſſima mutatione ponere pro *abiens* auſus ſum, quod

nimis

Stipitis, & certo prætentat brachia niſu.
Sic qui vecturam longinqua per æquora merces
Molitur tellure ratem, vitamque procellis
Objectare parat; fagos metitur & alnos,
Et varium rudibus ſilvis accommodat uſum.
Quæ longa eſt, tumidis præbebit cornua velis:
Quæ fortis, malo potior: quæ lenta, favebit
Remigio: ſtagni patiens aptanda carinæ.
Tollebant geminæ capita inviolata cupreſſus

Pp 4 Ceſpite

362 præcenſet *MSS.* percenſet *Heinſ. 2. quod qui probat, debet, puto, etiam legere* viſu *pro* niſu. 363 vecturus *vulg.* 370 cupreſſi *MSS. meliores judice Heinſ.*

nimis accommodatum huic rei & loco verbum, atque illi inepto alteri nimis ſimile putabam. *Obire* non tantum eſt luſtrare, ut Virg. Aen. 10, 457 *Corpusque per ingens, Lumina volvit, obitque truci procul omnia viſu.* Et 12, 478 de Juturna, *Rapidoque volans obit omnia curru,* cui ſimile Sil. 3, 160 *Crebroque obit omnia viſu:* ſed etiam invadere, ut Sil. 17, 492 *Jamque ardore truci luſtrans fortiſſima quæque Nomina obit ferro.* Et Stat. Theb. 2,589 *Hos obit atque illos*, ubi bene V. Schol. *Impetit, ferit, vulnerat.* Hæc ita conveniunt ad noſtrum locum, ut putem, vix dubitari poſſe, quin *obiens* ſit a Claudiano.

362 Ceres prehendit arbores, & concuſſu ſtirpis *prætentat brachia* illarum, an poſſint illam jactationem, qua uſura erat, ferre.

364 *Tellure* ſine præpoſitione, ut *humi*, ut *terra marique.*

367 *Cornua* nominat, ut intelligamus *antennas*, quarum extrema utrinque eminentia proprie *cornua* vocantur, ut Virg. Aen. 3, 549 *Cornua velatarum obvertimus antennarum.* Sed optimi etiam Romanorum, non minus quam Græci, *cornua* nominarunt, cum totas antennas vellent intelligi. Ovid. Met. 11, 482 *Ardua, jam dudum, demittite cornua, rector clamat:* nempe cornibus deligatæ ſunt antennæ: tum addit, *Antennis totum ſubnectite velum.* Sil. 14, 389 de navi maxima, *velo cum rapidum hauriret Borean, & cornibus omnes colligeret flatus.*

368 *Lentum* eſt, quod potius flectitur, quam frangitur, & ob id ipſum non temere frangitur, quia poteſt flecti. Hac notione videtur contineri, quidquid eſt in hoc nomine varietatis & pene repugnantiæ, quam perſequitur Iſaacus Voſſius ad Catull. p. 212. Hinc *remis* fere proprium epitheton adjicitur, qui *lentari* dicuntur etiam noſtro 17, 42 i. aliquantum inflecti pulſibus illis.

369 *Stagni* nomine alludit ad etymon, a ſtando & diu manendo. Carina nunquam ſiccatur, ſemper ſtat in aqua, etiam in portu: etiam cum *ſiccas trahunt machinæ carinas* (h. e. totas naves Hor. Car. 1, 4. 2) *Carina* proprie dicta, furdus ille, illa velut ſpina, e qua exeunt utrinque coſtæ navis, madida eſt. Certe cum carina ſicca eſt, navim reliquam non madere amplius, intelligitur.

Ceſpite vicino; quales non rupibus Idæ
Miratur Simois; quales non divite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.
Germanas adeo credas: ſic frontibus æquis
Adſtant, & ſocio deſpectant vertice lucum.
Hæ placuere faces. pernix invadit utramque
Cincta ſinus, exſerta manus, armata bipenni:
Alternaſque ferit, totiſque obnixa trementes.
Viribus impellit. pariter traxere ruinam,
Et pariter poſuere comam, campoque recumbunt,
Faunorum Dryadumque dolor. Complectitur ambas,
Sicut erant, alteque levat, retroque ſolutis
Crinibus adſcendit faſtigia montis anheli,
Exſuperatque æſtus, & nulli pervia ſaxa,
Atque indignantes veſtigia calcat arenas.
Qualis peſtiferas animare ad crimina taxos

Torva

374 frondibus *Vic.* *Vien.* *Ald.* *Claver.* 375 exſtant *MSS.* 378 alternansque *MSS.* 380 comas *vulg.* 386 armare *MS.* animarum *MSS. quod placet Claverio miſc. c. 12. Sic* ruit v. 387 *ſignificabit* eruit.

371 *Idææ cypariſſi* ſunt etiam Virg. Ge. 2, 84.

373 *Lambere* de aquis præterfluentibus noſter etiam 36, 253. *Orontes* Antiochiam prælabitur Syriæ, quæ a laureo nemore Epidaphnes vocatur, *ἐπὶ Δάφνης*.

381 *Fauni* ſilveſtres DI, *Dryades* nymphæ, quarum etiam fatum ad arbores alligatum eſſe fingebatur; quo reſpectu appellantur Hamadryades. *Δρῦς*, unde nomen habent, quercum proprie ſignificant: ſed latius patere nomen inde etiam intelligitur, quod *ἀκρόδρυα* aliarum quoque fructus arborum notant. Hæc igitur ſilveſtria numina dolent ablatis pulcherrimis arboribus.

382 *Retro ſoluti* crines indicant vehementiam motus, adverſo monte currentis Cereris. *Anhelus mons*, non tantum ut *pallida mors*, qui anhelitum movet aſcendentibus; ſed efflans cum fumo ignem Aetna.

386 *Animare* eſt accendere, ut vulgo *vivere* ignis dicitur: & ipſa vita cum igni paſſim comparatur. Euclio Plautinus Aul. 1, 2. 15 interminatur ancillæ, ne ignem alat domi, *Nam ſi ignis vivet, tu exſtinguere extempulo.* Verbum *animare* hic illuſtrat Heinſius. *Taxus* convenit facibus furiarum quod venenata & mali ominis arbor eſt. Apud Stat. Theb. 11, 93 conqueritur Megæra, *Hebet infera cælo Taxus*, inferis nata & adſueta fax, apud ſuperos vim ſuam perdit. V. Schol. *Furiæ de taxo arbore dicuntur habere faces.*

Torva Megæra ruit; Cadmi ſeu mœnia poſcat;
Sive Thyeſteis properet ſævire Mycenis.
Dant tenebræ Maneſque locum, plantiſque reſultant
Tartara ferratis: donec Phlegethontis ad undam
Conſtitit, & plenos excepit lampade fluctus.
Poſtquam perventum ſcopuli flagrantis in ora;
Protinus arſuras adverſa fronde cupreſſus
Faucibus injecit mediis, lateque cavernas
Texit, & undantem flammarum obſtruxit hiatum.
Compreſſo mons igne tonat, clauſuſque laborat
Mulciber. obducti nequeunt exire vapores.
Coniferi micuere apices. crevitque favillis
Aetna novis. ſtridunt admiſſo ſulſure rami.
Tum, ne deficerent tantis erroribus ignes,

387 limina *MSS.* 390 in unda *vulg.* 391 accepit *vulg*: ſuſcepit *MSS.* 392 ferventis *Plant. marg.* 393 averſa *vulg.* fronde *Plant. marg.* 397 hærere *Ald. & ſcripti meliores judice Heinſio, qui etiam conjicit*, obductique negant hærere. *Reliqui ego, quod editum adhuc eſt, & intelligo.* 399 ſtrident *vulg.*

387 *Cadmi mœnia*, Thebas, theatrum tragicorum ſcelerum in filiis Oedipi: Mycenis celebratæ epulæ Thyeſteæ, de quibus ad 1, 171.

389 *Tenebræ* inferorum & *Manes* defunctorum *dant locum* deſcendenti ad Phlegethonta fluvium Megæræ. Huic *plantas ferratas* tribuit, h. e. ferreas, quæ lædi ab igne non poſſint.

391 *Lampade*, face, non ſatis proprie. Sed fax præſtat vicem lampadis, & contra. *Fluctus* vocat ignes, quia Phlegethon eſt fluvius. Perpetua eſt analogia & velut paralleliſmus fluidorum corporum aëris, ignis, aquæ &c.

392 Hactenus de furia: nunc de Cerere. Hæc aſcendit in cacumen & ad *ora ſcopuli flagrantis*, hoc eſt, ad cratera Aetnæ.

393 *Adverſa fronde*, inverſis arboribus, ut frons tenuis & concipiendæ ſpargendæque flammæ aptior, prius occurrat igni.

394 Magnitudinem arborum, quibus uſa eſt pro facibus Ceres, ea re indicat quod illarum frondes & cacumina tegere, implere, obſtruere cavernas ignem vomentes potuere.

396 *Laborat Mulciber*, Vulcanus h. e. ignis, redactus velut in anguſtias, laborat, æſtuat, difficultatem ſentit.

398 *Coni* fructus cupreſſorum videntur primum & proprium hoc nomen habuiſſe. Vid. Serv. ad Virg. Aen. 3, 680 ubi ſunt *Coniferæ cypariſſi.* Idem epitheton noſtro *pinus* 33, 204. *Micare* ad ſubitum motum & ſalientes flammas pertinet, quales in junipero & ſimilibus accenſis obſervantur: hinc etiam ſunt illæ ſubitæ favillæ.

400 *Tantis erroribus*, tam incerto ac forte longo, cui accingebatur,

Semper inocciduos inſopitoſque manere
Juſſit, & arcano perfudit robora ſucco;
Quo Phaëthon irrorat equos, quo Luna juvencos.
Jamque ſoporiferas nocturna ſilentia terris
Explicuere vices: laniato pectore longas
Inchoat illa vias, & ſic ingreſſa profatur.
„Non tales geſtare tibi, Proſerpina, tedas
Sperabam: ſed vota mihi communia matrum,
Et thalami feſtæque faces, cæloque canendus
Ante oculos Hymenæus erat. Sic Numina fatis
Volvimur, & nullo Lacheſis diſcrimine ſævit?
Quam nuper ſublimis eram, quantiſque procorum
Cingebar

403 jugales *MSS.* juvencas *MS.*

batur, itineri ne ignes & faces deficerent: quam mox enim arbor combuſta eſſet?

402 *Robur* ergo univerſim arborem duram, atque reſiſtentem deſtructioni notat, licet proprium deinde quercui factum ſit.

403 *Phaëthonta* hic ipſum Solem eſſe, apparet. Homericum epitheton, Ἠέλιος Φαέθων, Ιλ. Λ, 734. Hinc Virg. Aen. 5, 105 *Phaëthontis equi.* Hi debent ignis valde patientes eſſe. *Lunæ* currui (qui idem Noctis eſt 33, 275) hic & 44, 61 *juvencos* tribuit noſter. *Juvencas* Auſo. Epiſt. 5, 1 p. 589 *Tertia fiſſipedes renovavit Luna juvencas* i. tres menſes abiere, certe tertius menſis agitur. Vid. Toll. Et Epiſt. 19, 3 p. 655 *Jam ſuccedentes quatiebat Luna juvencas. Tauri* vocantur apud Fulgent. Mythol. 1 p. 618 Stav. *Luna -- bijugis conſcenderat æthera tauris.* Aſtrologi etiam Taurum, ſidus, illi aſſignarunt. Porphyr. de Nymphar. antro p. 119 pr. Barneſ. Ἐποχεῖται ταύρῳ Σελήνη, καὶ ὕψωμα σελήνης ὁ Ταῦρος Invehitur Luna, Dea, tauris: & faſtigium lunæ, planetæ, in quo potentiſſime agit, eſt ſignum Tauri. Paſſim in nummis illum Lunæ vel Dianæ currum juvencis junctum deprehendas, vt Deliorum apud Geſſnerum T. 18 n. 18. Caracallæ apud eundem T. 141 n. 11 & 143, 6. Philippi ibid. 179, 23.

405 *Explicandi* verbum videtur phantaſian habere veli expanſi, quale Nocti & Dianæ addere ſolent monimenta antiqua.

409 *Cælum* in talibus non terræ, qua vivorum hominum ſedes eſt, ſed inferis opponitur & Manium ſedibus.

411 *Volvimur* habet reſpectum ad fuſum illum quem torquet Parca, qui revolutione ſua fila format. Sed quod fato ſubjicit hic Deos, non videtur pertinere ad brutam aliquam neceſſitatem. Hic fatum eſt cupiditas Plutonis, & voluntas, edictum, effatum Jovis: quod indicat mox v. 419.

412 De illis *procorum ſtudiis* dixerat 33, 133.

Cingebar ſtudiis! quæ non mihi pignus ob unum
Cedebat numeroſa parens? Tu prima voluptas,
Tu poſtrema mihi: per te fecunda videbar.
O decus, o requies, o grata ſuperbia matris:
Qua geſſi florente Deam: qua ſoſpite nuſquam
Inferior Junone fui: nunc ſqualida, vilis.
Hoc placitum patri. Cur autem adſcribimus illum
His lacrimis? Ego te, fateor, crudelis ademi,
Quæ te deſerui, ſolamque inſtantibus ultro
Hoſtibus expoſui. Raucis ſecura fruebar
Nimirum thiaſis, & læta ſonantibus arvis
Jungebam Phrygios, cum tu raperere, leones.
Accipe, quas merui, pœnas. en ora fatiſcunt
Vulneribus, grandeſque rubent in pectore ſulci.
Immemor en uterus crebro contunditur ictu.
Qua te parte poli, quo te ſub cardine quæram?
Quis monſtrator erit? quæ me veſtigia ducent?
Quis currus? ferus ipſe quis eſt? terræne mariſne
Incola? quæ volucrum deprendam ſigna rotarum?

Ibo,

417 nunquam *vulg.* 418 *pro* vilis, vultus *MS.* viſus *conj. Heinſ. Genitivo Græco.* 421 ſolam, quæ *vulg.* ſolamque *Heinſ. qui tamen malit* quæ ſolam. 423 armis *vulg.* 425 onerata *Baſ. marg.* 430 *pro* ipſe, ille *vulg.* 431 viarum *Baſ. marg. Plant. marg.*

417 *Geſſi Deam*, perſonam & felicitatem Deæ, beata fui, venerabilis fui, uti Deam decet.

419 Primo adſcribit lacrimis ſuis Jovem, vel, quod idem eſt, aſſignat calamitatem ſuam Jovi, patri rerum omnium: mox mutata ſententia ſe accuſat.

422 *Rauci thiaſi* propter inconditas & diu continuatas ac pene furioſas voces, *thiaſos* h. e. choreas ac ſaltationes, & ſacra illa Cybeleia obeuntium. Vid. 33, 205.

525 Inducitur hic Ceres ἑαυτὴν τιμωρουμένη ut Terentianus ille Menedemus. *Ora fatiſcunt vulneribus*, rimas accipit vultus, inſtar vaſis e ligno fatiſcentis, ab unguibus quibus illum laceravi. Sic pectus laniavit v. 403. Hos hic appellat *ſulcos*.

427 Mira junctura, *Immemor uterus.* Nempe hoc vult, Debebat me ipſe venter admonere meæ Proſerpinæ.

430 *Ferus*, raptor, quales centauri, quales illi gigantes cum anguinis pedibus.

431 De curru & rotis acceperat ab Electra, hic v. 236.

Ibo, ibo quocumque pedes, quocumque jubebit
Caſus. ſic Venerem quærat deſerta Dione.
Efficietne labor? rurſus te, nata, licebit
Amplecti? Manet ille decor? manet ille genarum
Fulgor? an infelix talem fortaſſe videbo,
Qualis nocte venis? qualem per ſomnia vidi?„
Sic ait, & prima greſſus molitur ab Aetna;
Exitiique reos flores, ipſumque rapinæ
Deteſtata locum ſequitur diſperſa viarum
Indicia, & pleno rimatur lumine campos,
Inclinatque faces. omnis madet orbita fletu.

Omnibus

434 proficietne *MSS.* 436 tandem *primi edd. quod vehemens videtur.*
442 omnis perit *ex uno MS. Heinſ.*

433 Imprecatur matri Veneris eam calamitatem, talem laborem.

437 *Qualis nocte* venerit ad matrem Proſerpina, dictum ſupra v.69.

442 *Inclinat faces* ad terram, ut faciunt, qui ſedulo quærunt aliquid. *Omnis orbita*, quam ita perſequitur, *madet* a *fletu* & lacrimis illius: *perire* ut poſſit *omnis orbita a fletu*, quibus fluminibus opus eſſet?

443 *Omnibus* ſibi obviis vel DIs vel Semideis (nam homines metuo ut conſpectum illius ferre tum potuerint) *admugit*, cum gemitu eos rogat de filia ſua. Non dedecet hoc verbum dolorem Cereris furentis. Sic Sibylla Virgiliana, 6, 99 *antro remugit.* Et Ceres *Terra* quoque mater eſt, cui *mugitum* omnes tribuunt. Et ſtatim videbimus *inſanos* ejus *ululatus* a Statio commemorari.

Porro *in æthere* qui poſſint *ſulci* eſſe, non puto intelligere quemquam. Non agitur hic de lucida ſemita Deorum, qualem Martis deſcribit noſter 1, 102, ac Theodoſii de qua 7, 162: aut qualis eſt quem Iris *fuga ſecuit ſub nubibus arcum* Aen. 5, 658 & 9, 15. Hi ſulci momentanei ſunt, neque inveniuntur accenſis facibus. Hæc eſt ratio, cur antiquam omnium librorum lectionem repoſui, conſentientem præſertim cum loco Statii; quem ob oculos habuiſſe noſter jam olim viris doctis viſus eſt, quique hic omitti ſine damno lectorum non poteſt. Sic autem ille Theb. 12, 270 de Argia mariti Polynicis cadaver inter funera requirente, *Qualis ab Aetneis accenſa lampade ſaxis Orba Ceres magnæ variabat imagine flammæ Auſonium Siculumque latus, veſtigia nigri Raptoris vaſtosque legens in pulvere ſulcos. Illius inſanis ululatibus ipſe remugit Enceladus* &c. Hic locus firmare mihi & lectionem propoſitam & interpretationem videtur.

444 Adhuc iter ſ. errorem terreſtrem deſcripſit: nunc, ut per maria ierit, quod ſe facturam dixerat v. 319. *Quacunque* ergo

Ceres

Omnibus admugit. Quacumque it in æquore, fulvis
Adnatat umbra fretis, extremaque lucis imago
Italiam Libyamque ferit. clareſcit Etruſcum
Litus, & accenſo reſplendent æquore Syrtes.
Antra procul Scyllæa petit, canibuſque reductis
Pars ſtupefacta ſilet, pars nondum exterrita latrat.

RELIQUA DESIDERANTUR

443 quocunque iit *Scal. poët.* 5, 14 *qui hunc locum de cetero ita repræſentat, ut a nobis factum, niſi quod, typorum errore, ut videtur, pro* admugit, *eſt* adjungit. 444 externaque *Baſ. marg. Scal. l. c.*

Ceres *it in æquore*, *umbra* h. e. imago facium *adnatat fretis*, h. e. niſi fallor, propagatur ad litora. Placet hic etiam facere, ut prætermiſſa vel non ſatis certe declarata in Theſauris revocem. *Freti* derivatio Varroniana a *fervendo* ibi propoſita, vera videtur. Favet nomen *defrutum* quod velut *defretum* eſt, fervendo minutum. *Freta* dici loca maris, ubi maxime fervet atque æſtuat mare, qualia ſunt omnino anguſtiæ, ſed etiam litora, conſideratio exemplorum etiam Ciceronianorum poteſt docere. V. G. pro Mure. c. 17 de motibus popularibus, *Quod fretum, quem Euripum tot motus -- habere putatis.* Hinc Metaphora honeſta Lucret. 4, 1025 *Aetatis freta* pro fervore illo pubeſcentis adoleſcentiæ dixit. Et ille poëtici plus ſatis ingenii homo Florus 1, 26. 9 populo ipſi Ro. *fretum adoleſcentiæ* tribuit, *ſecundam ætatem, in qua totam Italiam armis ſubegit.* Poëta noſter *fulva* facit *freta*, quatenus conceptum ignis ſplendorem referunt.

445 Eſt hic Epexegeſis. Lux de facibus Cereris a fluctibus repercuſſa *Italiam Libyamque ferit.* Itaque hinc illuſtratur Etruſcum litus, ab altera & oppoſita parte *reſplendent Syrtes* in Africæ litoribus. *Accenſum æquor* conſulta figura ut paſſim *accendi*, *incendi*, *ardere*, *ignis*, *flamma*, de ſplendido colore & radiis repercuſſis dicuntur.

447 *Pars. Scyllæorum antrorum* (neque enim hic unum monſtrum fingit, ſed, ut res eſt, regionem maris ſcopuloſam) præ ſtupore flammarum *ſilet*, *reductis* præ metu latratoribus illis *canibus* &c.

XXXVII

CL. CLAUDIANI GIGANTOMACHIA*

Terra parens quondam cæleſtibus invida regnis,

Tita-

Non habet Editio Vicentina.

* Pœmatium hoc quod mutilum ad nos pervenit, ex Græco Claudiani Latinitate donatum aut ab ipſo Claudiano aut ab alio temporum iſtorum ſcriptore exiſtimo. Idem quoque mihi perſuadeo de Epiſtola ad Hadrianum & Idylliis nonnullis, qualia Phœnix, Hyſtrix, Torpedo, Nilus & Magnes. ut enim aliquid Claudianeum in iis facile agnoſcas, ita languent numeri plerumque, & raro ad auctoris noſtri hac in parte felicitatem adſurgunt. nec acceſſerim iis, qui ſeni & effœto iſta excidiſſe opinantur. a D. Hieronymo ex Gigantomachia incerti hæc citantur,

Quo fugis, Encelade? quaſcunque acceſſeris oras,
Sub Jove ſemper eris.

quæ huic poëmatio non vana conjectura accenſeri poſſint. Græce quidem Gigantomachiam ſcripſiſſe Claudianum teſtis omni exceptione major Arſenius in Apophthegmatis, ex quo fragmentum primi edendum curavimus. noſter ipſe præfatione v. 1 Conſ. Hon. (27,17)

Enceladus mihi carmen erat victusque Typhœus.

Ejus Gigantomachiæ partem in Sicilia ſuo tempore inventam vir ſummus Petrus Bembus affirmat Epiſtola ad Politianum. verba ejus apponam. *Reddidere mihi Sicilienſes negotiatores codicillos tuos, quibus petebas, ut Conſtantinum convenirent, atque ab eo tibi Claudiani Gigantomachiam, quam habere illum audieras, impetrarent.* & mox, *Verum quam habet Conſtantinus Gigantomachiam, ea potius blattomachia eſt. Etenim annis ſuperioribus, dum inter vetuſtos ac jam prope deſletos libros, quos ei non doctus homo quidam dono dederat, ſingula ipſe (ut ſui moris eſt) diligenter inſpiceret, cum Heſiodi fragmentis in charta extremæ paginæ proxima, Claudiani Gigantomachia titulum reperit, & pauculos tantummodo hexametros; tum alteram iterum chartam, in qua opus deſinebat. cætera tineæ depopulaverant, ita ut legi non poſſent. hæc quoque ipſa corrupta & inſida ſatis, ut quæ ab indoctis librariis deſcribuntur. Igitur quæ habui, ita ut erant, huic epiſtolæ ſubtexui. quanquam in illis ipſis, quæ deſiderantur, non valde multum amiſimus. Nam ex verſuum numero, quem eo in libro eique operi librarius ſupputavit, Gigantomachiam omnem carminibus* CXLV *conſtare tumet videbis. ut credibile plane ſit, Claudianum eo in poëmate conſcribendo luſiſſe potius, quam ullum poëtæ ſibi nomen quæſiviſſe.* Hæc Bembus & ex illo Heinſius, qui in altera editione monet, Barthii eandem de his ſententiam, & carmen Græcum ab Arſenio huc repetitum, ſerius fuiſſe a ſe deprehenſum.

1 Non deſtinavit, credo, auctor carminis juſtum opus gigantomachiæ:

Titanumque ſimul crebros miſerata dolores,
Omnia monſtrifero complebat Tartara fœtu,
Inviſum genitura nefas: Phlegramque retexit
Tanta prole tumens, & in æthera protulit hoſtes.
Fit ſonus. erumpunt Erebo, necdumque creati
Jam dextras in bella parant, ſuperoſque laceſſunt,
Stridula volventes gemino veſtigia lapſu.
Palleſcunt ſubito ſtellæ, flectitque rubentes
Phœbus equos, docuitque timor revocare meatus.
Oceanum petit Arctos, inocciduique Triones
Occaſum didicere pati. tum fervida natos
Talibus hortatur genitrix in prælia dictis:

„O pubes

2 labores *MS.* 3 cœtu *vulg.* 6 er. crebris *Vien.* crebri *al.* erebi *MS.* nondumque *vulg.* 10 cogitque *conj. Heinſ.* 12 voluere *vulg.* optavere *Barth. ex MS.* cum ferv. *MSS.*

chiæ: ſed Idyllion tantum vel eclogam: eaque ipſa ſimplicem potius narrationem habet, non ſplendorem aliquem Poëticum. Neque vero a nobis hic aliquis exſpectet enarrationem hujus argumenti, quod ab Homero inde atque Heſiodo poëtæ omnes, ſed ſuo unusquisque modo tractarunt, quos in concordiam aliquo modo, diſtinguendis pluribus bellis, revocare, catalogum texere gigantum, qualem Argonautarum dedit Burmannus, Græcos componere cum Latinis, cenſuram agere recentiorum, in primis Eilardi Belli Friſii, cujus Belli Gigantei libri IV habentur in prima parte Deliciarum poëtarum Belgicorum, non injucundum fuerit, nec forte ad antiquitatis cognitionem & poëticam facultatem augendam inutile; ſed nec otii noſtri, quod nunc eſt, nec hujus inſtituti. Et neſcio an mereatur hic libellus, aut hoc fragmentum, operoſos Commentarios.

2 Ponit itaque auctor, ante hanc quam deſcribere modo aggreditur Gigantomachian fuiſſe aliam, qua victi Titanes, atque in Tartarum detruſi ſint. Huc pertinet *Phlegra retecta*, de qua dictum ad 27, 20. Huc Tityos v. 25.

5 Tellus etiam apud Heſiodum Theog. 147 it. 617 ſuos filios primum intra viſcera ſua, ubi & *Erebus*, continet, deinde ubi iraſcitur DIs ſuperis, vel aliis Titanibus, eos emittit.

8 *Stridula veſtigia* vocat, cum reſpectu ad ſibilum ſerpentium, quos horribiles duo pro pedibus habent gigantes, quosque probabiliter illis tribuunt, quia ſunt terræ filii, ſub terris habitant.

11 *Arctos*, urſa minor, nunquam occidit his, qui in Zona ſeptentrionali temperata habitant: neque *Triones* alii ſeptem, quibus conſtat urſa major. V. ad 22, 458 & compara 35, 189 quem locum aut imitatus eſſe hic auctor, aut ſi idem eſt utriusque, in mente habuiſſe videtur.

„O pubes domitura Deos, quodcumque videtis,
Pugnando dabitur. Præſtat victoria mundum.
Sentiet ille meas tandem Saturnius iras.
Agnoſcet, quod Terra poteſt. Sic viribus ullis
Vincor: cur Cybele nobis meliora creavit?
Cur nullus Telluris honos? cur ſemper acerbis
Me damnis urgere ſolet? Quæ forma nocendi
Defuit? hinc volucrem vivo ſub pectore paſcit
Infelix Scythica fixus convalle Prometheus.
Hinc Atlantis apex flammantia pondera fulcit,
Et per canitiem glacies aſperrima durat.
Quid dicam Tityon, cujus, ſub vulture ſævo,
Viſcera naſcuntur gravibus certantia pœnis?

Sed

16 ſentiat *vulg.* 17 agnoſcat, quid *vulg.* cognoſcet quid *Vien.* cognoſcat quod *Barth. e MS.* agnoſcet quod *Ald. quem ſequor.* ſi curribus illis *MS.* cur viribus illis *conj. Heinſ.* ſi vir. *vulg.* 18 *pro* nobis, vobis *MS. quod placet Heinſ.* 19 quæ ſemper *MSS.* qui *vulg.* 21 nullo ſub *MS.* recidivo *conj. Barth.* fibroſo *conj. Heinſ.* 23 ſidera *MS.* 24 *Abeſt ab optimo MS. hic verſus.*

16 Hunc uſum pronominis *ille*, cui interdum *ipſe* ſubſtitutum ibant critici, illuſtrant Heinſ. ad Virg. Aen. 7, 110 & Brouckh. ad Tib. 1, 4. 19.

17 *Quod terra poteſt*, tanto lubentius revocavi, quod illud *quid poteſt* Solœciſmum ſapit.

19 *Cybele*, quæ eadem Rhea, mater Jovis & fratrum: eadem, ex aliis fabulis, Tellus.

19 Illud *ſemper* etiam ponit bella quædam ſuperiora cum filiis Terræ, ſ. Titanibus, in quo numero nominat hic Promethea, Atlantem, Tityon. Nempe ille Caucaſo affixus, de quo eſt tota Aeſchyli Tragœdia, & Dialogus Lucianeus.

23 *Atlanta* pœnæ cauſa cælum ac terram ſuſtinere, apparet ex Aeſch. Prom. vincto v. 348. De genere illius, ut nempe de aliis omnibus, poëtæ diſſentiunt: nam Aeſchylus l. c. Oceani fratrem facit, atque adeo Cæli ſ. Aetheris ac Terræ filium: alii Japeti & Clymenes filium, fratrem Promethei, quorum patruus Oceanus. Vid. Munck. & Staver. ad Hygi. fab. 1 p. 10.

23 *Flammantia pondera* ſunt ſidera, quæ videtur facere maſſas graves, ignitas, quale quid de Sole antiqui Phyſici philoſophabantur, cum *μύδρον* dicerent, vel *λίθον διάπυρον.* Vid. Menag. ad Diog. Laërt. 2,8.

24 Acumen videtur quærere in eo, quod, cum flammantia pondera ſuſtineat Atlas, idem tamen perpetua glacie canus ſit.

25 *Tityon*, *terræ omniparentis alumnum* Aen. 6, 595, pulchre deſcribit Claudianus 35, 337.

Sed vos, o tandem veniens exercitus ultor,
Solvite Titanas vinclis; defendite matrem.
Sunt freta, ſunt montes. noſtris ne parcite membris.
In Jovis exitium telum non eſſe recuſo.
Ite, precor; miſcete polum, reſcindite turres
Sidereas. Rapiat fulmen ſceptrumque Typhœus.
Enceladi juſſis mare ſerviat. alter habenas
Auroræ pro Sole regat. te Delphica laurus
Stringat, Porphyrion, Cirrhæaque templa teneto.„
His ubi conſiliis animos eluſit inanes;
Jam credunt viciſſe Deos, mediiſque revinctum
Neptunum traxiſſe fretis. hic ſternere Martem
Cogitat, hic Phœbi laceros divellere crines.
Hic ſibi promittit Venerem. ſpiratque Dianæ
Conjugium. caſtamque cupit violare Minervam.
Interea Superos prænuntia convocat Iris,

Qui

27 ultro *MS.* 28 *Poſt hunc verſum hiatus unius verſus in MS.* 29 veſtris nec *vulg.* 31 reſtinguite turbas *MSS.* 35 Porfurio *MS.* tenebis, tenebris, tenebit, tenebo *MSS.* tenebunt *conj. Barth.* 38 vadis *MS.* 39 devellere *vulg.* 40 ſperatque *vulg.*

29 *Freta* hic univerſim pro marium omni genere poni puto, quatenus commovetur & *fervet*, unde nomen eſſe putamus. Vid. ad 36, 444.

32 *Typhoëa* ultimum Terræ filiorum facit, & horribilem illius deſcriptionem ponit Heſiodus Theog. 821 ſqq. deinde ait illum deſtinatum a matre ut imperaret in locum Jovis, Καί κεν (v. 836) ὅγε θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἄναξεν, Εἰ μὴ ἄῤ ὀξὺ νόησε πατὴρ κ. τ. λ. Sed frequens illius & Enceladi jam facta eſt mentio.

32 *Habenas Auroræ* pro die ponit, quæ præcurrere diem ſoleat. De *habenis* ad 1, 1 conjecturam dedimus: ſed quæ ad hunc locum accommodari non poteſt. Ceterum hic etiam Solem, quod facere ſolent, ab Apolline diſtinguit.

35 *Stringat* eſt coronet, arcte circumdet caput tuum.

36 *Eludere animos*, de vi præpoſitionis quam habet in *emicare*, *emergere*, *evehere*, & ſimilibus, videtur ſignificare in altum ludere, ludendo & illudendo, mentiendo & vanis promiſſis extollere. Hoc facilius eſt in animo *inani*, qui facilius, impletur falſis, inflatur, extollitur.

42 *Iris prænuncia* Deorum, ut 36, 1 hic nihil aliud ſignificat quam *nunciam* vel miniſtram. Nempe qui faciendum aliquid denunciat, is eo ipſo prænunciat, quid futurum ſit. Sic *præcipere*

Q q vulgo

Qui fluvios, qui ſtagna colunt. cinguntur & ipſi
Auxilio Manes. nec te, Proſerpina, longe
Umbroſæ tenuere fores. Rex ille ſilentum
Lethæo vehitur curru, lucemque timentes
Inſolitam mirantur equi, trepidoque volatu
Spiſſas cæruleis tenebras e naribus efflant.
Ac, velut hoſtilis cum machina terruit urbem,
Undique concurrunt arcem defendere cives:
Haud ſecus omnigenis coëuntia Numina formis
Ad patrias venere domos. tum Jupiter infit:
„*O numquam peritura cohors. o debita ſemper*
Cælo progenies, nulliſque obnoxia fatis:
Cernitis ut noſtrum Tellus conjuret in orbem
Prole nova, dederitque alios interrita partus?
Ergo, quot dederit natos, tot funera matri
Reddamus. longo maneat per ſæcula luctu,
Tanto pro numero paribus damnata ſepulcris.„

Jam

45 ipſe *conj. Barth. Sed vid. no. ad 16.* 46 invehitur *malit Heinſ.* 49 proruit *vel* verberat *conj. Heinſ.* 51 rutinls *vulg.* 58 per ſingula *vulg.* ſæcula *etiam Boſ. marg. pro* luctu, ductu, curſu *al.*

vulgo & *prædicere* apud Nepotem 2, 7. 5 eſt jubere, dicere quid faciendum ſit.

46 Comparetur 35, 193 & quæ dixi ad v. 11.

48 *Cæruleas naras* utrum ob furvum equorum colorem, an ab exeunte vapore obſcuro, dixerit, & an pulchre dixerit? non pronunciaverim.

51 *Formas omnigenas* ſumſere DI in pugna contra gigantas. Sic *Rhoecum retorſit leonis unguibus horribilique mala* Bacchus apud Hor. Car. 2, 19. 23. Sed metui illam in animalia deorum mutationem in iſto bello tribuunt Pierides, & Bacchum in capro latuiſſe canunt, apud Ovid. Met. 5, 326. Ex illa re ortam eſſe putabant homines illam Aegyptiorum rationem ſub animalium imagine colendi Deos. Vid. qui magno numero laudantur a VV. DD. ad Ovid. l. c & ad Hygi. fab. 196. Add. Diod. Sic. 1, 86 & quæ ibi Weſſel.

53 *Debita cælo ſemper progenies,* quos ſemper habere cælum, ſemper frui honore divino, fatum eſt: quod ſtatim addit, *nullis obnoxia fatis*, primum ipſo numero plurali varietas & inconſtantia quædam in eo, qui obnoxius illis eſt indicatur, deinde hoc nomen *obnoxius* triſte quiddam atque adverſum notat cui quis *ob noxam* aliquam ſuam ſubjectus ſit.

56 *Interrita* ſuperiorum contra ſuos Titanas bellorum exitu, *alios novosque* partus dedit Terra.

58 *Manere luctu*, omiſſa præpoſitione, duriuſculum: ſed pluribus

Jam tuba nimborum ſonuit: jam ſigna ruendi
His æther, his terra dedit: confuſaque rurſus
Pro domino Natura timet. Diſcrimina rerum
Miſcet turba potens. nunc inſula deſerit æquor:
Nec ſcopuli latuere mari. quot litora reſtant
Nuda! quot antiquas mutarunt flumina ripas?
Hic rotat Aemonium præduris viribus Oeten:
Hic juga connixis manibus Pangæa coruſcat.
Hunc armat glacialis Athos: hoc Oſſa movente
Tollitur. hic Rhodopen Hebri cum fonte revellit,
Et ſocias truncavit aquas, ſummaque levatus
Rupe Giganteos humeros irrorat Enipeus.

61 bis æther, bis *vulg.* 66 Aemoniam *MS.* artubus *Cuj.*
67 cunnixus, convexis *MSS.* 69 ponte, ſponte, parte *MSS.*
70 volutus *ex MS. malit Heinſ. quod receptum in ed. 2.*

bus locis ſuſpectum mihi] hoc carmen.

61 *His*, Dîs, *æther* ſ. cælum, *his*, Gigantibus, *Terra* mater.

62 *Naturam* hic etiam facit perſonam, a Dîs & rebus ceteris diſtinctam, ut 35, 371. Noſtri *mundum* ſolentita appellare. Suſpenſis animis exſpectant privati, quis rerum potiturus ſit, ut grex boum tauris certantibus, ut in galiorum certamine cohors. Ceterum quæ jam ſequitur deſcriptio, ejusque ſimiles, ſuadent gigantomachias excogitatas ad reddendam rationem qualemcunque inſignium mutationum, quæ aliam aliamque faciem orbi, quem habitamus, intulere, quas ſub tali imagine & magnifice proponere, & juniorum phantaſiæ ac memoriæ imprimere ſe ſperabant. De Aetna & Phlegræis campis, res manifeſta.

64 Videtur duas res oppoſitas dicere. *Inſula deſerit æquor*, non amplius videtur inſula ſed continens, ſubducta aqua. Nunc ſcopuli, eminere adhuc viſi & minari cælo, *latuere mari* ſubmerſi.

67 *Pangæum* & *Athon* etiam conjunxit Claudianus 3,336. Hic præſertim locus ingenio illo dignus videtur. Quanti ſunt, qui *coruſcant*, h. e. celeri motu vibrant & iaculantur montes, qui cum monte fontes fluminum tollunt?

70 *Truncantur aquæ ſociæ* Hebri, ab aliis fluminibus invectæ capite ſuo.

71 Magnifica imago. Conati ſunt gigantes inter alia (Virg. Ge. 1, 282; *Oſſæ frondoſum involvere Olympum.* Ex Olympo delabitur *Enipeus*; hic una ſublatus ne quidem perfundit, ſed tantum *irrorat Giganteos humeros.* Alius eſt Theſſaliæ Enipeus Pharſalum præterfluens, de quo ad 26, 181.

Subſidit patulis tellus ſine culmine campis,
In natos diviſa ſuos. Horrendus ubique
It fragor, & pugnæ ſpatium diſcriminat aër.
Primus terrificum Mavors non ſegnis in agmen
Odryſios impellit equos, quibus ille Gelonos,
Sive Getas turbare ſolet. Splendentior igni
Aureus ardeſcit clipeus, galeamque nitentes
Arrexere jubæ. Tunc concitus enſe Pelorum
Tranſigit adverſo, femorum qua fine volutus
Duplex ſemiferi connectitur ilibus anguis,
Atque uno ternas animas interficit ictu.
Tum ſuperinſultans avidus languentia curru
Membra terit, multumque rotæ ſparſere cruoris.
Occurrit pro fratre Mimas, Lemnumque calentem
Cum

72 ſubſedit *al.* 74 fit fragor *malit Heinſ.* 80 qua parte *vulg.* fine *Ald. & MSS.* 82 trinas *al.* 83 dum -- avido *conj. Barth.* dum -- rapido *conj. Heinſ. pro* curru, curſu *MS.* 84 cruorem *vulg.* 85 accurrit *conj. Heinſ.* cadentem *MSS.*

72 Quam diu montes ita in manibus gigantum & in altum ſublati erant, iis locis planities & campi erant, ſine *culmine*, aut eminentia.

74 *Aër* eſt illud ſpatium inter utramque aciem medium, in quo deinde concurritur, μεταίχμιον.

76 *Odryſæ* in Thraciæ populis celebriores: ab his quidquid Thracium eſt, aut Septentrionale, aut Martium denique, quod Mars proprium Thraciæ gentis numen erat, *Odryſium* poëtæ vocare ſolent.

79 *Arrexere* galeam jubæ, h. e. altiorem, terribilioremque adeo fecerunt videri.

81 *Duplex anguis*, pro duobus pedibus, *connectitur ilibus ſemiferi* gigantis. *Ilia ſemifera* non videntur dici, ſed *ſemifer* eſt totus gigas, Pelorus, quod ipſum nomen monſtrum, & prodigium notat, & datum uni de promuntoriis tribus magnis Siciliæ. Cui hoc epitheton non minus quam Centauris, quorum pæne proprium eſt, convenit.

82 *Ternas animas* habere dicas Pelorum, unam humanam ſuperum corpus ad ilia usque animantem, duas ſerpentinas, quibus vivant duo qui pro pedibus ſunt, ſerpentes.

85 Hunc locum expreſſit Sido. Apollin. car. 15, 25. Sed ponamus aliquot verſus, *Hic rotat excuſſum vibrans in ſidere Pindum Enceladus, rapido fit miſſilis Oſſa Typhœo Porphyrion Pangæa rapit, Rhodopenque Adamaſtor Strymonio cum fonte levat, veniensque ſuperne Intorto calidum reſtinguit flumine fulmen. Hic Pallas Pallanta petit, cui Gorgone viſa Invenit ſolidum jam lancea tarda cadaver.*

Cum lare Vulcani ſpumantibus eruit undis:
Et prope torſiſſet, ſi non Mavortia cuſpis
Ante revelato cerebrum fudiſſet ab ore.
Ille viró toto moriens, ſerpentibus imis
Vivit adhuc ſtridore ferox, & parte rebelli
Victorem poſt fata petit. Tritonia virgo
Proſilit, oſtendens rutila cum Gorgone pectus,
Adſpectu contenta ſuo, non utitur haſta.
Nam ſatis eſt vidiſſe ſemel. primumque furentem
Longius in faciem ſaxi Pallanta reformat.
Ille, procul ſubitis fixus ſine vulnere nodis,
Ut ſe letifero ſenſit dureſcere viſu,
(Et ſteterat jam pæne lapis) „*Quo vertimur?* inquit,
Quæ ſerpit per membra ſilex? qui torpor inertem
Marmorea me peſte ligat?„ Vix pauca locutus,

88 relevato *Ald.* & *MS.* revelatum *MS.* relaturo *MS.* celebrato *MS.* *unde* terebrato *dedit Heinſ.* ſud. ab ore cerebrum *MS.* 91 ferit *MSS.* 92 obtendens *malit Heinſ.* 94 ferentem, frementem *MS.* ruentem Longius, *vel* frementem Anguibus *conj. Heinſ.* 95 *pro* faciem, formam *MSS.* 99 qui *vulg. Sed* quæ *MSS.* & *uſus Claudiani.*

cadaver. *Hic Lemnum pro fratre Mimas contra Aegida torquet, Impulſumque quatit jaculabilis inſula cælum* *Plurimus hic Briareus populoſo corpore pugnat, Cognatam portans aciem, cui vertice ab uno* *Cernas ramoſis palmas fruticare lacertis.*

86 Bene factum, quod domi non fuit Vulcanus, periculum alias ſubiturus illi non diſſimile, quum de cælo dejectus eſt, Ιλ. Α, 591: ubi illum Jupiter iratus *Ρίψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο*, *Correptum pede dejecit de limine Olympi.*

93 *Adſpectu* hic capiendum paſſive, ut loquuntur Grammatici. Non eſt mortiferum, ſi quem Minerva adſpexit, non illa faſcinat vel interficit quemquam ſuorum oculorum conjectu: ſed obrigeſcunt & in ſaxum mutantur, qui Meduſæ, Gorgonum unius, caput, quod pectori præfixum fert Pallas, adſpiciunt. Ergo debebat ex Grammaticorum decreto dicere poëta *Adſpectu contenta ſui.* Sed jam oſtendit Voſſius de conſtr. c. 57 etiam poſſeſſivo pronomine in tali re locum eſſe. Sed & illud *ſatis eſt vidiſſe ſemel* ita intelligendum, ſatis eſt ad perniciem gigantis, ſi ille viderit, adſpexerit ſemel Gorgona. Hæc ita ſe habere, tum reliqua Meduſæ fabula docet, tum collatus cum h. l. v. 106. 113.

94 *Furentem longius* interpretor, longius progreſſum in furore, non ſubſiſtentem intra primum conatum, Pallanta.

96 *Nodi* ſunt partes induratæ quæ & ipſæ moveri non poſſunt, & vicinarum motum impediunt.

Quod timuit, jam totus erat, ſævuſque Damaſtor,
Ad depellendos jaculum dum quæreret hoſtes,
Germani rigidum miſit pro rupe cadaver.
Hic vero interitum fratris miratus Echion,
Inſcius auctorem dum vult tentare nocendo,
Te, Dea, reſpexit, ſolam quam cernere nulli
Bis licuit. Meruit ſublata audacia pœnas,
Et didicit cum morte Deam. Sed turbidus ira
Palleneus, oculis adverſa ruentibus atrox,
Ingreditur, cæcaſque manus in Pallada tendit.
Hunc mucrone ferit Dea cominus: ac ſimul angues
Gorgoneo riguere gelu, corpuſque per unum
Pars moritur ferro, partes periere videndo.
Ecce autem medium ſpiris dilapſus in æquor
Porphyrion trepidam conatur rumpere Delon,
Scilicet ad ſuperos ut torqueat improbus axes.

Horruit

101 ſævitque *MS.* Jamaſtor, Jemaſtor *MS.* Adamaſtor *Sidon.* 104 miratur *vulg.* 106 ægida *malit Heinſ.* 108 iram *Vien.* Idam *Baſ. Junt. Plant. Claver. Barth.* Ida *Ald.* Idan, Idas *al.* 109 Palladiis *MSS.* Pallaneus *Vien. Baſ. Ald. Plant.* Palleneus *etiam Junt. & tuetur Claver.* 110 Aggreditur *malit Heinſ.* 115 vellere *vulg.* vincere *MS.* rumpere *Baſ. marg.* vertere *Cuj.*

103 **Felix phantaſia.** Quærit telum, Damaſtor, ſaxum ingens, rupem, montem adeo. Cum nihil offerretur commodius, ipſum ſaxum, in quod mutatus fuerat, Pallas, arripit.

107 *Sublata* audacia, pro *elata*, ut Ter. Hec. 3, 5. 56 *Sublati animi ſunt.*

108 *Diſcimus*, quidquid primum experimur. Simul & eodem actu expertus eſt, quid poſſet ſua cum Gorgone Minerva, & quid eſſet mori.

110 *Cæcæ manus*, quæ non a conſilio reguntur, ſed a furioſo jactantur impetu.

114 *Spiræ* ſunt volumina & curvaturæ draconum, quas formando moventur & locum mutant, *progredi* enim proprie dici non poſſunt. Sic 33, 185.

115 *Delon* inſulam eo facilius ſe putat a radicibus ſuis revulſurum, quia non pridem ex immobili & fluctuante Aſterie, quo commodius puerperium Latonæ exciperet, ſtabilita & fundo continens facta erat. Ejus rei conſcientia *trepida* eſt Delos, & clamat, *En iterum convulſa feror.* Vid. Callim. in Delum v. 51.

Horruit Aegæus: ſtagnantibus exſilit antris
Longævo cum patre Thetis, deſertaque manſit
Regia Neptuni, famulis veneranda profundis.
Exclamant placidæ Cynthi de vertice Nymphæ:
Nymphæ, quæ rudibus Phœbum docuere ſagittis
Errantes agitare feras, primumque gementi
Latonæ ſtruxere torum, cum lumina cæli
Parturiens geminis ornaret fœtibus orbem.
Implorat Pæana ſuum conterrita Delos,
Auxiliumque rogat; „*Si te gratiſſima fudit*
In noſtros Latona ſinus, ſuccurre precanti.
En iterum convulſa feror. „

RELIQUA DESIDERANTUR

120 placido cunctæ *vulg.* placidæ cuncto, placidæ cunctæ *MSS.* 125 *Hic verſus* Implorat &c. *abeſt a MSS.* 126 rogant *MSS.* rogans *conj. Heinſ.* 127 veſtro -- ſinu *MSS.* 128 *poſt* feror, ſuccurre roganti *add. ante Heinſ. Sed in MSS. deſideratur.*

117 *Aegeus*, Neptuni filius, pater Theſei, a quo *Aegeum* mare dictum eſt. Hic perturbatus, a motu Deli. *Thetidis pater* Nereus, Oceani filius. *Famuli profundi* Neptuni Tritones & æquorei DI alii. *Cynthus* Deli mons, cui *Nymphæ* tribuuntur, Dianæ comites venatricis, quod generale nomen etiam Oreadas, Dryadas, complectitur. Hæ antiquiores Apollinem etiam venari docuerant, quia Latonæ miniſtraverant parturienti Apollinem & Dianam, *Lumina* eosdem *cæli*, Solem ac Lunam &c.

125 De *Pæanis* appellatione vid. ad 2, 11.

126 *Gratiſſima* Latona, quæ adeo vult me frui munere, quod mihi tribuit, ob hoſpitium quod parturientem & a Junone exagitatam recepi. Hæc eſt materia Hymni Callimachei, quem modo laudavi.

XXXVIII

ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ

ΕΚ ΤΗΣ ΓΙΓΑΝΤΟΜΑΧΙΑΣ

Κύπρις δ' ὅτε βέλος φέρεν, ὀυθ' ὅπλον· ἀλλ' ἐκόμιζεν
Ἀγλαΐην· θεμένη γὰρ ἐπ' ὄμμασιν ἄγγελον αὐδὴν,
Πρῶτα μὲν ἀπλεκέας περόνῃ διεκρίνατο χαίτας,
Καὶ πλεκτὰς ἔσφιγξε πυκνῷ περιπλέγματι σειρὰς,
Στιλβεῖ δ' ὀφθαλμῶν ἐρατὰς ὑπεγράψατο κανθούς·
Λεπτὰς εὐανέμοιο ῥαφὰς χαλάσασα χιτῶνος,
Πορφυρέων ὀυ κρύπτεν ὑφ' εἵμασιν ἄνθεα μαζῶν,
Ὄμματος εἰς ἄγρην ὡπλισμένη· εἶχε γὰρ αὐτὴ
Πλέγμα κόρυν, δόρυ μαζὸν, ὀφρῦν βέλος, ἀσπίδα κάλλος,
Ὅπλα μέλη, θέλγητρον ἐν ἄλγεσιν· εἰ δέ τις αὐτῇ
Ὄμμα βάλῃ, δέδμητο.

1 Arſenius, Monembaſiæ Epiſcopus, in libro Ἀποφθέγματα φιλοσόφων, quem inſcripſit Leoni x, queinque ordine elementorum diſpoſuit, ſub ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΥ, ὄντε, quod ſententiam non mutat.

2 Pro αὐδὴν tenui mutatione legendum puto αὐγὴν, quod in verſione expreſſi per radium.

3 Arſen. διέκρινε, male.

4 Arſen. male σειρεύς.

HAEC

HAEC AD VERBUM SIC TRANSFERAS

Cypris neque telum ferebat, neque arma: ſed gerebat
Venuſtatem. Cum enim in oculis poſuiſſet exploratorem radium,
Primum confuſas acu diſcriminavit comas,
Et plexiles denſo circumflexu catenas conſtrinxit:
Ac ſplendore amabiles oculorum orbes fucavit:
Tum tenues fluentis ſuturas laxans tunicæ,
Purpurearum non celavit ſub veſte flores papillarum.
Oculi ad venatum *ſic* armata *fuit:* habuit enim ipſa
Cincinnos galeam, haſtam papillas, ſupercilium ſagittam, clipeum pulchritudinem:
Arma membra, delinimentum in doloribus. Si quis vero illi
Oculum adjiceret, jam ſuperatus erat.

6 *Λεντὰς* in Heinſianis nihili eſt. Melius Barthius dedit *λεπτάς*. Sed *Χιτῶνας* adhuc editum eſt, cum tamen adjectivum *εὐανέμοιο* Genitivum requirat. Ceterum verſus ſextum & ſeptimum licet pæne ad verbum ſic reddere: *Tum tenues laxans tunicas, ludibria ventis, Florem purpureæ male celat veſte papillæ.*

7 Delevi δ' poſt Πορφυρέων, quod ortum puto a mala interpunctione.

8 Arſen. ὡπλισμένω vitioſe.

CL. CLAUDIANI EPISTOLAE†

XXXIX

I. DEPRECATIO AD HADRIANUM PRAEFECTUM PRAETORIO*

Uſque adeone tuæ producitur impetus iræ?
Nullus tot finis lacrimis? Subitiſne favorem
Permutas odiis? Quo mens ignara nocendi,
Quo ſenſus abiere pii? Tantumne licebit
Invidiæ?

* Satisfactio pro ſe apud Stilichonem *MSS.* Epigramma ſatisfactionis apud Hadrianum prætorii præfectum *Baſ. Claver.* Epiſtolæ. Ad Hadrianum *al.* 2 erat *MS.* nullus tot *MS.* *Hinc* nulla *ne* tot *conj. Heinſ.* ſubitisque *al.* 3 permittas *MSS.* & *Cuj.*

† Quo magis ad pedeſtrem & humanum ſermonem, ac quotidianum, demiſſa eſſe debet epiſtola, eo magis ætatem illam & ingruentem barbariei tumorem frigidum, quem illi ſublimitatem, pulchritudinem certe, interpretabantur, reſipit. Igitur cum hic examinare ſingula ac reprehendere nec vacet nec libeat, illud certe admonendi videntur lectorum quidam, ne ex harum, quæ ſequuntur ſcriptionum ſtilo totum Claudianum judicent; alii, ne, quia ſuperiora egregie plerumque & optimorum exemplo dicta ſunt, ideo hæc etiam ſimpliciter probari debere putent: ſed utrique meminerint, proſam prius corruptam eſſe orationem, quam poëſin, tenue illud & nuditate ſua amabile genus, quam ornatum & magnificum. Quod diximus, in hac epiſtola non ita animadvertitur propter affectus vehementiam, & in altera propter ſplendorem perſonæ, in tertia eo magis offendit.

* Hadrianum magiſtrum officiorum ſub Honorio intra A. D. 397 & 405 habet Proſopographia Cod. Theod. Gothofrediana: Præfectum autem Prætorio intra A. 412 & 416. Si duo ſint homines, ad priorem potius referenda videtur epiſtola, quæ a juvene Claudiano ſcripta intelligitur ex v. 6. Videtur autem carminibus læſiſſe patronum ante ſuum, & forte habemus illud, quod quis vocet corpus delicti, Epigr. 30 ſ. n. 80. quod jam ſuſpicatus eſt Barthius. Cf. dicenda ad v. 51.

3 *Mens ignara nocendi* pulchra *innocentiæ* deſcriptio, non ſtuporis.

Invidiæ? tantum ſtrepitus valuere maligni?
Me dolor incautum, me lubrica duxerit ætas,
Me tumor impulerit, me devius egerit ardor:
Te tamen haud decuit paribus concurrere telis.
Humanæ Superos numquam tetigere querelæ,
Nec vaga ſecurum penetrant convicia cælum.
Exceſſit jam pœna modum. Concede jacenti.
En adſum. veniam confeſſus crimina poſco.
Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles.
Ultrices Furias matris placavit Oreſtes.
Reddidit Alcides Priamo, quas ceperat, arces.
Pellæum juvenem Regum flexere ruinæ;

Darium

6 decor *MS.* incautum *MS. Cuj.* me calor incautum *conj. Heinſ.* 7 timor *vulg. pro* ardor, error *MS.* 11 *pro* modum, ſcelus *Cuj.* 13 adſum en *MS. Hinc* Adſum en, en ven. *conj. Heinſ.* 14 victrices *al. Sed* ultrices *jam Ald. Baſ. Clav.*

5 *Strepitus* duo credo ſignificat, tumultuoſos plurium ſermones, & confuſos, quibus inimici deferebant poëtam apud Hadrianum.

6 Hæc deſcriptio criminis poëtæ, collata cum v. 53, ubi ſe tanquam vatem peccaſſe innuit, firmat opinionem modo propoſitam, de cauſa irarum Hadriani. Conjunctivi illi *duxerit*, *impulerit*, *egerit* ſunt non plane quidem confitentis, nec tamen valde repugnantis. aut negare crimen ſuſtinentis

7 *Tumorem* & *tumidum* de ira noſter uſurpat etiam alias, V. G. 5, 117.

8 Similis deprecatio illi Thaïdis expoſtulationi apud Ter. Eun. 5, 2. 26 *Nam ſi ego digna hac contumelia ſum maxime; at tu indignus, qui faceres, tamen.*

9 *Querelæ* hic non ſunt lamentantium & de ſorte ſua querentium, ſed accuſantium, ut cum in laude conjugum ponitur in ſepulcrali monimento, *ſine querela* eos vixiſſe.

10 *Vaga convicia*, quæ nihil certi & definiti criminis habent: *ſecurum cælum* quod neque curat neque metuit injurias.

13 Cadaver Hectoris intelligit, quod raptare circa mœnia Trojæ rogatus a Priamo deſiit Achilles. Hos *Manes* vocat etiam Plinius 11, 37 ſ. 54 *Pleræque alitum e Manibus hominum oculos potiſſimum appetunt.* Sic 44, 72.

14 *Furias* interfectæ a ſe, patris Agamemnonis ulciſcendi cauſa, *matris* Clytæmneſtræ, placavit tandem Oreſtes: quod eſt argumentum fabulæ Aeſchyli, Eumenidum, quo nomine placatas ſibi Erinnyas ille appellavit.

15 Priamum ipſum ſorori Heſionæ condonatum alii narrant. Vid. Apollod. Bibl. 2, 4. 9 p. 113 & 2, 6. 4 p. 127.

16 *Pellæus juvenis* Alexander M. eſt. V. ad 8, 374.

Darium famulis manibus doluiſſe peremtum
Fertur, & ingenti ſolatus fata ſepulcro.
Tradita captivo ſpatioſior India Poro.
Conditor hic patriæ. Sic hoſtibus ille pepercit.
Hunc virtus tua digna ſequi. quemcumque Deorum
Læſimus, inſultet jugulo, paſcatque furorem.
Gratia diffluxit: ſequitur feralis egeſtas:
Deſolata domus: caris ſpoliamur amicis.
Hunc tormenta necant: hic undique truditur exſul.
Quid ſupereſt damnis? quæ ſæva pericula reſtant?
Emollit rabiem prædæ mortisque facultas,
Prætereunt ſubjecta feræ, torvique leones,

Quæ

17 et Dar. *MSS.* famuli *Claver. Raph. Janſ. Barth. Adjectivam rationem exemplir firmat Heinſ.* 19 traditaque eſt capto *Cuj.* 23 defluxit *ai. Sed perpetua fere rũs* de *ac* di *permutatio.* 25 pellitur *Cuj.* 26 damni *Cuj.* piacula *ſuſp. Heinſ.* 27 & 28 *transpoſitis hemiſtichiis*, Præt. ſubj. f. mortisque fac. Em. r. pr. *Claver. & Heinſ. ex uno MS. cujus librarius ſic feſtinationem ſuam non infeliciter videtur carrexiſſe.*

17 Beſſum Darii domini ſui interfectorem crudeliter necari juſſit Alexander apud Curt. 7, 5. 40; ipſum Darium regio apparatu ſepeliri Iuſti. 11 extr.

19 *Porum* poſt victoriam Alexander *donavit ampliore regno, quam tenuerat* Curt. 8, 14. 45.

20 *Conditor* fuit Alexander *patriæ* communis Hadriani & Claudiani. Hinc v. 55 *commune ſolum Pharos*: & *Pharii* nomine deſignarat Hadrianum n. 80.

21 In Deos ſe nihil peccaſſe confirmat: niſi tamen Auguſtam familiam intelligit, in quam proprie committi majeſtatis crimen, in qua lædi majeſtas, potuit.

23 Miſeriam deſcribit, in quam Hadriani ipſum iræ conjecerint. Videtur autem crimen majeſtatis conflatum Claudiano, arrepti familiares, & amici. Potuiſſe ea tempeſtate crimen hoc naſci ex offenſione Magiſtri, Officiorum, luculenter apparet ex conſtitutione Arcadii & Honorii, quæ habetur l. 3 C. Theod. ad L. Corn. de Sicariis & doctiſſimo ad eam Commentario Jac. Gothofredi, præſertim §. 7 p. 104 ad verba legis, *Quisquis - ſceleſtam inierit factionem - de ſatellitibus, conſciis, ac miniſtris.* Dixit delator, Acerbe ludit poëta in Magiſtrum Officiorum inter ſodales: ergo conjurauit cum illis. Sunt hic, niſi fallor, omnia hujus rei Phænomena. Ceterum *Diffluxit* placet, ut exprimatur illa diſperſio & diſſipatio amicorum, de qua Hor. Car. 1, 35. 26 *Diffugiunt cadis cum fæce ſiccatis amici.* Nempe *Gratiæ* nomine intelligitur multitudo hominum bene cupientium, quam qui habent dicuntur *gratioſi.*

27 Vult in pudorem dare Hadrianum, ne crudelior eſſe velit beſtiis. *Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni.* Credo hoc Naſoni

Triſt.

Quæ ſtraviſſe calent, eadem proſtrata relinquunt.
Nec niſi bellantis gaudet cervice juvenci
Nobiliore fames. Secuit naſcentia fata
Livor, & ingeſto turbavit gaudia luctu.
Jam jam ſuppliciis feſſos, humileſque, ſerenus
Reſpice. Quid tanta dignaris mole clientem?
In brevibus numquam ſeſe probat Aeolus antris:
Nec capit anguſtus Boreæ certamina collis.
Alpes ille quatit, Rhodopeia culmina laſſat.
Incubuit numquam cæleſtis flamma ſalictis,
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis.
Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.
  Hoc pro ſupplicibus ramis, pro fronde Minervæ,
Hoc carmen pro ture damus. Miſerere tuorum.
Me, precor, heu, me redde mihi! gravibuſque medere
Vulneribus,

29 valent *vulg.* calent *eſt ex MSS.* 30 gaudent c. juvenci Nobiliore fame *vulg. Sed pulchre locum ex MSS. reſtit. Heinſ.* 31 vota *vulg.* 32 inlato *Cuj.* 34 morte *vulg. Sed* mole *jam Ald. & MSS.* 35 undis *vulg.* 37 quaſſat *al.*

Triſt. 3, 5. 33, niſi leo eſuriat. Ceterum ita ordinari poſſunt pro noſtræ linguæ ingenio explicarique verba: Facultas prædæ poſſidendæ, & inferendæ mortis, emollit rabiem ſ. rabioſam cupiditatem utriusque rei. Additur *ἐπεξήγησις*, *Prætereunt* &c.

31 *Naſcentia fata*, incipientem felicitatem a gratia Hadriani, antea patroni, ſignificant.

34 *Molem* dicit omnem vim & auctoritatem viri in magna dignitate, qualis eſt illa Magiſtri Officiorum, conſtituti. In *clientis* nomine & humilitatis quædam notio ineſt, & neceſſitudinis ejus, quæ potius ſervare illum ac liberare malo ſuadeat, quam opprimere.

41 *Supplices rami*, *ἱκετηρία*, baculus vel ſurculus, foliis mollibus, vel lana adeo, obvolutus: talis eſt *frons Minervæ*, olivæ ramus, quem ſupplices præferunt & oſtendunt, quo indicant, ſe lædendi omnem animum abjeciſſe. Hinc *pacales oleæ* Ovid. Met. 6, 101. Et ex Ponto 1, 1. 31 *Adjuvat in bello pacatæ ramus olivæ.*

42 *Pro ture*, quo etiam parvo placantur ipſi Dii. Pronomine *Tuorum* apertius hoc indicat, quod clientis nomine illum innuiſſe, modo monebam. Qui ſe dedit victori, jam victoris eſt: hujus deinde intereſt ſervare dediticium.

43 *Me redde mihi* h. e. conditionem meam priorem, ut quaſi poſtliminio ſim, qui ante iras tuas fueram. Formula optimis uſurpata, etiam Tullio.

Vulneribus, vitamque jube famamque reverti.
Quæ per te cecidit, per te fortuna reſurgat.
Sanus Achillea remeavit Telephus haſta;
Cujus pertulerat vires, & ſenſit in uno
Letalem placidamque manum. medicina per hoſtem
Contigit, & pepulit, quos fecerat ipſe, dolores.
Quod ſi nec precibus, fletu nec frangeris ullo,
Eripe calcatis non proſpera cingula Muſis.
Eripe militiam. Comitem me pelle ſodalis.

Scilicet

46 Achilleis — herbis *vulg.* 47 in imo *Baſ. marg.*
50 flecteris *vulg.* *Sed* frangeris *etiam* *Vien.*
52 ſodalis *Raph.*

44 *Vitam* dicit, ut optimi quique, Terentius, Cicero, de vita tranquilla & honeſta: quod *famam* reverti jubere vult Hadrianum, jam decretum interpoſitum fuiſſe videtur, a quo infamia quadam pulſaretur poëta: infamia proprie dicta notatum non fuiſſe, apparet ex v. 51. Videtur in ſodalis vel amici (v. 24) pœna ipſe *ambuſtus*, ut loquuntur de talis periculi ſocietate. Vid. v. 52.

46 *Telephus* ille Myſiæ rex ſupplex Achilli, a quo vulneratus fuerat, vel *haſta* admora, ejusve rubigine (unde derivant curationes quas vocant ſympatheticas) vel *herbarum* ope, quarum vim a Chirone didicerat, curatus eſt. Vid. Paſſerat. & Brouckh. ad Prop. 2, 1. 65, Salvagn. in Ovid. Ibin 257, Munck. & Staver. ad Hygi. fab. 101. Itaque ex Mythologis decidi non poteſt, *Achillea* ne *haſta*, an *Achilleis herbis* hic præferendum ſit. Utitur noſter iisdem placatæ magnorum heroum iræ exemplis, quibus Horatius in Canidia ſua Epod. 17: quæ forte res induxit Claverium, ut putaret, hic etiam illudi tantum Hadriano, a poëta, qui jam tum Stilichonis clipeo tutus fuerit. Quod ſi ita eſt, quod tamen non ſimpliciter auſim adfirmare, profunda ſane hæc Ironia fuerit.

51 *Calcatas Muſas* intelligit poëta, niſi fallor, amicum, de quo v. 24, propter verſus punitum vel ſuos vel Claudiani. Huic noſtro venia data quamcunque ob cauſam: ſed malle ſe dicit, vel ſimulat certe, cum amico exulare. Negat *cingula* h. e. munera & honores militiæ, (vid. ad 20, 321) ſive ea aulica ſit, ſive armata, Muſis, earumque cultoribus eſſe *proſpera*. Hac ipſa vero petitione illud forte agit, ut revocationem amici extorqueat, ut Senatus Romanus cum in carcerem comitatur Catonem, invidiam fecit Cæſari apud Gell. 4, 10. Huc pertinet illa Ironia v. 53 & 54 ſimilis illi Virgilianæ Junonis ad Venerem Aen. 4, 93 *Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis Tuque puerque tuus: magnum & memorabile nomen* &c. Et ſunt ſane hæc ultima carminis ita comparata, ut non humilem deprecationem, ſed expoſtulationem viri fortis, ſapiant.

Sſilicet inſignes de paupere vate triumphos!
Scilicet egregiis ornabere victor opimis!
Irruat in miſeros cognata potentia cives!
Audiat hoc commune ſolum, longeque carinis
Nota Pharos, flentemque attollens gurgite vultum
Noſtra gemat Nilus numeroſis funera ripis.

53 inſigni --- triumpho *vulg.* inſignes triumphos *etiam Vien.*
54 ſcil. & ſpoliis *MS.* 55 ſæuiat *vulg.*
56 aud. hoc *vulg.* longisque *MSS.*

45 Hinc colligas cognatum fuiſſe Hadriano Claudianum, & hinc forte ei plus indultum, hinc etiam natam vel fiduciam vel audaciam liberius cum viro agendi. Alexandrinum quidem utrumque fuiſſe, jam indicatum ad v. 20.

58 *Numeroſæ Nili ripæ* propter *ſeptemplicis oſtia Nili.*

XL

II *AD SERENAM* *

Orphea cum primæ ſociarent lumina tedæ,
Ruraque compleret Thracia feſtus Hymen:
Certavere feræ, picturatæque volucres,
Dona ſuo vati quæ potiora darent.
Quippe antri memores, cautes ubi ſæpe ſonoræ
Præbuerant dulci mira theatra lyræ,
Caucaſeo cryſtalla ferunt de vertice lynces,
Gryphes Hyperborei pondera fulva ſoli.
Furatæ Veneris prato per inane columbæ

Florea

* de nuptiis *add. Cuj.* 1 primum -- numina *vulg.* primæ -- lumina *Claver.* primæ *MSS.* primo -- numine, primum -- munere *al.* 2 tertia *Baſ. marg.* 5 *pro* cautes, cantus *vulg.* ſonore, canore *al.* cantus -- ſonore Præbuerat dulcis *Clav.* dulces *conj. Barth.* 9 furato *MS.* purgato *MS.* Pæſtano *conj. Heinſ.*

* Serenæ Stilichonis uxori, de qua n. 29, gratias agit, quod proxenetria ſibi & conciliatrix locupletis, ut videtur, ſponſæ eſſe voluerit: cumque ob mare interjectum præſens auſpicium facere nuptiis non poſſit, rogat, ut abſens faveat.

1 *Prima tæda*, (pro qua exemplo optimorum dicit *Lumina tædæ*) eſt nuptialis. Eſt enim altera quoque funebris. Cornelia Lepidi apud Prop. 4, 11. 46 *Viximus inſignes inter utramque facem*, a nuptiis ad mortem. Illa primæ tædæ lumina ſociarunt Orphea Eurydicæ.

2 *Thraciam*, Orphei patriam & theatrum, complevit Hymen, i. apparatus, ſolemnitas, clamor nuptialis.

3 Habemus hic munuſcula nuptialia a clientibus collata, ut Ter. Phor. 1, 1. 5 *Herilem filium ejus duxiſſe audio uxorem, ei credo munus hoc conraditur.* *Vectigal connubiale*, lepide vocat noſter v. 18.

7 A Caucaſi frigoribus Lyncas venire facit credo ob eam rationem, qua Plinii verbis ponemus 8, 38 *Lyncum humor* (urina) *glaciatur -- in gemmas -- lyncurium vocatas.* Tale quid cum illius memoriæ obverſaretur, admiſcuiſſe videtur illud de cryſtallo, de quo idem Plin. 37, 2, cum indicaſſet cryſtallum fieri *gelu vehementiore concreto*, addit, *Non alibi certe reperitur, quam ubi maxime hibernæ nives rigent: glaciemque eſſe certum eſt, unde & nomen Græci dedere.*

8 De Gryphibus aliquid dictum ad 28, 30. *Aurum -- a gryphibus apud Scythas* (hi ſunt hyperborei) *erutum* Plin. 33, 4.

9 *Per inane*, per aëra volantes.

Florea connexis ſerta tulere roſis:
Fractaque nobilium ramis electra ſororum
Cycnus oloriferi vexit ab amne Padi.
Et Nilo Pygmæa grues poſt bella remenſo
Ore legunt rubri germina cara maris.
Venit & extremo Phœnix longævus ab Euro,
Apportans unco cinnama rara pede.
Nulla avium pecudumque fuit, quæ ferre negaret
Vectigal meritæ connubiale lyræ.
Tunc opibus, totoque Heliconis ſedula regno
Ornabat propriam Calliopea nurum.
Ipſam præterea dominam ſtellantis Olympi
Ad nati thalamos auſa rogare parens.
Nec ſprevit Regina Deum, vel matris honore,
Vel juſto vatis ducta favore pii.
Qui ſibi carminibus toties luſtraverat aras,
Junonis blanda numina voce canens,

Præliaque

11 mobilium *MS.* lapſaque flebilium, *vel* fletaque nob. *conj. Heinſ.* 14 cana *MSS. Parm. Vien.* 16 mira *MSS. etiam Cuj.* rara *etiam aliorum exemplis firmat Heinſ.* 24 victa *MS.* amore *MS.*

11 *Electra*, *ſorores* Phaëthontis, *Cycni*, *Padus* ejusdem fabulæ partes, quam ſi opus ſit facile eſt repetere ex Ovid. Met. 2, 340. Vel, ne longe abeat, hic ad 28, 165.

13 *Pygmæorum* cum *Gruibus* pugna jam Homerica fabula eſt, Ἰλ. Γ, 6 ubi V. Scholiaſtes Pygmæos collocat *εἰς τὰ ἀνωτάτω μέρη τῆς Ἀιγυπτιακῆς γῆς, πλησίον τοῦ Ὠκεανοῦ*, in Aegypto ſuperiore, ad mare rubrum, quod margaritas gignit.

15 De Phœnice ad carmen 44 dicemus, ſi quid opus ſit. Vid. tamen 22, 480.

20 *Calliopea*, *καλλιοπεία*, forma Græcis & Latinis non minus uſitata, quam altera *Calliope*, *καλλιόπη*. Hanc vero matrem Orpheo videntur aſſignaſſe, propter prærogativam, quam huic Muſæ tribuit Heſiodus Theog. 79 *προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων*, deinde Regibus illam dat comitem.

25 Eſt hodie inter Orphicos Hymnus Junonis, ubi ſub illius nomine vis aëris & commoda, quæ inde naſcuntur animantibus, ſuaviſſime deſcribuntur.

Præliaque altiſoni referens Phlegræa mariti,
Titanum fractas Enceladique minas.
Ilicet adventu noctem dignata jugalem
Addidit augendis munera ſacra toris:
Munera mortales non admittentia cultus:
Munera, quæ ſolos fas habuiſſe Deos.
Sed quod Threicio Juno placabilis Orphei,
Hoc poteris votis eſſe, Serena, meis.
Illius exſpectent famulantia ſidera nutum:
Sub pedibus regitur terra fretumque tuis.
Non ego, cum peterem ſolenni more procorum,
Promiſi gregibus paſcua plena meis:

Nec

28 fractis -- minis *malit Heinſ.* 29 montem *MS.* 32 ſolas -- deas *conj. Heinſ.* 33 Orpheo *al. per Synizeſin.* 35 explent illius *it.* illius explent *MSS.* illius expectent *ex MSS. Heinſ.* illius expellent *MS.* expectant *vulg.* 36 tegitur *vulg. Sed* regitur *jam Ald.* teritur *MSS.* 38 læta *MS.* tuis *MS.* ſuis *conj. Heinſ.*

27 De *Phlegræis* gigantum præliis vid. ad 37, 20. *Enceladum* eſſe unum Titanum, notum eſt. Illa copula eam vim habet, ac ſi dixiſſet, *& præſertim Enceladi.* Inter Orphei argumenta fuiſſe etiam Gigantomachian, indicatur Argon. 12 & 427 ubi ipſe dicit ſe ceciniſſe Γιγάντων ἔργ' ἀΐδηλα.

29 *Ilicet* ultimum actum vel gradum negotii alicujus ſignificat, poſt quem *ire licet.* Sic modo interpretor Plaut. Epid. 5,2.19 *Ilicet: vadimonium ultro mihi hic facit.* Idem fere ſignificat, ac ſi diceres, Quid pluribus opus eſt? quid quæris? Gallus diceret, *Enfin.*

30 *Augere*, ut *mactare* verbum in honore etiam Deorum uſurpatum, hic velut deſcendit. Dum munere honorat torum, ſimul auget felicitatem.

31 *Munera*, quibus nemo mortalis colere alium poteſt.

35 Splendida adulatio, ut illa Virgiliana *diviſum imperium cum Jove Cæſar habet:* vel Hor. Od. 3, 5. 1 *Cælo tonantem credidimus Jovem Regnare, præſens divus habebitur Auguſtus.*

36 Debent hæc eo ſcripta tempore eſſe, quo in faſtigio fuit Serenæ & Stilichonis conjugis ejus potentia, paullo poſt Theodoſii mortem, cum tutor vel utriusque, vel Occidentis certe ſive Honoriani imperii ille eſſet: cum jam gener Serenæ eſſet Honorius, ut apparet ex v. 50. Non ſolo autem conjugii nomine ut *Reginæ* adulatur Serenæ, ſed propter cognationem atque adoptionem Theodoſii patrui ſui. Ceterum terrarum & maris quoddam imperium aſſignat Serenæ antiqua in Imperatoriam familiam adulatione. Cf. v. 59.

Nec quod mille mihi lateant ſub palmite colles,
Fluctuet & glauca pinguis oliva coma:
Nec quod noſtra Ceres numeroſa falce laboret,
Auratæque ferant culmina celſa trabes.
Suffecit mandaſſe Deam. tua littera nobis
Et pecus, & ſegetes, & domus ampla, fuit.
Inflexit ſoceros, & majeſtate petendi
Texit pauperiem nominis umbra tui.
Quid non perficeret ſcribentis voce Serenæ
Vel genius regni, vel pietatis amor?
Atque utinam ſub luce tui contingeret oris,
Conjugis & caſtris, & ſolio generi,
Optatum celebrare diem! me jungeret auſpex

 Purpura;

44 et penus *MSS.* nemus *MS.* 46 numinis *MS.* 47 perfecit *MS.* ſufficit *MSS.* perficiet, proficeret *MSS.* *Sed* quid non perfert *MS.* *unde* præſtet *conj. Heinſ.* 48 pietas & amor *conj. Barth.* 50 in caſtris *vulg.* ſenio *Claver.*

39 Hic uſus particulæ *quod* poſt promiſi, in hujus ætatis ſcriptoribus notandus, non imitandus.

40 *Glauca* pene perpetuum oleæ & olivæ epitheton apud noſtrum, ut 20, 271. 22, 278, forte nec ſine reſpectu ad ipſam Minervam glaucam.

41 Dat igitur ipſi *Cereri falcem*, qua fruges quas produxit reſecet: quod geſtamen illius in antiquo monimento nondum obſervavi. *Laboret* hic non morbum aut fatigationem, ſed opus ſimpliciter ſignificat.

42 Aurum in externa etiam domuum facie tum in utraque Roma, veteri & nova in uſu fuiſſe conſtat. Inde *aurea Roma* V. G. 12, 19.

43 Commendavit igitur Serena literis Claudianum puellæ & ſoceris.

48 Duas impetrandi rationes tribuit literis Serenæ: unam, quod ipſa, animus ipſius *regni genius* videri poteſt, ut quidquid vult ipſa, illud Rex ſ. Imperator velle videatur: alteram, quod ipſa *Pietas Auguſta* poteſt videri, cui quis non tribuat quidquid eſt in poteſtate. Eſſe in titulis Imperatorum hujus ævi Pietatem, ut dicatur quemadmodum *Tranquillitas*, *Clementia*, *Manſuetudo*, ſic etiam *Pietas tua*, notum eſt. Vid. Spanh. de Pr. & uſu num. 15, 6. 1. *Pietas* principum eſt amor illorum in cives, qui hunc amorem viciſſim amant.

50 *Conjux* Serenæ Stilicho Præfectus Prætorii erat, h. e. *caſtrorum* militum Prætorianorum: *Gener* Serenæ Honorius.

51 Præſentiam familiæ Auguſtæ ſuis in nuptiis ſperare audet, quæ *auſpicum* munere fungeretur, h. e. ſacram & religioſam & boni ominis auctoritatem illis accommodaret,

Purpura; me ſancto cingeret aula choro!
Et, mihi quam ſcriptis deſponderat ante, puellam
Conjugiis eadem Pronuba dextra daret!
Nunc medium quoniam votis majoribus æquor
Invidet, & Libycæ diſſidet ora plagæ:
Saltem abſens, Regina, fave, reditusque ſecundos
Annue ſidereo læta ſupercilio.
Terrarum tu pande vias: tu mitibus Euris
Aequora pacari proſperiora jube.
Ut tibi Pierides, doctumque fluens Aganippe,
Debita ſervato vota cliente canant.

52 me ſocero *MS.* *hinc* ſacro *vel* ſocio *conj. Heinſ.* toro *vulg.* 54 conjugis ejusdem *vulg. Sed* conjugiis eadem *jam Vien.* conjugis hæc eadem *MSS.* conjugio ejusdem *Scal.* conjugis Auguſtæ *conj. Barth.* 56 Libyæ *MSS.* *ut* Africa terra.

ret, auſpicatasque adeo redderet nuptias. Vid. Cic. de Div. 1 c. 16 *Nihil fere quondam majoris rei, niſi auſpicato, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auſpices declarant, qui re omiſſa nomen tantum tenent. Dotem* præſertim *inter auſpices conſignatam*, docent illæ inauſpicatiſſimæ & obſceni ominis inter Silium & Meſſalinam nuptiæ apud Sueto. Claud. 26 & 29: unde obiter apparet quam antiquus ſit ille ritus hodieque vigens in Gallia, cum Reges adhibentur ſignandis nuptiarum & dotalibus tabulis.

54 *Pronubæ* nomen eo magis hic decet, eo minus defugiendum Serenæ, quod inter ſolemnes Junonis appellationes eſt, vt Aen. 4. 166, *cui vincla jugalia curæ* ibid v. 59. *Dextra* ipſius Junonis epitheton faventis, & adſpirantis felicitatem.

58 Hic plane Serenam Jovi Homerico comparat, vel certe Horatiano Car. 3, 1. 8 *Cuncta ſupercilio moventi.*

59 Fecerat Serenam Terræ mariſque dominam v. 36. Quod *Eurus* hic memoratur & v. 56 *Libyca plaga*, intelligimus, Alexandreæ celebratas eſſe nuptias.

62 *Vota*, carmina votiva, voto promiſſa.

XLI

XLI

III AD OLYBRIUM*

Quid rear, affatus quod non mihi dirigis ullos,
Nec redit alterno pollice ducta ſalus?
Scribendine labor? ſed quæ tam prona facultas,
Carmina ſeu fundis, ſeu Cicerona tonas?
Cedere divitiis animi fortuna fatetur,
Et tantas oris copia vincit opes.
An rarus, qui ſcripta ferat? quin tempore nullo
Ceſſant Flaminiæ pulverulenta viæ.
Cum fluat ingenium, cum ſit qui dicta reportet;
Quæ, niſi contemnor, cauſſa relicta tibi?
Deſpicis ergo tuum, ſi fas eſt credere, vatem;
Perfidus & ſpatio debilitatur amor?
Excidimuſne tibi? lucem jam condet Hydaſpes,
Et Tarteſſiaco, Sol, oriere vado:
Candeſcet Geticis Meroë converſa pruinis,
Claraque ſe vetito proluet Urſa mari;

 Et

3 ſcribendi labor eſt *MS.* ſcr. an labor eſt *conj. Heinſ.* ſed cui *conj. Heinſ.* 4 Cicerone *vulg.* Cicerona *Heinſ. ex MS.* 13 condat - oriare -- candeſcat *vulg.* 15 caneſcet *malit Heinſ.* conſperſa *Raph. contra libros teſte Heinſ.*

* Olybrium Conſulem intelligi, quem celebrat carmine 1, ſuadet v. 11, & ſocietas cum Probino car. 42.

1 *Affatus dirigere* h. e. epiſtolam mittere, & *pollice ducere* ſalutem, relinquenda huic ævo. De ſtilo hujus epiſtolæ & ſimilium ſcriptionum vid. ad 39 pr.

4 *Cicerona* Græcus accuſativus licenter adhibitus in nomine Latino. Aliud eſt *Platona* & ſimilia.

5 Etiam hoc Græcanicum eſt, ſed aureo poëta dignum, *cedere fatetur*, omiſſo *ſe*.

8 *Via Flaminia* nunquam non pulverulenta eſt a viatorum & jumentorum motu. Alter ergo amicorum in aula tum fuiſſe videtur Mediolani vel Ravennæ, alter Romæ. Via Flaminia ab urbe Ariminum usque pertinebat.

13 Pervertetur rerum natura, ubi nobis oritur ſol, ibi occidet in poſterum, ubi ſeptentrio nunc eſt, erit meridies. De *Meroë* vid. 1, 135 *Solſtitio Meroën, bruma tentabimus Iſtrum.*

Et ſi jam noſtros faſtidit Olybrius ignes,
Conſtat Oreſteam nil valuiſſe fidem.
Quin, age, rumpe moras, remoraturaſque, ſodalem
Abſens eloquio fertiliore doce.
Crebraque fæcundos feſtinet littera curſus,
Labris atque animis inſinuanda meis.
Dignatus tenui Cæſar ſcripſiſſe Maroni:
Et tibi dedecori ſcribere? Muſa, vale.

19 remoraturusque *Claver.* & *Heinſ. ex MSS.* moraturusque *MS.* ſolaturusque, memoraturusque, miraturusque *MSS.* recreaturusque *conj. Barth.* reſolurumque ſodalem — doce *vel* exoratusque ſalutem *conj. Heinſ.* 21 facundos curſus & facundo curſu *MSS.* 22 digne tuis animis *vulg.* libris atque *MSS. plur. etiam Cuj. unde* labris *fecit Heinſ. Sed etiam* auribus atque *conj. Heinſ.* ſignatas animis inſinuando manus *conj. Barth.* 24 *Sic omnes editi. ſcribere om. MSS.* Nec tibi dec. Muſa futura *MSS. etiam Cuj.* Et tibi ded. non mea, Muſa. Vale *Heinſ. Sed etiam* Et t. d, nil m. M. *vel* Nec t. d. ſit *conj. Heinſ.*

18 *Conſtat*, & probabitur hoc exemplo, fidem amicitiæ fallere poſſe etiam eam, quæ ſit ſimilis illi, quam Oreſtes & Pylades ſibi invicem præſtitere, in primis in affectanda morte vicaria, cum Dianæ Tauricæ eſſet ab Iphigenia alteruter mactandus. Vid. Euripidis Tragœdia Iphigenia in Tauris.

19 *Remoraturas* audacius fictum forte verbum, ſed bona tamen moneta ſignatum, ut *curatura*, *armatura* e. i. g. a. Voluit, credo, ludere poëta, & indicare ſic omne genus vel impedimenti vel obtentus. Cui laſcivire luberet, ille poſſet dicere, Aufer mihi *moras* omnes & *remoras* & *remoraturas*. Certe in omni varietate lectionis nihil eſt, quod magis placeat. De diſtinctione nihil dico: eam liberam eſſe oportere, nemo negat.

22 *Labris inſinuare* literas eſt oſculari, quod ſolemus in carorum hominum epiſtolis vel facere, vel factum a nobis nunciare. Cic. Fam 3, 11 pr. *Complexus ſum cogitatione te abſentem, epiſtolam vero oſculatus etiam mihi ipſe gratulatus ſum.* De amantium nugis non opus eſt dicere.

23 Donatus in vita Virgilii, *Auguſtus cum — & ſupplicibus & minacibus per jocum literis efflagitaret, ut ſibi de Aeneide, ut ipſius verba ſunt, vel prima carminis* Hypographa, *vel quodlibet colon mitteret* &c. *Hypographa* vox ignorabilis. Burmannus p. VI no. 32 ſuſpicatur primam ὑπογραφήν. Quid ſi *Hypographa* ſunt primum in chartas vel ceras, aut poëtæ manu aut librarii, conjecta, quos *liturarios* appellat Auſonius.

28 Magnam vim ac δριμύτητα habet hic verſus, ſi ita, ut fecimus, diſtinguatur, *Et* (cum indignatione, ut εἶτα) *tibi*, Olybri, qui non minus infra Auguſti faſtigium reſides, quam ego ſupra Virgilii, qualis tum erat, fortunas elatus ſum, *dedecori* putas ad me *ſcribere?* Si ita eſt, ſi ita contemnitur poëta, *Muſa* mea, *vale.* Nihil mihi amplius erit cum poëſi.

XLII

IV *AD PROBINUM UT SCRIBAT* *

Quem precor inter nos habitura ſilentia finem?
Quando dabit caras littera grata vices?
Me timidum, vel te potius dixiſſe ſuperbum
Convenit? alterius crimen utrumque tenet.
Transfluxere dies, & dum ſcripſiſſe priorem
Pœnitet, æternas itur in uſque moras.
Sed quid agam? cœpiſſe vetat reverentia veſtri.
Hinc amor hortatur ſcribere. vincat amor.
Fors juvat audentes, Cei ſententia vatis.
Hac duce non dubitem, te reticente, loqui:

Rr 4

Audax

1 quem, precor, hæc, quem ſunt hab. *MS. pulchre.* 2 gratas lit. noſtra *al.* gratas -- grata *al.* 5 ter fluxere *MSS.* tot flux. *conj. Heinſ. & e MS. Barth.* tres flux. *alia conj. Heinſii, ſed minus felix.* 9 priſci ſent. *Vien. marg. Ald. Baſ. marg. Clav.* Chii *Vien. Baſ. Junt.* Cei *MSS. Scal. Heinſ.*

* Non dubium eſt, eum eſſe Probinum, cujus cum Olybrio fratre conſulatum celebravit noſter c. 1. Cf. v. 13.

3 *Timidus* eſt inferior vel humilior, ſi non audet ſcribere amico majori: *ſuperbiæ* imputatur, ſi major intermittat officium.

5 *Dies* hic indefinite ponuntur, pro longo tempore. *Pœnitet*, pœna eſt, moleſtum eſt: neuter vult incipere.

7 *Veſtri reverentia*, de uno declinantis in barbatiem ſæculi eſt: quamquam hic poterat aliquis ſuſpicari, hoc velle poëtam, tui & tui ſimilium reverentia, ut ipſe Cicero, *vos magni oratores* &c. De illo more plurium numero compellandi unum, nec ſine Solœciſmo *vos adſecutum*, *vos procuraturum*, *vobis recitante*. vid Barth. ad Rutil. itiner. 1, 35. De illa ratione quantum ad principes Falſter. amœnitt. philoll. P. 2 p. 195,

9 Sententia nota Virg. Aen. 10, 284 *Audentes fortuna juvat:* ubi Lacerda magno numero laudat, qui ſimilia dixerint. Sed *Chius* an *Ceus vates*, qui ejus auctor ſit, neſcio an oſtendi poſſit. Homerum a quibusdam *Chium* putari, *Ceum* autem eſſe Simonidem, ſatis conſtat. *Priſci* facillimum eſt: ſed lectiones facillimæ raro eædem ſunt veræ.

Audax ut, ſi quidem penitus peccaſſe videbor,
Arguar, ingrati non ſubiturus onus.
Romanos bibimus primum te Conſule fontes,
Et Latiæ ceſſit Graia Thalia togæ,
Incipiensque tuis a faſcibus omina cœpi,
Fataque debebo poſteriora tibi.
Ergo laceſſitus tandem reſcribe roganti;
Et patria florens ſorte, Probine, vale.

11 aut ſi quid penitus peccaſſe videtur *vulg.* ut ſi *Clav.* videbor *Ald.* ut ſi – videbor *Scal. Heinſ.* vates *MSS.* *etiam Cuj.* fatebor *MS.* 14 acceſſit *MSS.* grata *Baſ. marg.* 15 affatibus omnia *Vien. Junt. Baſ. Clav.* a faltibus *Ald.* omina *Cuj.* a faſtibus omina *Barth. Heinſ.* 16 delebo *vulg. ante Barth. qui malebat* Votaque. *Sed* Fataque ſe debent *conj. Heinſ.* 18 arte *conj. Heinſ.*

11 *Audax ut arguar*, h. e. licet accuſer & convincar adeo audaciæ. *Onus ingrati*, crimen, grave, quo *premi* aliquis dicitur.

13 Hoc videtur dicere, ſe primum illud carmen in conſulatum Olybrii & Probini Latinum ſcripſiſſe. Alexandria Græcis magis literis florebat quam Latinis. Muſæ *bibunt* fontes Caſtalios &c.

15 *Faſtus* etiam & *faſtibus* dici pro *faſtis* & *faſtos* exemplis etiam optimorum in Theſauris noſtris oſtenſum eſt.

16 *Fata poſteriora*, quidquid bonæ fortunæ poſt Conſulatum illum tuum mihi evenerit, tibi, ut auctori fautorique, debebo.

18 *Sortem* intelligam locum in rep. & conditionem vivendi unamquamque: hic ſummam Aucheniorum gloriam, quam commendat 1, 8 ſqq. Sed elegans & facilis etiam eſt conjectura Heinſii, *arte*, quo virtus omnis, & rerum gerendarum ratio ac prudentia continetur.

XLIII

AD GENNADIUM EX PROCONSULE *

Italiæ commune decus, Rubiconis amœni
Incola, Romani fama ſecunda fori;
Grajorum populis, & noſtro cognite Nilo.
Utraque gens faſces horret, amatque tuos.
Carmina jejunas poſcis ſolantia fauces?
Teſtor amicitiam, nulla fuiſſe domi.
Nam mihi mox nidum pennis confiſa relinquunt,
Et Lare contemto non reditura volant.

* Proconſulem *vulg.* Exproconſulem *MS.*' ex proconſule *MSS.*
2 accola *malit Barth.* & *ego.* lingua ſec. *Cuj.*
7 pennis *al.*

* *Ex Proconſule* poteſt ſignificare eum qui fuit Proconſul, vel proprie dictus ac verus, qui illo honore provinciam rexerit, vel qui alias hoc nomine, quod late patet, honoratus eſt. Vid. Hagenbuch. Epiſt. Epigr. p. 285 ſq. ubi de vi præpoſitionis Ex in talibus diſputat. Gennadium hunc nihil prohibet eſſe eum, qui ſub Arcadio A. 396 fuit Præfectus Auguſtalis, ad quem directa eſt l. 1 C. Theod de Alexandrinæ plebis primatibus, quam Gothofredus ex hac ipſa epiſtola illuſtrat. Ejusdem adeunda eſt Notitia Dignitatum, de Exproconſulibus & Præfecto Auguſtali, ſi quis plura deſideraverit.

1 *Rubico* inter Ravennam & Ariminum cum mare Hadriaticum influat, alterutram harum urbium ſignari credibile eſt. Ravennæ ſepe fuit aula. Forte prædium Rubiconi appoſitum habuit Gennadius.

2 *Fama ſecunda*, ut *Gloria prima:* prima nempe Fama Romani fori eſt Tullius: ab hoc ſecundas tribuit noſter liberaliter Gennadio, ut nempe 41, 4 Olybrio dedit, *Ciceronem tonare.*

3 Huc pertinet illa lex 1 C. Theod. de Alexandrinæ plebis primatibus data ad Gennadium, ut modo monuimus.

5 *Jejunas fauces* ipſe forte Gennadius poſuerat pro deſiderio vehementi.

7 Pullis avium comparat carmina ſua, quæ mox evolent: *pinnæ* ſunt majores pennæ alarum. Hoc videtur hic indicare, ſe non ſervare ſibi carminum ſuorum apographa, nec domi ſuæ habere librarios proprios.

CL. CLAUDIANI EIDYLLIA*

XLIV

1 PHOENIX †

Oceani ſummo circumfluus æquore lucus
Trans Indos Eurumque viret, qui primus anhelis

Sollici-

* Quidquid ſignificet *Idyllii*, quaſi tu *formulam* dicas, nomen, ſignificat autem, niſi fallor, minutum carmen, hexametrum præcipue, narrationem quandam continens: ea quæ ſub hoc titulo hic collecta habemus ſeptem poëmatia, non ab auctore, ne ab antiquo quidem deſcriptore ita appellata, deprehendimus. Barthius Epigrammatum communi titulo comprehendit, ſed quædam in his Eidyllia potius eſſe monuit. Ceterum digna ſunt ingenio Claudiani & doctrina, nec ultima, ſi pretium ſpectes, illius opuſculorum.

† Hoc carmen, ſi cui comparare lubeat cum altero hujus tituli atque argumenti, quod Lactantii operibus ſubjungi ſolet, multam ſimilitudinem utriusque, œconomian eandem, deprehendet, ut alter imitatus eſſe alterum videatur. Utrum alteri præferam, vix audeo dicere, contra ſententiam nempe Barthii ipſiusque Heinſii. Sed amavit nos quoque Phœbus. Jam conferre inter ſe narrationes de Phœnice inde ab Herodoto 2, 73; poëtas componere, & trutina ſuſpendere, Mythologian inquirere & Allegorias, videre de convenientia cum palma arbore, quæ Φοίνιξ Græcis eſt; de argumento, quod ducebant κατ' ἄνθρωπον a Phœnice Chriſtiani ad reſurrectionem mortuorum quam certe hoc ſymbolo ſignabant, eſſet ejus qui librum de Phœnice juſtum poſt Braccium Texeliumque pararet. Qui hoc agat, illum præter Barthianum Commentarium, & Bunemanni V. D. ad Lactantianum Phœnicem obſervationes, juvabunt ut de Voſſio, Bocharto & antiquioribus nihil dicam, Ez. Spanh. de uſu & Pr. Num. Diſſ. 5 p. 285, & Cl. Erneſti ad claſſicum locum Tac. An. 6, 28. Nos interea nos continebimus, quæ intelligentiam hujus carminis juvare videbuntur.

1 *Summum æquor* hic interpretandum eſſe videtur extremum, a nobis remotiſſimum, ut *imo* opponatur, in quantum *imum* eſt intimum. Non. 4, 440 *Summum, extremum*, laudatque illud Virgilii Aen. 2, 324 *Venit ſumma dies, & ineluctabile fatum*: & ex Ciceronis Hortenſio, *vixit ad ſummam ſenectutem optuma valetudine*. Sic noſter 32, 6 *Litora ſumma* dixit.

2 *Trans-Eurum*, ὑπὲρ τὸν Εὖρον, ut Hyperboreos dixere Græci, quaſi trans & ultra Boream habitantes.

Sollicitatur equis, vicinaque verbera ſentit,
Humida roranti reſonant cum limina curru,
Unde rubet ventura dies, longeque coruſcis
Nox afflata rotis refugo palleſcit amictu.
Hæc fortunatus nimium Titanius ales
Regna colit, ſoluſque plaga defenſus iniqua
Poſſidet intactas ægris animantibus oras;
Sæva nec humani patitur contagia mundi:
Par volucer Superis: ſtellas qui vividus æquat
Durando, membriſque terit redeuntibus ævum,
Non epulis ſaturare famem, non fontibus ullis
Aſſuetus prohibere ſitim: ſed purior illum
Solis fervor alit, ventoſaque pabula libat
Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis.

Arcanum

3 colluſtratur *Cuj.* 4 vivida *MS. unde* uvida *conj. Heinſ.* 7 Junonius *Cuj.* 8 Solisque *Cuj. Heinſ.* 2. 9 animalibus *al.* ignotas -- mortalibus *Cuj.* 11 invidus *Cuj.* 15 pab. potat *Ald. & MSS.*

3 *Solicitatur* lucus, cum ad Auroræ exortum & vento illo ſolenni moventur rami arborum, & aves cantare incipiunt. *Verbera*, quibus equi percutiuntur.

4 *Rorans currus* Auroræ, non Solis, hoc ipſo Epithero intelligitur. *Limina* poſſunt illa quidem etiam portam quandam Orientis ſignare. Sed ſolet noſter hoc nomen ſumere latius, ut βηλὸν illum Homericum, ut ſolum illud noret æneum, per quod Jovis equi dum currunt, tonitrua edunt, Vid. 7, 164 & 24, 287.

6 *Nox* dea habet velum ſ. *amictum* nigrum: palleſcit illud velum cum denſum & ſaturatum illum nigrorem paullatim amittit, Vid. 35, 363.

8 *Plaga* illa, Soli orienti proxima, *iniqua* eſt & intolerabilis ægris mortalibus: vid. v. 10. Itaque ſolus illam poſſidet Phœnix.

10 Aſpere dictum, *humanus*, qua hominibus cultus eſt, mundus contagia habet morbi. *Aeger* mortalium ſolenne epitheton poſt Lucret. 6, 1. Sic Virg. Ge. 1, 237. Aen. 2, 268.

12 *Terit ævum* Phœnix, non ipſe teritur, certe nihil deterit illi ævum, quod non recipiat.

13 Nihil eorum, quæ de hac ave narrat, facilius credas, quam illud Plin. 10, 2 *Neminem extitiſſe, qui viderit veſcentem:* credo etiam, qui volantem, ſtantem &c.

15 *Ventoſa pabula* vapores in aëre ſublatos, mixtum aëre humorem.

Arcanum radiant oculi jubar. igneus ora
Cingit honos. rutilo cognatum vertice ſidus
Attollit criſtatus apex, tenebraſque ſerena
Luce ſecat. Tyrio pinguntur crura veneno.
Antevolant Zephyros pennæ, quas cærulus ambit
Flore color, ſparſoque ſuper diteſcit in auro.
Hic neque concepto fetu, nec ſemine ſurgit:
Sed pater eſt proleſque ſibi, nulloque creante
Emeritos artus fecunda morte reformat,
Et petit alternam totidem per funera vitam.
Namque ubi mille vias longinqua retorſerit æſtas,
Tot ruerint hiemes, toties ver curſibus actum,
Quas tulit autumnus, dederit cultoribus umbras:
Tum multis gravior tandem ſubjungitur annis,

Luſtrorum

9 criſpatus *MSS.* 21 circulus -- Floricolor *conj. Barth. probante Heinſ.* ore *vel* rore color *MSS.* 22 ſparſoque ſimul *MSS. etiam Cuj.* 23 concipitur *conj. Barth.* conceptus *conj. Heinſ.* 24 ſui *vulg.* ſibi *etiam Baſ. marg.* 25 reſolvit *Cuj.* 26 æternam *Cuj.* 27 revolverit *Cuj.* longæva *MS.* 28 tot fuerint *vulg.* torruerint, corruerint, horruerint *MSS.* tot ruer. *Ald. MSS.* totidem *malit Heinſ.* 29 herbas *Cuj.* 30 ſubducitur *MS. quod placet Heinſio.*

18 *Sidus cognatum* Soli, ſplendorem capiti circumdatum deſcribit, quem exhibent nummi V. G. apud Spanhemium l. c. p. 287 cum titulo, FELIX TEMPorum REPARATIO.

20 *Venenum Tyrium* imitatione Virgiliana de purpura. Georg. 2, 465 *Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno.* Sic *Venenato operitur* Flaminica Dialis apud Gell. 10, 15 i. veſte tincta purpura, vel colore alio. Hæc cum ita ſe habeant, tamen puto, non convenire pedibus Phœnicis *venenum* h. e. φάρμακον, materiam quæ vim habeat immutandi naturam rei cui applicatur.

22 *Flos* in colore ſignificat vividum illum ſplendorem, quem ars vix imitatur. Si dediſſet poëta *Flore ſuo*, nemo hic hæſiſſet credo, nedum Barthius. Sed poteſt tamen intelligi.

26 *Aeterna* eſt *vita*, quæ ipſa morte reſtituitur: *totidem* hic ſunt vitæ quot funera, quia ex unoquoque funere nova vita naſcitur.

27 *Retorquet æſtas vias* ſuas: a Tropico Cancri redit Sol verſus alterum Capricorni. *Ver actum* & incitatum; curſibus ſuis, dare ſolet ruricolis *umbras*, folia arborum, quas *autumnus* abſtulit. Mille illos annos per omnes quatuor tempeſtates deſcribit.

30 *Subjungitur*, vincitur & quaſi ſub jugum mittitur. Virg. Aen. 8, 502 *Nulli fas Italo tantum ſubjungere gentem.*

Luſtrorum numero victus. Ceu laſſa procellis
Ardua Caucaſio nutat de vertice pinus,
Seram ponderibus pronis tractura ruinam.
Pars cadit aſſiduo flatu: pars imbre pereſa
Rumpitur: arripuit partem vitioſa vetuſtas.
Jam breve decreſcit lumen, languetque ſenili
Segnis ſtella gelu: qualis cum forte tenetur
Nubibus, & dubio vaneſcit Cynthia cornu.
Jam ſolitæ medios alæ transcurrere nimbos
Vix ima tolluntur humo. Tunc conſcius ævi
Defuncti, reduciſque parans exordia formæ,
Arentes tepidis de collibus eligit herbas,
Et cumulum texens pretioſa fronde Sabæum
Componit buſtumque ſibi partumque futurum.
Hic ſedet, & blando Solem clangore ſalutat
Debilior, miſcetque preces, ac ſupplice cantu
Præſtatura novas vires incendia poſcit.
Quem procul adductis vidit cum Phœbus habenis,
Stat ſubito, dictiſque pium ſolatur alumnum:
„O ſenium poſiture rogo, falſiſque ſepulcris
Natales habiture vices, qui ſæpe renaſci

Exitio,

32 culmine *Ald. MSS.* 33 factura *Cuj.* 36 jamque ubi *MSS.* jam ſibi *conj. Heinſ.* 37 ſtilla *omnes ante Barth.* ſtela & ſtella *MSS.* 39 tranſcindere *Cuj.* 41 defecti *Cuj.* ex. vitæ *MS.* 45 magno Solem *MS.* 50 membrisque ſepultis *Cuj.*

36 Supra v. 17 *jubar* oculorum laudaverat, & mox *ſtellam*, quæ caput circumdat. Illud decreſcit & *breve* fit, h. e. parvum, hæc languet.

38 *Dubium* eſt cornu Lunæ, cum quis *videt aut vidiſſe putat per nubila Lunam*, ut eſt Aen. 6, 454.

41 *Defunctum ævum*, quo quis defunctus eſt, ſive Hypallagen dicas, ſive deponens uſurpatum paſſive. Ceterum ridiculus eſt Aelia. Hiſt. An. 6, 58 qui numerandi ſcientiam majorem tribuat Phœnici, quam Aegyptiis ſacerdotibus, quibus de elapſis D annis non æque ut illi conſtet.

43 Turiferæ arboris ſarmenta deſcribit: quem *cumulum* noſter, eam commodius Mela 3, 9 *ſtruem* vocat, *variis exaggeratam odoribus.* Cf. v. 59.

48 *Adductis habenis ſtat Sol*, poſtquam vidit Phœnicem: conſtructio aliquantum turbata.

Exitio, proprioque ſoles pubeſcere leto,
Accipe principium rurſus, corpuſque coactum
Deſere. mutata melior procede figura.„
Hæc fatus, propere flavis e crinibus unum
Concuſſa cervice jacit, miſſoque volentem
Vitali fulgore ferit. jam ſponte crematur,
Vt redeat, gaudetque mori feſtinus in ortum.
Fervet odoratus telis cæleſtibus agger,
Conſumitque ſenem. Nitidos ſtupefacta juvencos
Luna premit, pigroſque polus non concitat axes.
Parturiente rogo, cunis natura laborat
Aeternam ne perdat avem, flammaſque fideles
Admonet, ut rerum decus immortale remittant.
Continuo diſperſa vigor per membra volutus
Aeſtuat, & venas recidivus ſanguis inundat.

Victuri

52 patrioque malit *Heinſ.* 53 caducum *conj. Heinſ.* 54 mutatam --- figuram *MS. Grætiſmo.* 57 litali *Cuj.* nam ſp. *al.* 59 ſtellis cæl. *vulg.* telis *etiam Baſ marg. & firmat Heinſ.* flammis ſolaribus *Cuj.* 62 curis *omnes.* cunas *ſuſpicati Barth. & Heinſ.* V. N. 64 ammovet *i. admovet Baſ. marg. Vien. ſed* admonet *marg.* amovet *Raph. Janſ. Heinſ.* 1. 66 venis *Vien.* tedivivus *omnes ante Heinſ.*

53 Etiam hic eſt Hypallages genus, ſi ita dedit Poëta, & non *coactus.* Prius placere potuit, ne nimis congruerent caſu *corpuſque coactus.* Sed poteſt etiam intelligi *corpus coactum* a ſenio, & redactum in arctiorem formam, ut ille Tithonus tandem in cicadam exaruit.

56 *Concuſſa cervice*, ut hyſtrices jaculantur de ſuis aculeis vnum. Vid. 45, 20.

59 *Agger* eſt ille, quem *cumulum* dixerat v. 43 & vocat *congeriem* v. 93.

60 De *juvencis* ſ. bubus quibus Luna vehitur, dictum ad 36, 403.

61 *Axes* h. e. ſtellæ (vid. 35, 192) pigri ſunt, quia Luna illos *premit*, retinet, *adductis*, ut modo noſter v. 48, *habenis.*

62 *Naturam* etiam hic perſonam facit, ut 36, 33, quæ *laborat*, *ne in cunis perdat avem*, quæ æterna debet eſſe. Antitheta affectat: *Rogus* non perdit hic, ſed *parturit: cunis* igitur non perdendus ſed ſervandus, & novo partu proferendus eſt Phœnix. Auſus ſum literula una leviſſime immutata lucem dare loco & nitorem, ut mihi videtur. *Cunas* jam protulit Heinſius ex Ovid. Met. 15, 405 *Fertque pius cunasque ſuas, patriumque ſepulcrum.*

63 *Fideles flammæ*, quæ depoſitum reddunt, & ſplendidius quam accepere *remittunt.*

65 *Diſperſa* in cineres ſunt Phœnicis *membra*; ſed ſtatim ab hac diſſolutione & purgatione, *vigor* per ea incaleſcit, & inteſtino motu huc illuc movetur.

Victuri cineres nullo cogente moveri
Incipiunt, plumaque rudem veſtire favillam.
Qui fuerat genitor, natus nunc proſilit idem,
Succeditque novus. Geminæ confinia vitæ
Exiguo medius diſcrimine ſeparat ignis.
  Protinus ad Nilum Manes ſacrare paternos,
Auctoremque globum Phariæ telluris ad oras
Ferre juvat. velox alienum tendit in orbem,
Portans gramineo clauſum velamine funus.
Innumeræ comitantur aves, ſtipantque volantem
Alituum ſuſpenſa cohors. exercitus ingens
Obnubit vario late convexa meatu.
Nec quiſquam tantis e millibus obvius audet

Ire

74 pergit *al.* tendit *etiam Vien. marg.* 75 clarum *Baſ. marg.* carum *conj. Heinſ.* clauſum *etiam Vien marg.* 76 glomerantur *MS.* ſtipatque *vulg.*

66 Quantum ad rem ipſam eandem hic vim habent *recidivus* & *redivivus.* Præterea in libris antiquis perpetuo fere utrumque nomen permutari videas, non tantum ut *recidivum* dicatur, cui a morte vita rediit, ſed ut *rediviva* dicantur lapides & rudera ædificii antiqui ad novum adhibita. Vid. Theſaurus. Amabat Heinſius, quod ſæpe in libris optimis invenerat, *recidivum*, & ad hunc locum ſtudioſe ac magno exemplorum numero tuetur. Eo magis illud reliquimus, cum alias ſanguini magis *redivivi* etymon conveniat &c.

68 *Rudem favillam* cogitare licet ut argentum vel aurum rude, illaboratum.

72 *Manes* hic pro reliquiis cadaveris ponit, ut 39, 13.

73 Quem *Auctorem globum* appellet, obſcurum eſſe non poteſt his, qui Herodoteam narrationem cognoverit, quam ſcilicet, ut notam omnibus ponit Poëta, non explicat. Novus Phœnix format *ex myrrha ovum*, (*globum* recte noſter appellat) cui ferendo par ſit: illi excavato indit reliquias paternas, easque defert in templum Heliopolitanum &c. Breviter Mela 3, 8 extr. *Oſſa priſtini corporis incluſa myrrha Aegyptum exportat.*

75 *Gramineo velamine* ipſum illum globum, ſ. ovum involvere illum facit poëta, & ipſa illa gramina arida atque odora forte ignem debent concipere & alere. *Myrrham* non excludi, docet v. 95.

77 *Suſpenſa*, ut *pendere* volatum ſignificat. Suſpenſa enim dicuntur, quæ facili motu huc illuc impelli poſſunt: ut Sil. 12, 94 *Suſpenſum hic librans media inter nubila corpus.*

78 *Obnubit*, ut alias *obtexendi* verbo utitur, V. G. 21, 258 *jaculis obtexitur aër.* *Convexa* cœlum eſſe noſtro, plus ſemel obſervatum.

Ire duci: ſed regis iter fragrantis adorant.
Non ferus accipiter, non armiger ipſe Tonantis
Bella movent. commune facit reverentia fœdus.
  Talis barbaricas flavo de Tigride turmas
Ductor Parthus agit: gemmis & divite cultu
Luxurians fertis apicem regalibus ornat.
Auro frenat equum, perfuſam murice veſtem
Aſſyria ſignatur acu, tumiduſque regendo
Celſa per famulas acies ditione ſuperbit.
  Clara per Aegyptum placidis notiſſima ſacris
Urbs Titana colit, centumque accline columnis
Invehitur templum Thebæo monte revulſis.
Illic, ut perhibent, patriam de more reponit
Congeriem, vultumque Dei veneratus herilem
Jam flammæ commendat onus: jam deſtinat aris
Semina relliquiaſque ſui. Myrrhata relucent
Limina.

80 flagrantis *vulg.* fragrantis *etiam Cuj.* 83 fluvio *vulg.* 88 per Tyrias *vulg.* famulas *etiam Cuj. & Vien. marg.* 90 immane *vulg.* centum fultumque *MSS.* accline *MSS. ap. Heinſ.* 91 Thebano *vulg.* 95 mirata — Limina *editum ante Heinſ. Sed* myrrhata *jam Clav. & Raph.* Lumina *ſcripti plerique Heinſ. unde ille conj.* Culmina.

80 Poteſt reſpexiſſe videri ad Papinii locum, qui ſuam Thebaida in ipſo fine ſic alloquitur, *Nec tu divinam Aeneida tenta, Sed longe ſequere, & veſtigia ſemper adora.*

86 Græcatur noſter, *Signatur* Parthorum rex *acu Aſſyria*, quantum ad *veſtem* purpuream, eſt enim *murex* purpuræ conchæ genus: h. e. indutus eſt veſte purpurea, acu picta, vel Babylonico opere diſtincta.

88 *Ditio* eſt ipſum jus imperii, quod etiam formulæ conſuetæ docent, in ditione habere, ſub ditione tenere &c.

90 *Heliopolis*, ἡλίου πόλεως, urbis Solis, deſcriptio. *Centum columnis* nixum vel *fultum* templum conſuetius: ſed *accline* referri poteſt ad faſtigium illud recti utrinque inclinatum, & accline ad columen.

91 *Thebaica* regio abundat illo ſaxorum genere ex quo portentoſa opera conſtructa olim ſunt, quæ hodie adhuc admirationi noſtræ exponunt peregrinatores, ut illa Memnonis ſtatua, de qua eſt præclarum Jablonskii opuſculum.

93 *Congeriem* hanc globum vocat noſter v. 73, *cumulum* v. 43, *aggerem* v. 59.

95 *Myrrhata lumina*, flamma a pinguis myrrhæ globo nutrita. Inter ſuffimenta hodie eſſe myrrham, conſtat.

Limina. divino ſpirant altaria fumo:
Et Peluſiacas productus aduſque paludes
Indus odor penetrat nares, completque ſalubri
Tempeſtate viros, & nectare dulcior aura
Oſtia nigrantis Nili ſeptena vaporat.
O felix, hæreſque tui. quó ſolvimur omnes,
Hoc tibi ſuppeditat vires. præbetur origo
Per cinerem. moritur te non pereunte ſenectus.
Vidiſti quodcumque fuit. te ſæcula teſte
Cuncta revolvuntur. Noſti quo tempore pontus
Fuderit elatas ſcopulis ſtagnantibus undas:
Quis Phaëthonteis erroribus arſerit annús.
Et clades te nulla rapit, ſoluſque ſuperſtes
Edomita tellure manes. non ſtamina Parcæ
In te dura legunt, non jus habuere nocendi.

96 divinos -- fumos *ſuſp. Heinſ.* 98 pervenit Indus odor *vulg. pro* penetrat, penitus *Claver.* perv. Indus odor Blemyas c. ſ. T. Phylas *conj. Barth.* 101 o fili *Cuj.* 102 ſuppeditant *Guelf.* vitam *Cuj.* 103 moriente *Cuj.* 105 reſolvuntur *Vien. marg.* 107 arſ. amnis *Vien. Baſ. ſed* annus *uterque marg.* 110 dira *Guelferb.* habet hora *Barth. Horam fatalem ſ. mortem intelligit.*

98 *Indus odor* laudatur circumſcriptione 35, 82.

100 *Nigrantis Nili*, doctum epitheton fluvii, qui apud Virg. Ge. 4, 291 *Aegyptum* nigra *fecundat arena:* qui etiam שיחור Ebræis, & *Melo* antiquis Romanis ab hoc colore dictus putatur. Vid. G. I. Voſſ. ad Auſonii illud p. 585 Toll. *Melonis albam filiam.*

101 Placet vehementer, licet habeat hiatum metricum, Cujaciana lectio, *O fili*, digna certe noſtro & hoc carmine Antitheſi.

102 Minime contemnenda Guelferbytani codicis lectio *ſuppeditant*, intranſitive, ſuppetunt, ſuppeditantur.

105 Diluvii deſcriptio, *ſcopulos ſtagnantes* intelligo montes, in quorum cacuminibus ſtant aquæ, ſtagna fiunt. Novit Phœnix pro illa ſua chronologica ſapientia, de qua ad v. 41 ex Aeliano, quot anni ſint a Deucalioneo diluvio, quot ab incendio Phaëthonteo, elapſi.

110 Itaque conſecrationis ſive *ἀποθεώσεως*, atque æternitatis adeo ſymbolum eſt in nummis Fauſtinæ apud Arſchota. T. 43.

XLV

11 *HYSTRIX*

Audieram, memorande, tuas, Stymphale, volucres
Spicula vulnifico quondam ſparſiſſe volatu:
Nec mihi credibilis ferratæ fabula pinnæ
Viſa diu. Datur ecce fides, & cognitus hyſtrix
Herculeas affirmat aves. Os longius illi
Aſſimulat porcum. mentitæ cornua ſetæ
Summa fronte rigent. oculis rubet igneus ardor.
Parva ſub hirſuto catuli veſtigia dorſo.
Hanc tamen exiguam miro natura tueri
Præſidio dignata feram. ſtat corpore toto
Silva minax, jaculiſque rigens in prælia creſcit
Picturata

* de hyſtrice, quem porcum ſpinum (ſpineum) dicimus *MS.* quem dicimus porcum ſpinoſum *Vien.* 1 memoranda *malit Heinſ. Gr.* *ἡ συμφάλος.* 6 aſſimilat *al.* 9 attamen *malit Heinſ.*

* Ariſtoteles Hiſt. An. 9, 39 extr. refert *τὰς ὕστριχας* inter *τὰ βάλλοντα ταῖς θριξίν.* Sed 1,6 *οἱ ὕστριχες* referuntur inter ea, quæ *ἀκανθώδεις τρίχας* habent. Et, 8, 17 pr. *οἵ τε ὕστριχες, καὶ αἱ ἄρκτοι.* De genere nominis ipſe igitur a ſe diſſidet, quo minus mirum eſt, Latinis non convenire. Noſtro v. 4 eſt *cognitus* hyſtrix: ſed Calpurn. ecl. 6, 14 *Hirſuta ſpinoſior hyſtrice barba.* Verum adjiciamus hic in lectorum gratiam locum Plin. 8, 35 *Hyſtrices generat India & Africa ſpina contectas, ac herinaceorum genere: ſed hyſtrici longiores aculei, & cum intendit cutem miſſiles. Ora urgentium figit canum, & paulo longius jaculatur.* Qui plura deſideret, legat ſuaviſſimum carmen Oppia. de Venat. 3, 391 & ibi Ritterſhuſ. Spanh. ad Callim. H. in Dia. v. 96 p. 199. De hiſtoricis animalium ne dicam. Animal hodie quoque notum, cujus quatuor ſpecies habet Linnæus.

1 *Stymphalidas* memoravit 34, 37. Illud de ſpiculis pinnarum ferreis forte habuit noſter a ſuo cive Apollonio, qui Argon. 2, 1037 de una earum ſic canit, Ὅς ῥα τιναξάμενος πτέρυγας κατὰ νῆα θέουσαν Ἧκ' ἐπί οἱ πτερὸν ὀξὺ κ. τ. λ. Vid. Schol. & VV. DD. ad Hygi. fab. 20 & 30 p. 85 *Aves Stymphalides in inſula Martis, quæ emiſſis pennis ſuis jaculabantur, ſagittis interfecit* Hercules.

8 *Catuli veſtigia* noſter, Lupi ſimilitudinem obſervat Oppianus. Sed noſter parum indicat animal, Oppianus lupi etiam magnitudinem paullo minorem tribuit.

Pictur̄ata ſeges, quorum cute fixa tenaci
Altera ſuccreſcit, alternanteſque colorum
Tincta vices, ſpatiis internigrantibus, exit
In ſolidæ ſpeciem pinnæ, tenuataque furtim
Lævis in extremum ſeſe producit acumen.
Sed non hæc acies ritu ſilveſtris echini

13 alba ſubattraxit *MS.* albus ubi traxit *Ald.* *MS.* altera ſubtraxit *MSS.* alvo, alvum, ardua ſubtraxit *MSS.* quæ cum cute miſſa tenaci, Altera ſuccreſcit: *vel* quorum cute fixa tenaci; Alba ſubit radix *conj.* *Barth.* *Dedi lectionem omnium editorum, niſi quod* ſubtraxit *Heinſ.* *quod non intelligo: & optabam intelligere, cum adſcripſerit vir ſummus*, noſtram lectionem nemo ſanus damnabit. 14 cincta — intus nigr. *vulg.* cuncta & tincta *MSS.* picta *conj.* *Heinſ.* *ſed poſuit* tincta. 14 pugnæ *pro* pinnæ *vulg.* pinnæ *jam Vien. marg.* & *Baſ. marg.*

12 *Picturatæ* ſunt ſpinæ alternante colore nigricante velut aduſto, & albicante, quæ ſtatim vocat ſpatia *internigrantia*. Porro horum jaculorum *altera* ſubinde ſeges, *tenaci cute* animalis *fixa*, ſuccedit & *ſuccreſcit*, & *tincta* alternis coloribus, *exit* & formatur *in ſpeciem pinnæ*, non ſimplicis (quæ eſt una ſeries ſudium, vallorum, palorum, aggeri infixorum) ſed *ſolidæ* e continuatis ſeriebus conſtantis. Hæc ſeges, quantum ad ſingula ſpicula quibus conſtat, levis eſt ac polita, quo facilius penetrat, ac ſenſim, ſ. paullatim tenuatur, donec in extremo acuta valde fiat.

14 *Internigrantibus ſpatiis* ea forma dixit, qua Plinius 37, 10 *Leucochryſos* gemma *fit*, certe exſiſtere intelligitur, *Chryſolitho interalbicante* (quod mutare non debebat Harduinus) qua *interlucere*, & *intermicare* noſter & *internitere* plus ſemel Plinius: qua noſter 35, 100 *interviret*. Sed uſus eſt hoc ipſo verbo Statius Theb. 6, 336 ubi facit equas Admeti *maculis internigrantibus albas*.

15 *Pinnam ſolidam* jam breviter deſcripſimus. Supereſt ut hic moneamus, quod in Theſauris non ſatis expreſſum eſt, *pinna* nomen non modo de illo genere munimenti poni, quod vulgo omnes ita vocant, murum tenuiorem craſſiori impoſitum intermiſſis ſpatiis &c. ſed eſſe debere etiam, quod modo indicavimus, ſudes, palos, infixos ſummo aggeri vel ad perpendiculum, vel linea paulum ab horizontali declinante. Ex hoc genere fuit ille agger a Cæſare ſtructus ad Maſſiliam, de quo Luca. 3, 385 *Denſas tollentia pinnas Ceſpitibus, crudaque exſtruxit brachia terra.* Brachia hujus aggeris, quæ ceſpitibus & cruda terra conſtarent, quas alias habere potuerunt *pinnas*, & quidem *denſas*? Tales intelligo apud eundem Luca. 4, 432 ubi in re navali memorat *tremulis tabulata minantia pinnis.* Tales Cæſ. B. Gall. 5, 40 *Turres contabulantur, pinnæ, loricæque ex cratibus, attexuntur.*

17 *Silveſtris echinus*, qui ericius, erinaceus vel herinaceus dicitur. An ſit apud Romanum ſcriptorem antiquum *echinus* de terreſtri animali, nondum obſervavi. Certe feſtinavi, cum in Stephaniano Theſauro dixi, Varronem putare *echini* nomen eſſe in terreſtri animali antiquius. Antiquiorem noſtro auctorem nondum habeo.

Fixa manet. crebris propugnat jactibus ultro,
Et longe ſua membra regit, tortumque per auras
Evolat excuſſo nativum miſſile tergo.
Interdum fugiens Parthorum more ſequentem
Vulnerat: interdum, poſitis velut ordine caſtris,
Terrificum denſa mucronum verberat unda,
Et conſanguineis haſtilibus aſperat armos.
Militat omne feræ corpus, vibrataque rauco
Terga fragore ſonant. Stimulis accenſa tubarum
Agmina collatis credas confligere ſignis.
Tantus in anguſto ſtrepitus furit. Additur armis
Calliditas, parcuſque ſui tumor, iraque numquam
Prodiga telorum, caute contenta minari,
Nec niſi ſervandæ jactus impendere vitæ.

Error

18 oppugnat *conj. Heinſ.* 19 regit *MSS. quod placet Barth.* 23 mucronum *MS.* mucronum everberat *vel* mucronis verberat *conj. Heinſ.* mucronem *editi.* 25 virgataque *conj. Barth.* 27 *pro* ſignis, telis *MS.* 29 timor *vulg.* tumor *debetur Heinſ.*

19 Aculei ſunt *membra* hyſtricis. Hæc *regit* etiam in longinquum, h. e. dirigit in locum deſtinatum, collineat. Videtur hoc verum eſſe poſſe hactenus, ut impetus ille horrentis corporis dirigatur verſus locum unde vis ingruit, ut canum pili, & plumæ gallorum gallinaceorum, collum veſtientes, eriguntur & horrent verſus eum in quem impetum meditantur. Conf. dicenda ad 45, 8.

20 *Excuſſum tergum* omni vi concuſſum, ut exeat, quidquid maturum eſt ad excutiendum.

21 Conſueta Parthis pugnandi ratio, ad quam alias etiam noſter reſpicit.

22 Qui *caſtra ponunt*, illi ad bellum ſe juſtum ac ſerium comparant.

23 *Terrificum* quiddam, δεινόν, *verberat*, h. e. colliſu ſpinarum ſuarum ſtrepit: quale quid quotidie licet obſervare, in Gallis quos Indicos vulgo vocamus vel Calecuticos, qui cum ſtrepitu quodam & crepitu rotare caudam, & erigere, quidquid vel pinnarum vel plumarum eſt, ſolent. Hunc ſtatim *raucum fragorem* appellat. *Unda mucronum* eſt motus omnium ſimul aculeorum, reciprocus præſertim, ut cum ſegetem ventus impellit, vel exercitus ſubrectis armis movetur.

24 *Conſanguinea haſtilia* ex eodem unius animalis ſanguine orta, & ſimilia adeo.

29 *Tumor* quam pulchre dicatur ira & in hoc animali, & in plerisque videmus, quæ augentur, inflantur, intumeſcunt ab ira.

31 Venuſte poſſit aliquis hoc verſu uti, ad indicandum illud quod inculpatæ tutelæ moderamen vocant Philoſophi. Recte ſane armis uti dicas eum, qui *Non niſi ſervandæ vitæ* ictus illorum & vulnera *impendat.*

Error abeſt: certum ſollertia deſtinat ictum,
Nil ſpatio fallente modum: ſervatque tenorem
Mota cutis, doctique regit conamina niſus.
Quid labor humanus tantum ratione ſagaci
Proficit? Eripiunt trucibus Gortynia capris
Cornua: ſubjectis eadem lenteſcere cogunt
Ignibus: intendunt taurino viſcere nervos.
Inſtruitur pinnis, ferroque armatur arundo.
Ecce brevis propriis munitur beſtia telis,
Externam nec quærit opem: fert omnia ſecum:
Se pharetra, ſeſe jaculo, ſeſe utitur arcu.
Unum animal cunctas bellorum poſſidet artes.
Quod ſi omnis noſtræ paulatim induſtria vitæ
Fluxit ab exemplis; quidquid procul appetit hoſtem,
Hinc reor inventum: morem hinc traxiſſe Cydonas
Bellandi, Parthoſque retro didiciſſe ferire
Prima ſagittiferæ pecudis documenta ſecutos.

33 muta *ante Heinſ.* tegit *al. Sed* regit *jam Vien. qui etiam* niſus *habet*, *pro aliorum* viſus: *it.* Quid labor, *pro* Quis. 38 taurinos mittere *al. Sed jam* taurinos viſcere *Vien. & Baſ. marg.* 40 bellua *Heinſ. ex duobus MSS.*

33 *Modum* hic vocat directionem, collineationem, quæ etiam in longum ſpatium non aberrat.

35 Naturalis ſagacitas (quæ utitur conformatione & ſtructura totius corporis muſculorum certe & cutis mechanica) plus in hyſtrice proficit, quam operoſum illud ſagittandi artificium, quod deſcribit, & comparat cum hyſtricis jaculatione, poëta.

36 Cretenſes, quorum urbs *Gortyna*, nobiliſſimi ab hac ſagittandi arte, cornua illa caprorum elaſtica ad arcus adhibuere. Luca. 3, 186 *Nec Eois pejor Gortyna ſagittis.* Nihil frequentius poëtis, quam *cornu* vocare arcum, ab hac ſolemni ejus materia.

37 Hac ratione utuntur fabri etiam carpentarii & ſimiles ad ligna inflectenda.

38 Non ſatis conſtituo, volueritne poëta indicare *nervos taurinos* intendi arcubus, h. e. penes; an inteſtina illorum torqueri in nervos arcuum. *Viſcus taurinum* poteſt, credo, ſignificare utrumque.

39 Grata brevitas. Pinna inſtruitur utrinque infixa inferior ſ. poſterior pars ſagittæ, ne illa parte præponderare poſſit.

44 Si aranea texendi artem docuit, ædificandi fibrus, venæ ſecandæ hippopotamus, ibis alvum curandi clyſmate rationem oſtendit &c.

46 *Cydones* ſ. Cydonii Cretenſis ipſe quoque populus.

XLVI

III *TORPEDO*

Quis non indomitam diræ Torpedinis artem
Audiit, & merito ſignatas nomine vires?
Illa quidem mollis, ſegnique obnoxia tractu
Reptat, & attritis vix languida ſerpit arenis.
Sed latus armavit gelido natura veneno.
Et frigus, quo cuncta rigent animata, medullis
Miſcuit, & proprias hiemes per viſcera duxit.
Naturam juvat ipſa dolis, & conſcia ſortis
Utitur ingenio, longeque extenta per algas

Hac

1 mirae *al.* 2 audit & emerito *al.* 3 obnoxia tactu *Vien. Baſ. marg.' Ald. & MSS.* obnoxia tractu *vel* natu *MS. Pro* mollis, molli *malit Heinſ.* 6 armenta *MS. & Claver.* ligentur, & arma *Cuj. ut* v. 22. 9 ingenita *Cuj.*

* *Νάρκην* vocant Græci. Bis de illa canit ſummus poëta Oppianus, 2, 55 - 84, & 3, 149 - 155. Utrumque locum videtur ſi non præ oculis, in memoria tamen noſter habuiſſe.

1 *Diram* merito vocat, certe voracem & in piſces alios graſſantem deſcribit etiam copioſe Oppianus

5 Poſſet hic quidem *latus* ut alias de toto corpore intelligi: ſed *λαγόνας lumbos* appellat Oppianus diſerte 2, 62, radios utrique lateri adnatos, (*Κερκίδες ἐμπεφύασι παρὰ πλευρὴν ἑκάτερθεν*) quos qui attingat, ejus ſtatim robur exſtingui &c.

7 *Proprias* hiemes, quas diſpenſare, transfundere in alia animantia ſuo arbitrio poſſit.

8 *Conſciam ſortis* ſuæ i. naturalis hujus muneris eſſe torpedinem, vix perſuaſeris Philoſopho. Poëtæ quidem licet non hoc tantum, ſed ſenſum dare & conſcientiam & agendi voluntatem ipſis quoque inanimatis. Tractat divinitus hunc locum Oppianus. Breviter Horat. Ser. 2, 1. 52 *Dente lupus, cornu taurus petit; unde, niſi intus Monſtratum?* Pene poëtice Tullius de N. D. 2 c. 50 quem locum ponemus, quia etiam torpedines nominat. *Jam illa cernimus, ut contra metum & vim ſuis ſe armis quæque defendat. Cornibus tauri, apri dentibus, morſu leones: aliæ fuga ſe, alia occultatione tutantur; atramenti effuſione ſepiæ,* torpore torpedines, *multæ etiam inſectantes odoris intolerabili fæditate depellunt.* Ceterum jungenda ſic puto verba, Torpedo conſcia eſt ſortis ingenii, h. e. naturæ quam ſortita eſt, ingenii, quod

ſorte

Hac confiſa jacet, ſucceſſu læta reſurgit,
Et vivos impune ferox depaſcitur artus.
  Si quando veſtita cibis incautior æra
Hauſerit, & curvis frenari ſenſerit hamis;
Non fugit, aut vano conatur vellere morſu;
Sed propius nigræ jungit ſe callida ſetæ,
Et meminit captiva ſui, longeque per undas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per ſetam vis alta meat, fluctusque relinquit
Abſentem tentura virum. Metuendus ab imis
Emicat horror aquis, & pendula fila ſecutus
Tranſit arundineos arcano frigore nodos,
Victricemque ligat concreto ſanguine dextram.
  Damnoſum piſcator onus, prædamque rebellem,
Jactat, & amiſſa redit exarmatus avena.

10 attactu confiſa (confixa) jacet, ſucceſſu læta reſurgit *MSS.* xi *ap. Heinſ.* attactu conf. ſuo *&c. Ald. verſu ſeptem pedum.* quæ tetigere, jacent *Vien. & MSS.* hac (hoc *Claver.*) confiſa jacet *Junt. & rell.* tactu fixa jacet *MS. Pro* attactu, ac tractu, *vel* ac natu *conj. Heinſ.* 13 hauſerit, haud vano conatur vellere morſu, *omiſſo verſu Cuj.* non furit *MSS. quod placet Barth.* 15 potius *MSS.* 16 per herbas *MSS.* 18 vis ätra *Cuj.* fructusque *al.* 19 diſtantem *Cuj.* victura *vulg.* vinctura, nectura *MSS.* tentura *e MS. Heinſ.* 24 habena *vulg.* avena *Ald. MSS.*

ſorte divina illi attributum eſt. Sors *μοῖρα*, quidquid unicuique Deus attribuit, ingenium quod ingenitum eſt. Oppianus Ἡ δ' εὖ γινώσκουσα θεοῦ γέρας οἷον ἔδεκτο, bene intelligens; quale Dei munus acceperit. *Hac* igitur *ſorte* ingenii *confiſa* torpedo, *jacet* &c.

10 *Succeſſum* illum, quo læta ſit torpedo, intelligi voluit noſter: ſed ponit diſerte Oppianus, Κεῖται δ' ἀστεμφὴς οἷα νέκυς· ὃς δέ κεν ἰχθὺς Ἐγχρίμψῃ λαγόνεσσιν, ὁ μὲν λύτο —— Jacet immota, ut mortua, quicunque vero piſcis lumbis ejus acceſſerit, ſolutus (velut paralyſi tactus) cadit, — ipſa vero celeriter exſilit, ἡ δὲ θοῶς ἀνόρουσε κ. τ. λ.

19 *Tentura*, ut retentura, a tenendo, forma cujus exemplum neſcio an ſuperſit aliud.

XLVII

IV *NILUS*

Felix, qui Pharias proſcindit vomere terras:
Nubila non ſperat tenebris condentia cælum,
Nec graviter flantes pluviali frigore Coros
Invocat, aut arcum variata luce rubentem.
Aegyptos ſine nube ferax, imbreſque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti:
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Niloque redundant:
Qui rapido tractu mediis elatus ab antris,
Flammigeræ patiens zonæ Cancrique calentis,
Fluctibus ignotis noſtrum procurrit in orbem,

Secreto

6 tenens *malit Heinſ. pro* poli, nothi *Cuj.* 7 redundat *vulg.*
8 elapſus *vulg. præter Ald qui habet* elatus: elatus ab antris *MSS.*
10 flexibus *MS.* *teſte Barth.* notum *Cuj.*

* De Nili originibus, miraculis, fabulis, dicere libri opus eſt, non annotationis. Nihil hic exſpectet lector, præter qualemcunque eorum, quæ poëta canit, declarationem. Indicemus tantum locos quosdam claſſicos ut Herodoti 2, 17. Diod. Sic. 1, 32. Vitruv. 8, 2 qui miris ambagibus ex Atlante monte effuſum circumducit. Strabonis bona parte libri 17. Lucani 10, 193. Sen. Q. N. 4, 2. Melæ 1, 9. Plinii 5, 9. Plut. de Placit. 4. 1. Qui abſtruſiora de ea re philologemata velit recenſere, ei proderit Spanhem. ad Callim. Del. 207.

2 Hyperbolica eſſe, quæ de negatis omnino Aegypto pluviis narrant veteres, hodie credo, conſtat. Multus eſt in ea re Plin. Pan. c. 30.

4 Denunciari ab Iride pluvias, quin effici, tralatitium eſt. Ovid. Met. 1, 270 in apparatu diluvii, *Denſi funduntur ab æthere nimbi. Nuncia Junonis, varios induta colores., Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus adfert.* Illud *rubentem* late patere, & colores omnes quatenus lucidi ſunt complecti, etiam hic locus indicat. Sic 10, 187 *Mavortia ſigna rubeſcunt Floribus.* Vid. ad 29, 7.

5 *Imbres ſerenos*, Acumen ex antitheto noſtris auribus non valde acutum. Sed nempe *imbres* ut *rores* de omni humore licet poëtis Latinis dicere.

7 Liberior conſtructio: debebat ex lege Grammatica, *quæque Nilo redundant.*

9 *Cancri*, Tropici, ultra quem, verſus Aequatorem, omnes; Ieſuitarum Apoſtoli & Schererus, contra Ludolfi & Lobii fidem, ultra Aequinoctialem adeo, & propius Capricorni Tropicum, fontes Nili removent: quos deſerunt recentiſſimi, præſertim Danvillius.

Secreto de fonte cadens, qui ſemper inani
Quærendus ratione latet; nec contigit ulli
Hoc vidiſſe caput. Fertur ſine teſte creatus,
Flumina profundens alieni conſcia cæli.
Inde vago lapſu Libyam diſperſus in omnem
Aethiopum per mille ruit nigrantia regna,
Et loca continuo Solis damnata vapore
Irrorat, populisque ſalus ſitientibus errat,
Per Meroën, Blemyaſque feros, atramque Syenen.
Hunc bibit infrenis Garamas, domitorque ferarum
Girrhæus, qui vaſta colit ſub rupibus antra,

11 ſcatens *Cuj.* 16 means *MS.* 20 effrenis *vulg.* infrenis *etiam Cuj.* 21 Cyrreus *vel* Cyrrhæus *vulg.* Carræus *Claver.* Cirenus *i.* Cyreneus *triſyll. idem Claver. in append.* Cirreus, Guareus, Gyareus, Giareus, Gyrreus, Girreus *MSS.* Girrhaeus *Barth. hic & Adv.* 11, 24.

11 *Secretus* hic eſt occultus, incognitus. *Inanis ratio*, fruſtra ſuſcepta. Quam laborioſe hoc egerit Herodotus, ipſe narrat, & de Aegypti Regibus Strabo, ll. cc. de omnibus ad ſuam ætatem peculiari opere Iſ. Voſſius, qui recte quidem illud admonet, non eſſe proprie unum majorum fluminum fontem, unam ſcaturiginem, cum pluribus ignobilibus & nomine carentibus rivis collectis demum quod inde confluxit nomen accipere, interdumque id ipſum nomen, alio ſibi, minore etiam, admixto, amittere ſoleat: ſed non bene inde totum ſtudium indagandi fontes vanitatis arguit. Ceterum cum totum hoc pendeat a fide accolarum, eorumque, qui ab his accepere: nihil videtur melius eſſe, quam manere interim in his, quæ in Aethiopica Hiſtoria ejusque Commentario L. 1 c. 8 dedit decus Germaniæ Hiobus Ludolfus, ad cujus fidem, a Ieſuitis quibusdam Apoſtolis ſolicitatam, qui Nili fontes multis ultra Aequinoctialem gradibus removent, quorum ſententiam peculiari charta Homannus exhibuit, rediere Haſius noſtras, & ſummus hodie Geographus Danvillius.

14 *Alienum cælum* vocat Zonam torridam. Quin, quod *vago* demum *lapſu* in *Libyam omnem* diſperſus, per *mille regna Aethiopum ruere* dicitur, videri poſſunt a Claudiano, Ptolemæum ſecuto ultra Aequinoctialem removeri Nili origines. Sed cavet ſibi, ne quid ſtatuat, aut diſerte ponat. Hanc porro populorum enarrationem, cui ſimilis eſt 21, 233 non ita accipio, quaſi illos omnes percurrat Nilus quod de Syene & Meroë verum eſt: ſed hoc modo velle poëtam arbitror, ultra illos populos remotos eſſe Nili fontes. Quamquam poſt mirabilem Vitruvii opinionem, & iter, quo Nilum circumducit; etiam poëtæ, & Alexandrini, verba audire operæ pretium eſt.

19 *Blemyes* ſ. *Blemmies* & *Garamantes* non ſatis certi ſitus, intra Aequinoctialem tamen & Tropicum Cancri, ad ſiniſtrum Nili. *Meroë* & *Syene* Nili inſulæ. *Girrhæi* accolæ *Gir* fluminis, de quo ad 21, 251 aliquid dictum eſt.

Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos;
Et gens compoſitis crinem vallata ſagittis.
Nec vero ſimiles cauſſas creſcentibus undis,
Aut tempus, meruit. glacie non ille ſoluta,
Nec circumfuſo ſcopulis exuberat imbre.
Nam cum triſtis hiems alias produxerit undas,
Tunc Nilum retinent ripæ. Cum languida ceſſant
Flumina, tunc Nilus mutato jure tumeſcit.
Quippe quod ex omni fluvio ſpoliaverit æſtas,
Hoc Nilo natura refert, totumque per orbem
Collectæ partes unum revocantur in amnem.

Quoque

23 velata *vulg.* vellata *MS.* religata *MS.* 25 ut *vulg.* 29 pro jure, rure, rite, more *MSS.* 32 vires *Caj.* agmen *MSS.*

21 *Qui vaſta colit* &c. non eſt Girrhæorum deſcriptio, ſed periphraſis etymologica Troglodytarum, qui inter Nilum & ſinum Arabicum habitabant.

22 Aethiopum deſcriptio forte ex Herodoto, qui 3, 97 memorat, illos ſua ad huc ætate tertio quoque anno interjecto Perſis tributi nomine etiam pependiſſe διηκοσίας φάλαγγας (phalangas, cylindros, trabes) ἐβένυ, καὶ ἐλέφαντος ὀδόντας μεγάλυς εἴκοσι. Hinc *ebenus Meroëtica* non *Mareotica* legendum Luca. 10, 117 coll. 303 viderunt viri docti. De ebeno Plin. 12, 8.

23 De hoc Meroënſium more dictum ad 7, 21.

25 *Meruit* non dubium eſt, quin ſimpliciter ſignificet hic, accepit a natura, divinitus hoc habet &c. Quod ad rem ipſam, ſimiliter fere diſputat Herodotus l. c. Sed differte Strabo l. c. p. 543, 20 Οἱ ἀρχαῖοι ςοχασμῷ τὸ πλέον, οἱ δὲ ὕςερον αὐτόπται γενηθέντες ᾔσθοντο ὑπὸ ὄμβρων θερινῶν πληρύμενον τὸν Νεῖλον, τῆς Αἰθιοπίας τῆς ἄνω κλυζομένης, καὶ μάλιςα ἐν τοῖς ἐσχάτοις ὄρεσι· παυομένων δὲ τῶν ὄμβρων παυομένην κατ' ὀλίγον τὴν πλημμυρίδα κ. τ. λ. Conjectura veteres fere, oculis autem ſuis poſteriores deprehenderunt, inundata ab æſtivis imbribus ſuperiore Aethiopia, in extremis maxime montibus, impleri Nilum: remittentibus imbribus ceſſare etiam paullatim inundationem. Hæc hodie quoque, quod ſciam, ut certa ſumuntur v. g. a Ri. Pocokio.

30 Dicere videtur aliquid: ſed illud aliquid, metuo, nihil eſt. Equidem cum probe attendi, nihil video, præter luſum quendam ingenii & verborum, Naturam, quas aquas aliis fluminibus auferat, eas omnes Nilo infundere. Sed qua ratione, & quibus viis hoc fiat, ſcire volebant homines.

Quoque die Titana Canis flagrantior armat,
Et rapit humores madidos, venaſque calore
Compeſcit, radiiſque potentibus æſtuat axis;
Nilo bruma vehit contraria tempora mundo.
Defectum ſolitis referens cultoribus æquor
Effluit Aegeo ſtagnantior, acrior alto
Ionio, ſeſeque patentibus explicat arvis.
Fluctuat omnis ager: remis ſonuere novales
Sæpius, æſtivo jaceat cum forte ſopore,
Cernit cum ſtabulis armenta natantia paſtor.

33 cumque *vulg. præter Ald. & Heinſ.* 1 *qui habent* quoque, *ut & MS. Barth. Sed Barth. Adv.* 11, 24 *emendat* Cumque diem Titane canis flagrantior armat, *nec diſſentit Heinſ. qui etiam* Cumque *probat ex MSS.* 34 madidus *MSS.* rabidus, madidis, ſidus *conj. Barth.* et rapit humores avidus *conj. Heinſ.* calorem. *MS.* vanoſque calores *MSS. etiam Cuj.* canoſque calores *MS.* varioque calore *MS. Latet aliquid, ait Heinſ.* 36 venit *vulg.* vehit *ex MS. Heinſ.* 37 defectum ſolitumque ferens *MSS.* ſolitumque ferens *etiam Ald.* Defectum ſolitis repetenss *conj. Heinſ. Certe illa caſuum in epithetis permutatione nihil frequentius.* 39 potentibus *MS.* 41 jacuit *Raph. h. e. Scaliger: quod placet.*

33 *Quo die*, h. e. quo tempore Sirius ardentior Solem radiis vehementioribus tanquam telis armat, & humores in vaporem tollit, & fontium venas obſtruit; quo tempore, inquam, cælum radiis Solis potentioribus in reliquo orbe æſtuat: eo ipſo tempore hiems ſua, & madida tempeſtas, accolis Nili advehit tempora mundo ſ. motui corporum cæleſtium, unde æſtimant tempora reliqui, contraria, & mutat in mare campos cultoribus ſuis deſtitutos, cum ſerunt alii, & metunt &c.

38 *Stagnantior* cave ita accipias quaſi *ſtagnare* h. e. ſtare conſtet mare Aegeum, quo nihil eſt inquietius; ſed copiam aquarum ſignificat. Sed quomodo illud defendam *acrior Ionio*, non habeo, cum placidas & ſtagnantes eſſe Nili aquas conſtet. Cogitabam pro *acrior* legi poſſe *altior*: ſed nec hoc placeret, ut nimis hyperbolicum.

XLVIII

v *MAGNES* *

Quisquis ſollicita mundum ratione ſecutus
Semina rimatur rerum, quo Luna laborat
Defectu, quæ cauſa jubet palleſcere Solem:
Unde rubeſcentes ferali crine cometæ,
Unde fluant venti, trepidæ quis viſcera terræ
Concutiat motus, quis fulgura ducat hiatus,
Unde tonent nubes, quo lumine floreat arcus:
Hæc mihi quærenti, ſi quid deprendere veri

Mens

* de ſtatua Martis ferrea & Veneris magnitica *Ald.* 5 furant *Cuj.* 6 commoveat *vulg.* concutiat *etiam Cuj.* quæ -- origo *vulg.* quis -- hiatus *etiam Cuj.* 8 hæc *al.* verum *vulg.*

* Locos etiam de hoc naturæ miracuio claſſicos noſtrorum indicamus Lucret. 6, 908 & Plin. 34, 14 ſ. 32. Multa undique congeſſit Barthius.

2 *Semina rerum* ſunt etiam Lucretio paſſim, quæ elementa alias vocant, corpuſcula, in quæ denique corpora quævis reſolvantur. Ne ſolœcum ſit *laborat, jubet*; intelligamus plenam orationem obverſatam poëtæ hanc, *Rimatur* defectum, *quo defectu laborat Luna* &c. Deinde *unde* ſint *rubeſcentes* rel.

3 De Solis defectu vel eclipſi loquitur: quamquam nec illud inauditum antiquis, nec noſtra ætate phænomenon, Solis velut expalleſcentis. Plin. 2, 30 *Fiunt prodigioſi & longiores ſolis defectus: qualis occiſo dictatore Cæſare & Antoniano bello, totius pene anni pallore continuo.*

4 Antiqua ſuperſtitio a Cometis ſibi publica mala metuebat: hinc *feralis crinis*, mortium ac peſtilentiæ nuncius.

5 *Fluere* pulchre dicuntur venti, fluidum enim aër val maxime, *flare*, *fluere*, *flagrare* cognata verba e ſono venti, aquarum, flammæ ducta.

6 *Hiatus* eadem figura dicitur, qua apud Græcos Χάσμα, qua noſtri, *es thut ſich der Himmel auf:* facile fingunt ſibi homines, illud cæruleum, quod ſereno cælo videmus ſolidum quiddam eſſe, idque findi ſcindique a fulgure.

8 *Floreat* pulchre varietatem colorum iridis vigoremque exprimit. Hoc genus quæſtiones acervat & proponit, ſed multo majore doctrinæ ſubtilioris apparatu in ſuo Mallio 17, 100. Sententia autem hæc eſt, Qui miracula naturæ cæleſtia & totum orbem terrarum afficientia, rimantur, illi mihi rem parvam & ſenſui expoſitam explicant: ut ſimul rideat eos, qui cæli ſcrutantur plagas, & quæ ante pedes ſunt ignorant.

Mens valet, expediat. Lapis eſt cognomine Magnes,
Decolor, obſcurus, vilis. Non ille repexam
Cæſariem Regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec inſigni ſplendet per cingula morſu:
Sed nova ſi nigri videas miracula ſaxi,
Tum pulcros ſuperat cultus, & quidquid Eois
Indus litoribus rubra ſcrutatur in alga.
Nam ferro meruit vitam, ferrique rigore
Veſcitur: hoc dulces epulas, hoc pabula novit:
Hinc proprias renovat vires: hinc fuſa per artus
Aſpera ſecretum ſervant alimenta vigorem.
Hoc abſente perit. triſti morientia torpent
Membra fame, venaſque ſitis conſumit apertas.
Mavors, ſanguinea qui cuſpide verberat urbes,

Et

9 expediam *Heinſ.* experiar *conj. Heinſ.* 14 tunc ſuperat pulchros *al.* purpureos ſuperet *conj. Heinſ.* 15 Indi — ſcrutantur *MSS.* 16 ex ferro *vulg.* 17 has — hæc *al.* 18 hinc fuſa *vulg.* revocat *Cuj.*

9 *Magnes cognomine.* Lucret. l. c. *Quem Magneta vocant patrio de nomine Graji, Magnetum quia ſit patriis in finibus ortus.*

10 *Repexa Cæſaries* retro pexa, ne frontem nimis occultet, aut proſpectum adeo impediat. Diadema hic deſcribitur gemmis diſtincta, cujus ope retro acti crines continentur.

12 *Cingula* hominum & equorum gemmata noſter celebrat 70, 71. 73.

15 *Rubram algam* videtur vocare non a ſuo colore, ſed quod Rubri maris h. e. Oceani Indici rejectamentum ſit.

16 *Meruit* magnes, i. accepit, *vitam* a ferro. Jam tum itaque cognitum erat, ita conſervari augerique vim magnetis, ſi ſemper reſpondentem viribus ſuis ferri maſſam a ſe ſuſpenſam habeat. Paullo aliter Plin. l. c. *Sola hæc materia* (ferrum) *vires ab eo lapide accipit, retinetque longo tempore, aliud apprehendens ferrum, ut anulorum catena* (a magnete pendentium) *ſpectetur interdum: quod imperitum vulgus appellat ferrum vivum.* Illud de anulis eſt ex Platonis Ione p. 145, A. Huic certe debet Lucretius 6, 911 *Catenam Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex ſe Quinque etenim licet interdum pluresque videre Ordine demiſſos levibus jactarier auris Unus ubi ex uno dependet ſubter adhærens, Ex alioque alius lapidis vim vinctaque noſcit.* Forte etiam eo reſpicit noſter, quod ferri lamina applicata velut armandus eſt magnes, ut vim ſuam commode exſerat.

22 Utrum hanc hiſtoriam velit eſſe Claudianus, & credere nos poſtulet,

Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non una Deis: ſed ferrea Martis
Forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat de more ſacerdos.
Ducit flamma choros: feſta frondentia myrto
Limina cinguntur, roſeiſque cubilia ſurgunt
Floribus, & thalamum dotalis purpura velat.

Hic

23 gentes *pro* curas *Cnj.* 26 magnetia *MS.* magnetida *MSS.* *ut ſit* Venus Μαγνῆτις, *quod mihi placet.* Magneſia *conj. Heinſ.* 30 thalamos *al.*

poſtulet, fuiſſe aliquando tale ſpectaculum exhibitum, non auſim dicere. Debebat certe locum nominare, ut requirere lectores poſſent. Ingenioſum certe commentum ſive poëtæ fuit ſive Mechanici, Martem qui ferreus eſt, cujus nomine hodie ferrum ſignant Chemici, ſic trahi a Magnetica Venere. Poterat alioqui de hiſtoria patria ſumere argumentum de quo Plin. l. c. *Eodem lapide Dinacbares, architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus pendere in aëre videretur. Interceſſit mors ipſius & Ptolemæi, qui id ſorori juſſerat fieri.* Sed factum eſſe ait Auſonius Moſellæ v. 314 ubi ſimiles machinationes referunt Freherus & Tollius. Sex & triginta anni ſunt, cum ad locum Plinii pluſcula hac de re diſputavi Chreſtom. Plin. n. 115 no. 54. quibus modo illud unum addo, apud Caſſiodorium Var. 1, 45 commemorari *ferreum Cupidinem in Dianæ templo ſine aliqua alligatione pendentem:* & Iſid. Orig. 16, 20 *Ex eodem lapide architectus quidam Alexandriæ templum concameravit, unde & in eo ſimulacrum ferro in aëre pendere videretur.* Similem de Serapide fabellam habet Ruffinus H. E. 2, 33. Vbique ſibi ſimiles ſunt homines. Similis imperitia naturæ & miracula fingendi libido ferreum Muhammedis ſarcophagum in libero aëre ſuſpendit. Poëta tamen noſter fingit, quod naturæ non repugnat.

25 Probabilior fieri poſſit fabula, facilior machinatio, ſi facias Martem non totum e ferro; ſed, qualis eſſe ſolet, tunica tectum adamantina, ceterum de levi materia, ut ſubere, cavum &c.

27 Connubia & nuptias deorum ludere antiquum & ſolenne. Ita Bacchi & Ariadnes nuptiæ aguntur apud Xenophontem Sympoſ. extr. Sic Coronidis, e qua Aeſculapius natus eſt, apud Ariſtid. Sacr. Orat. 1 p. 289 Jebb. Sic Podalirii & matris Alexandri, itemque Lunæ & Alexandri illius ψευδομάντεως amores aguntur, apud Lucia. c. 39 ſ. T. 2 p. 245: unde illud etiam obſervamus, illum diem talis cerimoniæ δᾳδίδα dictum, καὶ δᾷδες δὲ ἐκαίοντο, ut hic *Ducit flamma choros.*

Hic mirum conſurgit opus. Cytherea maritum
Sponte rapit, cæliqve toros imitata priores
Pectora laſcivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum ſuſpendit onus, galeæque lacertos
Implicat, & vivis totum complexibus ambit.
Ille laceſſitus longo ſpiraminis actu
Arcanis trahitur gemma de conjuge nodis.
Pronuba fit natura deis, ferrumque maritat
Aura tenax. ſubitis ſociantur Numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? quæ duras jungit concordia mentes?
Flagrat anhela ſilex, & amicam ſaucia ſentit
Materiem, placidoſque chalybs cognoſcit amores.
Sic Venus horrificum belli compeſcere Regem,

Et

36 ictu, *it.* æſtu *conj. Heinſ.* 40 infundit *al.* inſudet *MS. hinc* inſudat *conj. Heinſ.* 41 duros -- montes *i. metalla montibus effoſſa conj. Barth. nec diſplicet Heinſio: & pulchre convenit* v. 41 anhela ſilex, & v. 54 jam gelidas rupes &c. 43 ignoſcit *MS. hinc* placidoque chal. igneſcit amore *conj. Heinſ.* placitosque *MS.*

31 Si talis fabula vel ſpectaculum actum eſti, oportet quacunque machinatione primo prope ſibi admota eſſe ſigna utriusque Dei, donec illam quam atmoſphæram magnetis vel ſphæram activitatis dicunt philoſophi, attingeret Mars, quo facto reliqua ſponte naturæ magneticæ potuere peragi.

33 *Flatus*, ut *Afflatus* actum potentem, ſed occultum & fugientem oculos notat: qualis eſt venti, ignis, ſiderum, contagio morbi, & hic vis magnetica.

34 *Galeam* oportet cogitare bene longam, quæ etiam cervicem & collum tegat.

36 *Spiraminis actum* eodem ſenſu ponit, quo modo *afflatum* dixerat, & ſtatim vocat *auram*. Sic *influxum* vocarunt rationem, qua anima corpus agit, non ut modum declararent; ſed ut illum a ſe non ſatis intelligi indicarent.

39 Non ſatis proprie *furta* dicit, quæ in conſpectu omnium fiunt: ſed poteſt hoc intelligi cum reſpectu ad Vulcanum, & quod nihil ſolennius eſt poëtis quam Veneris res, quæ plerumque furtim fiunt ita ſignare.

40 *Fœdera* ſolet noſter de omni lege naturæ dicere, ut 3. 4. 26,56.33, 65. Sic Lucretius in hoc ipſo argumento magnetis, 6, 906 quærit *Quo fœdere naturæ fiat* &c.

41 Ludit, cum *duras mentes* tribuit ſignis e metallo.

Et vultu mollire ſolet, cum ſanguine præceps
Aeſtuat, & ſtrictis mucronibus aſperat iras.
Sola feris occurrit equis, ſolvitque tumorem
Pectoris, & blando præcordia temperat igni.
Pax animo tranquilla datur, pugnaſque calentes
Deſerit, & rutilas declinat in oſcula criſtas.
Quæ tibi, ſæve puer, non eſt permiſſa poteſtas?
Tu magnum ſuperas fulmen, cæloque relicto
Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
Jam gelidas rupes, vivoque carentia ſenſu
Membra feris. Jam ſaxa tuis obnoxia telis,
Et lapides ſuus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris, rigido regnant in marmore flammæ.

45 vultum *al.* 46 *pro* ſtrictis, triſtes *MSS.* 47 mollitque *al.* ſolvitque *etiam Baſ. marg.* 52 *pro* fulmen, numen *MSS.* 54 ſexu *Junt. Baſ. Plant.*

47 *Equi* & currus Marti ſolent tribui e veteri & heroica militandi ratione. Sic apud Hor. Car. 3, 3. 16 *Martis equis Acheronta fugit.*

51 Lepida ad Cupidinem Apoſtrophe, qui tanta ſit potentia ut metalla etiam animare poſſit.

53 *Fluctibus in mediis mugiit* Jupiter, cum Tauri imagine Europam rapuit.

55 *Feris*, ſagitta tua percutis & vulneras.

XLIX

VI *APONUS*

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis urbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis,
Cum tua vel mutis tribuant miracula vocem,
Cum tibi Phœbeus carmina dictet honos,

Et

• De Aponis balneis *Vien. Baſ. & Gryph.* de Apone balneis *Junt.* de Apono *al.* 1 urbis *conj. Cruſ. Probab. Critt.* p. 264. 3 ſpiracula *conj. Heinſ. ad Virg. Aen.* 10, 291. 4 plebejus *omn. ante Heinſ. qui ex conjectura MSStis adjuta mutavit.*

• De nominis ratione vid. ad v. 69. De ipſo autem fonte hoc & thermis, quæ ſunt apud antiquos, ſua diligentia congeſſit Cluverius Italiæ ant. 1, 18 p. 148, in quibus memorabilis in primis eſt Caſſiod. Var. 2, 39 ubi & quæ a natura ſint in illo fonte mirabilia, deſcribitur, & quæ ars humana adjecerit, indicatur. Jubet nimirum rex Theodoricus, diligenter conſervari tam beneficum fontem, & illius ædificationum vitia partim emendari partim caveri. Memorantur ibi *cuniculi*, *ædificia thermarum*, *palatium longa ſenectute quaſſatum*; aſſignatur pecunia &c. De ſtatu hodierno hoc ipſo tempore prodiit inter Dominici Vandelli Diſſertationes tres prima de Aponi Thermis, ſed cujus copia mihi nondum facta erat, cum hæc mittenda eſſent Lipſiam. Itaque non habeo dicere, utrum in ea aliquid ſit juvando h. e. emendando explicandove, vel huic carmini aptum, vel formulæ Caſſiodorianæ. Et videtur hodiernam potius conditionem, quam hiſtoriam veterem reſpexiſſe vir doctus, certe quantum intelligi poteſt ex relatione Lipſica 1758 n. 71 p. 634 ſq.

1 *Antenora* Trojæ exſulem Patavii conditorem celebratum, notum ex Liv. 1, 1. *Porrigere* eſt extendere, producere, longiorem reddere, ut Hor. Car. 3, 16. 40 ubi pulchra antitheſis *Contracto cupidine, porrigam*, augebo, *vectigalia*.

2 *Fata noxia*, morbos peſtilentes urbis, mortemque adeo, pellit hic fons *vicinis aquis* ſuis.

4 Honos, quem Phœbo afflati poëtæ habere tibi volunt, *dictat tibi*, h. e. honori tuo, *carmina*. Reſpicit autem ad morem illum in templorum parietibus, (ut in æde Aeſculapii, in ſacello Priapi) in baſibus ſignorum, ſcribendi carmina, cujus generis magnam vim debemus Pauſaniæ, & his, qui illam Græcorum epigrammatum ἀνθολογιάν ſ. florilegium collegerunt: talia in Memnonis crure ſcripta dedit nuper Rich. Pocockius: talia in ſacello & Palatio Aponi poſita, Claudianus indicat. Sed cum hoc non ſoli poëtæ faciant, ſed pro ſuo captu etiam alii: non auſim damnare lectionem ceterorum, *plebejus*. Cum hoc faciat vulgus: quid nos poëtæ?

Et ſit nulla manus, cujus non pollice ductæ
  Teſtentur memores proſpera vota notæ;
Nonne reus Muſis pariter Nymphiſque tenebor,
  Si tacitus ſoli prætereare mihi?
Indictum neque enim fas eſt tacitumque relinqui
  Hunc qui tot populis pervolat ora locum.
Alto colle minor, planis erectior arvis,
  Conſpicuo clivus molliter orbe tumet.
Ardentis fecundus aquæ, quacumque cavernas
  Perforat, offenſo truditur igne, latex.
Spirat putre ſolum, concluſaque ſubter anhelo
  Pumice rimoſas perforat unda vias.

Humida

6 veteres *MS.* 7 videbor *MSS.* 9 ludibrium quid enim fas eſt a vate relinqui *Ald. & multi MSS. Hinc* lud. ſit enim nec fas a v. r. *conj. Heinſ.* 10 provocat *Clav. Raph. Barth. & convenit cum* plebejus *v.* 4. populis provocat ore loqui *Vien. Baſ. Junt.* provolat ore locum *Ald.* orbe *MSS.* 11 *pro* planis, parvis *vulg.* planis *e conj. Heinſ. quam firmant MSS.* patulis *conj. Heinſ.* 12 clinis *MSS.* 14 proferat *Vien.* 16 limoſas *Heinſ.* 1. *Pro* perforat, perfurit, *vel* perluit *conj. Heinſ.* limoſas perſonat *conj. Cruſius l. c.*

6 *Memores notæ*, metonymicos, quæ memoriam ſervant, ut *memores faſtos* Hor. Car. 3, 17. 4. *Vota proſpera*, quæ rata habuit Deus.

10 *Populum* accipio ampla ſignificatione, ut populum omnem Romanum, certe Italicum comprehendat. Alioqui enim *populos* hic exſpectaremus plures.

13 *Fecundus* improprie, & metaphora quadam dicitur: quaſi pariat aquam ille clivus.

14 *Offenſus* eſt etiam ex ipſa actionis reciprocæ natura, & uſu linguæ, qui offendit vel impulit. Aqua protruditur ab igne, qui ad illam offendit. Poteſt hoc facilius intelligi ab his, qui non ignorant, ope ignis ſubtus concluſi extolli, & exhauriri aquam de metalli fodinis.

15 *Putre ſolum* eſſe terram ſolutam, poris multis perviam, transmittentem molles radiculas, ex ruſticæ rei ſcriptoribus notum eſt. *Anhelus pumex*, qui ſpiritum tranſmittit per poros ſuos. *Perforare vias rimoſas* quid ſit, nemo non facile intelligit: ſed non probabile eſt, poëtam, ſi quis alius copioſum & rem variare prodigialiter aptum, uno interjecto verſu repetiturum præ paupertate idem verbum. Itaque multo magis placet, ut *unda* cum ſono quodam, viam ſibi per oblimatas fiſtulas aperiens *vias limoſas perſonet.* Βορβορυγμὸν & κορκορυγμὸν vocant Medici ſonum inteſtinorum a commotis liquidis ortum. Talis ſonus eſt cum lutum pedibus, aut manibus conſperſio farinacea, ſubigitur. Limoſæ cujuſdam naturæ ex venis quibuſdam horum fontium prodeuntis mentionem quoque Vandellus facit.

Humida flammarum regio Vulcania, terræ
Ubera ſulfureæ fervida regna plagæ.
Quis ſterilem non credat humum? fumantia vernant
Paſcua: luxuriat gramine cocta ſilex.
Et cum ſic rigidæ cautes fervore liqueſcant,
Contemtis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes effoſſo marmore ſulci
Saucia longinquo limite ſaxa ſecant.
Herculei (ſic fama refert) monſtratur aratri
Semita, vel caſus vomeris egit opus.
In medio pelagi late flagrantis imago,
Cærulus immenſo panditur ore lacus,
Ingenti fuſus ſpatio: ſed major in altum
Intrat, & arcanæ rupis inane ſubit:
Denſus nube ſua, tactuque immitis, & hauſtu,
Sed vitreis idem lucidus uſque vadis.
Conſuluit natura ſibi, ne merſa lateret,

18 tubera *Cuj.* 21 rigido *vulg.* liquido *Vien. marg.* 22 contentis *Vien. Ald. Baſ. Sed* contemptis *etiam Cuj.* 23 effoſſi *al.* 24 continuo *vel* contiguo *conj. Heinſ.* 26 nec *vel* ni, *vel* ſeu caſus *conj. Heinſ. Pro* caſus, Cacus *conj. Barth. male judice Heinſ.* 27 ſtagnantis *conj. Heinſ. ſed ipſius judicio non neceſſaria.* 30 arcatæ *conj. Heinſ. ut* 28, 518. 31 merſus *MSS.* 33 tota *MSS. & placet Barthio.* ne tota niteret *Baſ. Sed* merſa *in marg.* *&* lateret *Cuj.*

17 Hic etiam gratiam captat ex antitheris, quæ ſic ordinanda videntur, Regio Vulcania flammarum eadem eſt humida: regna fervida plagæ ſulfureæ eadem ſunt terræ ubera.

20 Plin. 2, 103 *Patavinorum fontibus calidis herbæ virentes innaſcuntur.* Confervæ ſpecies quasdam hodie in ferventibus aquis naſci, Tremellam item & marinas quasdam plantas ex Vandello refertur l. c. p. 635: etiam animalia quædam, inteſtina aquatica, ſcarabæos amphibios, vermes culicum & alia.

23 De his ſulcis nihil eſt apud Caſſiodorium. *Longinquum* hic pro ſimplici longum dici apparet.

28 *Immenſum* de profunditate accipiendum. Caſſiodorius ita: *Cæruleum fontem vidimus in formam dolii concavis hiatibus æſtuantem, & fornaces anhelantium aquarum —— quæ licet more calidæ nebuloſos vapores exhalent, hanc tamen jucundam perſpicuitatem aſpectibus humanis aperiunt, ut quivis hominum illam gratiam deſideret contingere, etiam cum non ignoret ardere.*

Admiſitque oculos, quo vetat ire calor.
Turbidus impulſu venti cum ſpargitur aër,
Glaucaque fumiferæ terga ſerenat aquæ;
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi:
Tunc veteres haſtæ regia dona micant:
Quas inter, nigræ tenebris obſcurus arenæ,
Diſcolor abruptum flumen hiatus agit.
Apparent infra latebræ, quas gurges opacus
Implet, & abſtruſus ducit in antra ſinus.
Tunc montis ſecreta patent; qui flexus in arcum
Aequora pendenti margine ſumma ligat.

Viva

35 Zephyri cum tergitur *conj. Heinſ.* 36 claraque *MSS. Cuj.* 38 *pro* haſtæ, tali *conj. Heinſ. V. N.* 39 tenebris *Ald. MSS.* 41 intra *al.*

35 *Turbidus* a vapore illo ferventis aquæ aër cum venti impulſu diſpergitur &c. *Glaucus* color nebulæ ſulfureæ.

38 Quæ ſint illæ *baſtæ veteres, dona regia*, non docet, h. e. de illis tacet, & nihil niſi jucundam perſpicuitatem laudat, Caſſiodorius. Videntur homines quidam beati, qui vidiſſent illud naturæ ſpectaculum, vel ſalutem inde retuliſſent, relinquere voluiſſe ſui memoriam, haſtis in fundum jactis, forte cum titulo, quæ memoriam illorum ſervarent; forte etiam ſignarent terminos illius diſcoloris fluminis per aquam pellucidam euntis: ſive ab alveo tantum vel ſulco coloretur, ſive ipſa aliter colorata reliquæ pellucidæ non admiſceatur, cujus generis miracula paſſim videntur. Enarrat plura Plin. 2, 103. Pellucidas autem valde fuiſſe fontis aquas, apparet ex Sueto. Tiber. c. 15 ubi de aureis talis quos Tiberius ex oraculo in Aponi fontem jecerat, *Hodieque*, inquit, *ſub aqua viſuntur ii tali*. Eſt in vicinia Gottingæ fons ſub ipſum e ſuo lacu egreſſum molam plurium rotarum agens, cujus aqua lucidiſſimæ perſpicuitatis oculos ad fundum usque multis cubitis a ſuperficie remotum transmittit.

39 Modo monebam, videri haſtas ad hoc depreſſas, ut ſignarent terminos *obſcuri* ilius a *tenebris nigræ arenæ hiatus*.

41 Cogitare oportet ſpecum variis cavis & velut labyrinthis conſtantem, ſuperne tamen arcuatis velut fornicibus tectam.

43 Illud *tunc* reducit lectorem ad illam conditionem v. 35 memoratam.

44 Circa hunc fontem, qua apertus eſt & patet, mons in arcum flexus jungit ſummam planitiem ſuam margine ſubtus cavo (hoc enim eſt *pendens, penſile, ſuſpenſum*) qui margo tanquam *ſcena* e *vivis* virentibusque ceſpitibus contexta, circumdat, *coronat*, & conſtringit *vapores* exhalantes. Ille margo (ſubjectis ſaxis pumiceis fornicatus) eſt terra quæ exili cortice *natare* propter elaſticam mobilitatem dici poteſt &c.

Viva coronatos adſtringit ſcena vapores,
Et levis exili cortice terra natat,
Calcantumque oneri numquam ceſſura virorum,
Suſtentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas, ſic leves circuit oras
Ambitus, & tenuis perpetuuſque riget.
Hærent ſtagna lacu plenas; æquantia ripas,
Præſcriptumque timent tranſiluiſſe modum:
Quod ſuperat, fluvius devexa rupe volutus
Egerit, & campi dorſa recurva petit.
Devehit exceptum nativo ſpira meatu.

45 *pro* ſcena, ſæva *Baſ.* & ſcæna *marg.* 46 fornice, *vel* cæſpite *conj. Heinſ. vel* ceu -- natet. 47 calcaturque *Baſ. Junt.* nuſquam *malit Heinſ.* 48 firma *Cuj.* 49 lenes *al.* 50 alveus -- rigat, *vel* ambitus -- ligat *conj. Heinſ.* 51 arent *MS.* loco *al.* planas ripas *etiam contra libros legi vult; Heinſ. Non audio.* 52 exſiluiſſe *MSS.* & *Raph.* 53 fluvio *Baſ. marg.* 55 ſpuma *vulg.* ſpina *MSS. Ald.* vicino ſpuma recurvo *MS.* ſigma *conj. Barth. i. e. figura literæ C.* ſpira *conj. Heinſ.*

45 Ad *coronatos* illos *vapores* intelligendos mirifice accommodatus eſt Caſſiodorii locus non procul ab initio, ubi memorat *fornaces anhelantium aquarum circumducto tereti labio* (ſic pulchre Garet. pro abſurdo illo *tentilatio*) *naturæ probabili diſpoſitione coronatas.* Quem *marginem* vocat poëta, illud eſt *teres labium* Caſſiodorii. *Fornaces anhelantes* in ferrariis magnis qui viderit, illis igneis vaporibus mente ſubſtituat æſtuantis aquæ fervidam ebullitionem, & habebit imaginem Aponi, qualem Claudianus cum iſta ſcriberet conceperat.

48 *Fida ruina*, jucunda antitheſi. Qui incedunt per illum marginem, ruinam ob inſtabile & repercutiens veſtigium metuunt, ſed illa *fida* eſt, nihil mali adfert, ruenti ſimilis ſemper reſtituit ſe.

50 *Ambitus*, quem *marginem* modo vocarat, *teres labium* Caſſiodorius, tenuis ille quidem eſt, *exili cortice*, ſed tamen *perpetuus*, cohærens, *riget*, rigorem & tenorem ſuum ſervat.

51 *Plenæ ripæ* idem notant, quod alveus plenus. Vehementius etiam Caſſiodorius, *Ore pleniſſimo, in ſphæræ ſimilitudine, ſupra terminos ſuos aquarum dorſa turgeſcunt: unde latex tanta quiete defluit, tanta quaſi ſtabilitate decurrit, ut eum non putes decreſcere, niſi quia inde aliquid rauco murmure ſentis exire.*

55 *Spira*, foſſa vel alveus varios flexus habens. Caſſiodorio *recurva ſpatia, quæ arte facta ſunt longiora.* Anfractus hos dum percurrit aqua, paullatim tepeſcit. *Patulas plumbi vias* eſſe eas, quas fiſtulas dicunt architecti, apparet: & utitur ſtatim hoc nomine ipſe poëta.

In patulas plumbi labitur inde vias.
Nullo cum ſtrepitu, madidiſque infecta favillis,
Deſpumat niveum fiſtula cana ſalem.
Multifidas diſpergit opes, artemque ſecutus
Qua juſſere manus, mobile torquet iter,
Et junctos rapido pontes ſubtermeat æſtu,
Afflatoſque vago temperat igne tholos.
Acrior interius, rauci cum murmure ſaxi,
Spumeus eliſo pellitur amne vapor.
Hinc pingues repetunt feſſi ſudore lacunas:
Frigora aquis longæ blanda dedere moræ.
Salve Pæoniæ largitor nobilis undæ,
Dardanii ſalve gloria magna ſoli:

Publica

56 patulos tubos *conj. Heinſ.* 57 nullo tum *MS.* madidis inf. *vulg.* 60 duxere *Cuj.* 61 ſubtervehit *MSS.* *unde* ſubter venit *conj. Heinſ. ad Aen.* 6, 132. ſubterluit *conj. Heinſ.* *pro* pontes, ſentes *MS.* montes *MS.* 63 acrius *vulg.* interea *MS.* 65 hinc pigras *vulg.* rigidas, nigras *conj. Heinſ.* 66 frigore *MSS.* *Ald.* frigora aquis *MSS.* *pro* blanda, damna *al.*

57 *Madidas favillas* puto dici tophaceam illam cinericii coloris materiem, quæ fiſtulis adhæret, quæ ſurculos etiam & plantas cruſta quadam ſolet obducere. Hujus rei non minus, quam *ſalis nivei* h. e. candidi, quem καθαρτικὸν eſſe prædicat, mentionem facit Vandellus laudatus.

62 *Tholi* ſunt fornices. Deſcribit cellas, in quas immiſſa fervens aqua, ſudationes efficit. Caſſiodorius, *Protinus ſaxo ſuſcipiente colliſa* aqua *inhalat primæ cellulæ ſudatoriam qualitatem.*

65 *Pingues* dicit *lacunas*, quarum aquis aliquid oleoſum, ſulfureumve admixtum Unguntur alias poſt ſudorem in balneis.

66 Caſſiod. deſcribit gradus imminuti caloris: *Deinde -- minaci ardore depoſito, ſuavi temperatione molleſcit: mox -- cum aliqua dilatione torpuerit, multo blandius intepeſcit: poſtremo ipſo quoque tepore derelicto, in piſcinam Neronianam* (partem ſ. membrum credo thermarum Neronis, de quibus Mart. 7, 33 *Thermis quid melius Neronianis?*) *frigida tantum efficitur, quanto prius ferbuiſſe ſentitur.*

67 *Pæonia unda*, quæ vim medicam habet, vid. ad 24, 173.

68 *Dardanium* vocari, quidquid quocunque modo Trojanum eſt, Virgilii lectoribus notum: eodem igitur ſenſu *Dardanium* hic *ſolum* dicitur, ut v. 1 *urbs Antenorea.*

Publica morborum requies, commune medentum
Auxilium, præſens numen, inemta ſalus.
Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et noſtro Phlegethon devius orbe calet:
Sulfuris in venas gelidus ſeu decidit amnis,
Accenſusque fluit, quod manifeſtat odor.
Sive pari flammas undarum lance rependens,
Arbiter in fœdus mons elementa vocat:
Ne cedant ſuperata ſibi; ſed legibus æquis
Alterius vires poſſit utrumque pati:
Quidquid erit cauſſæ, quocumque emitteris ortu,
Non ſine conſilio currere, certa fides.
Quis caſum meritis adſcribere talibus audet?
Quis negat auctores hæc ſtatuiſſe Deos?
Ille pater rerum, qui ſæcula dividit aſtris,

69 meretur *Vien. Junt. Baſ. ſed* medentum *in marg.* Medentum *eſt ab Aldo.* 70 ſubſidium *MSS.* 72 latet *MSS.* 74 ruit *MSS.* 75 ſive pares *vulg.* parens *MSS.* pari *Cuj. & ex MSS. Heinſ.* 79 erat *vel* ineſt *conj. Heinſ.* remitteris *vulg.* emitteris *Ald. & MSS.* emergitis *MS. unde* emerſeris *conj. Heinſ.* 80 corruit *MS.* 81 auſit -- neget *conj. Heinſ.*

69 Hoc elogium comprehenditur *ipſo* nomine fontis, cum *ἄπονος* vocatur, qui immunitatem præſtet & liberationem *τῶν πόνων*, quo nomine & dolores & morbi comprehenduntur. Ut igitur *ἄποινα* ſunt quibus redimuntur *ποινή*, pœnæ, mala eorum, qui hoſtes fuerant capti: ſic *ἄπονος* fons, quo depelluntur morbi ac dolores. De his lavacris Caſſiodorius, *Unde non tantum deliciosa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur. Seilicet ſine tormento cura, ſine horrore remedia, ſanitas impunita, balnea contra diverſos dolores corporis attributa.* Quod inemta *ſalus* a poëta vocatur, ad *inemtas dapes* reſpicit Hor. Epod. 2. 48 quas hortus domino præſtat.

76 *Mons* ille ſive collis, unde oritur Aponus, tanquam *arbiter*, *elementa* alios inter ſe pugnantia in concordiam ac *fedus* vocat. Nempe ad Heracliticam illam *ἐναντιοτροπὴν* reſpicit, de qua dictum ad 17, 72. Caſſiod. *Merito dicunt Philoſophi, elementa ſibi mutuis complexibus illigari & mirabili conjungi federatione, quæ inter ſe contraria intelligantur varietate pugnare &c.*

81 Hypallage & ſolitæ conſtructionis immutatio, ſed verum tamen dicit. Nam idem eſt, ſive cauſam adſcribas tribuaſve effectui, ſive contra effectum cauſæ.

Inter prima poli te quoque ſacra dedit,
Et fragilem noſtri miſeratus corporis uſum
Telluri medicas fundere juſſit aquas,
Parcarumque colos exoratura ſeveras
Flumina laxatis emicuere jugis.
Felices, proprium qui te meruere, coloni,
Fas quibus eſt Aponon juris habere ſui.
Non illis terrena lues, corrupta nec Auſtri
Flamina, nec ſævo Sirius igne nocet.
Sed quamvis Lacheſis letali ſtamine damnet,
Inde ſibi fati proſperiora petunt.
Quod ſi forte malus membris exuberat humor,
Languida vel nimio viſcera felle virent,
Non venas reſerant, nec vulnere vulnera ſanant,
Pocula nec triſti gramine miſta bibunt:
Amiſſum lymphis reparant impune vigorem,
Pacaturque ægro luxuriante dolor.

84 te q. ſ. colit *MSS.* *inde* colit. p. ſ. dedit *conj. Barth.* & *Heinſ.* 86 tellurem *MS.* 90 Aponum *al.* 92 lævo *MSS.* 94 fata *editi omnes* & *MSS. pene omnes: nec repugnat verſus.* fati *MS.* & *Heinſ.* undæ *it.* inde fata ſibi *MS.* *unde* undis f. ſibi *conj. Heinſ.* fatis *ex MSS. defendit. Barth.* 96 rubent *vulg.* virent *ex MSS.* & *exemplis Heinſ.* 97 reſecant *MSS. Vien. marg.* & *Baſ. marg.* 99 nymphis *MSS.*

84 *Sacra poli*, τὰ θεῖα, cæleſtia Dei opera.

93 Recedit a vulgari fabula, qua Lacheſis colum tenet, Clotho producit filum, quod abſcindit Atropos: & facit mortem poſitivum quiddam, ut loquuntur Philoſophi, non meram vitæ abruptionem. *Lacheſis* generale Sortis nomen eſt, cui mors non minus quam vita ſubjecta eſt.

97 Duo illa remedia vellicat, in quibus ſemper non ſine ægrorum hinc periculo hinc ſalute pugnarunt medici: alteris morbos omnes per venarum vulnera & alvi portam ejicere conantibus, clamantibus alteris, per eas vias ipſam vitam & ſalutis fundamenta everti. *Triſte gramen* pulchre ſignat amaras omnes & radices & herbas, quibus alvus ducitur.

100 Adeo *pacatur dolor* (πόνος) ut luxuriari etiam, qui paullo ante æger erat, poſtliminio incipiat.

L

VII *DE PIIS FRATRIBUS ET EORUM STATUIS QUAE SUNT APUD CATINAM*

Adſpice ſudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos ſemper honore coli.
Juſta quibus rapidæ ceſſit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Aetna faces.

Tt 5 Complexi

* de Siculis fratribus *Claver.* 3 luſtra *Junt. Baſ.* rabidæ *Cuj.* 4 rettulit *conj. Heinſ. & ſic Cuj.* expulit *Cuj.*

* Nobilis & antiqua narratio, μυθωδεστέρα illa quidem jam viſa Lycurgo in Leocr. c. 23: ſed aſſeverare eadem relata in Ariſtotelis ut putatur de mundo aureo libello c. 6, ubi poſt mentionem incendii Aetnæi, Ἔνθα καὶ τὸ τῶν εὐσεβῶν γένος ἐξόχως ἐτίμησε τὸ δαιμόνιον, περικαταληφθέντων ὑπὸ τοῦ ῥεύματος, διὰ τὸ βαστάζειν γέροντας ἐπὶ τῶν ὤμων γονεῖς, καὶ σώζειν. πλησίον γὰρ αὐτῶν γενόμενος ὁ τοῦ πυρὸς ποταμὸς ἐξεσχίσθη παρέτρεψέ τε τὸ μὲν ἔνθα, τὸ δ' ἔνθα, καὶ ἐτήρησεν ἀβλαβεῖς ἅμα τοῖς γονεῦσιν τοὺς νεανίσκους. Inſigni honore affecit Piorum familiam Deus, ab ipſo flumine ignis deprehenſorum, quod ſenes humeris parentes ſervandi cauſa ſuſtuliſſent. Cum enim jam prope illos eſſe torrens ignis, diffiſſus hinc inde ſe avertit, & (tanquam in inſula) ſervavit illæſos una cum parentibus adoleſcentes. Non oblitus eſt hac hiſtoria ſuum de Aetna carmen exornare Severus a v. 621. Habent etiam, ut de aliis taceam, Strabo 6 p. 185 extr. ubi Ἀμφίνομον & Ἀναπίαν illos nominat. De varietate circa patriam & nomina vid. Salmaſ. ad Soli. p. 78, a, & VV. DD. ad Valer. Max. 5, 4 ext. 4. Pauſanias Phoc. ſ. 10, 28 hiſtoriam habet ut Lycurgus ſine nominibus. Urbem Catinam, Gr. κατάνην, ita ſignat Sil. 14, 197 *Et Catane generaſſe pios celeberrima fratres.* Auſo. de Urbib. 11 p. 249 Toll. *Ambuſtorum fratrum pietate celebrem* vocat. Memoria rei tam inſignis ſervata in multis Catinenſium numis, quos collectos videre licet in Geſſneriano opere Tab. 30. Noſter hoc ſibi in primis ſumſit, ut vel pictam in tabula, hanc hiſtoriam vel expreſſam ſtatuis pulchra ecphraſi illuſtraret, vel pictorem ſtatuariumve dum inſtruere videtur. poëtam ſe probet, & illud Horatianum exemplo firmet, *ut pictura poëſis erit.* Igitur coram ſe fingit contemplari ſtatuas, & oſtendere aliis. Huc pertinet primum ſtatim verbum carminis, *Adſpice* &c.

4 Laudatiſſimæ Metaphoræ bonis judicibus, quæ ſenſum & mentem inanimatis tribuunt, ut hic *mirata Aetna* pulchrum adeo & pium ſpectaculum.

Complexi manibus fultos cervice parentes,
Attollunt vultus, accelerantque gradus.
Grandævi gemina ſublimes prole feruntur,
Et cara natos implicuere mora.
Nonne vides, ut ſæva ſenex incendia monſtret?
Ut trepido genitrix invocet ore Deos?
Erexit formido comam, perque omne metallum
Fuſus in attonito palluit ære tremor.
In juvenum membris animoſus cernitur horror,
Atque oneri metuens, impavidusque ſui.
Rejectæ vento chlamydes. dextram exſerit ille,
Contentus læva ſuſtinuiſſe patrem.
Aſt illi duplices in nodum colligit ulnas
Cautior in ſexu debiliore labor.
Hoc quoque præteriens oculis ne forte relinquas,
Artificis

6 attollant -- accelerent *Junt. Baſ. al. etiam Barth. & Heinſ.* 1. *Sed* attollunt ---- accelerant *jam Vien. Ald.* ut tollant *conj. Heinſ.* 8 clara *Baſ. Junt. quod corruptum ex* chara. 11 arrexit *conj. Heinſ.* 12 ore color *vulg. Sed* ære tremor *Vien. marg. Ald. & MSS.* timor *Baſ. marg.* 15 erigit *vulg.* egerit *Vien. marg. MSS. ap. Heinſ. unde ille* exſerit, *quod firmat MS.*

5 *Fultus* dicitur aliquis ea re, in qua ſedet ut in throno. Sic 10, 152 *Hoc navigat oſtro Fulta Venus:* & 24, 199 *Solio fultus eburno.*

7 *Sublimis*, qui pedibus terram non attingere poteſt, ut in comœdiis, qui *ſublimes rapiuntur* vel *arripiuntur.*

11 Nunquam pulchrior, nunquam magis poëta Claudianus eſt, quam in picturis. Timor totum corpus timentis pervadit: hic *fuſus* eſt ab artifice per totum metallum.

13 *Horroris* indicia ſunt etiam in juvenum vultibus & geſtu, ſed ejus, qui animum non dejiciat, ſed una cum pilis erigat, ut gallinaciorum collo plumas, in canibus & apris ſetas, tanquam tela ad repugnandum videmus erigi: unde etiam *horrere acies* dicuntur a ſublatis armis.

15 *Rejectæ vento chlamydes* juvenum mihi non placent. Adverſo vento, vel ſumma certe celeritate currentibus ut ipſi ventum ſibi adverſum nixu ſuo videantur facere, poteſt hoc evenire, ſed non poteſt in his, qui currere propter onus non poſſunt, quos flammæ, quæ ſemper flatum & ventum habet, a tergo perſequitur. Deinde impoſiti humeris, hærentes tergo vetuli parentes volare chlamydas & ludibria ventis eſſe non patiuntur.

Artificis tacitæ quod meruere manus.
Nam conſanguineos eadem cum forma figuret,
Hic propior matri ſit tamen, ille patri.
Diſſimiles animos ſolertia temperat artis:
Alter in alterius redditur ore parens.
Et nova germanis paribus diſcrimina præbens,
Diviſit vultus cum pietate faber.
O bene naturæ memores, documenta ſupernæ
Juſtitiæ, juvenum numina, vota ſenum:
Qui ſpretis opibus medios properaſtis in ignes
Nil præter ſanctam tollere canitiem.
Haud equidem immerito tanta virtute repreſſas
Enceladi fauces obriguiſſe reor.
Ipſe redundantem frenavit Mulciber Aetnam,
Læderet exempli ne monumenta pii.
Senſerunt elementa fidem. Pater affuit æther,
Terraque maternum ſedula juvit onus.

Quod

23 annos *vulg.* animos *etiam Baſ. marg. MSS.* 25 quærens *MSS.* 27 ſuperbæ *Vien. marg.* 28 lumina *conj. Heinſ. qui ſic dedit ed.* 1. *Sed bene eſt, quod numina reducta ſunt ed.* 2. nota *Vien. ſed* vota *marg.* 29 medio in igne *MS. quod probat Barth.*

20 *Manus artificis*, licet hoc non ſit adſcriptum, *tacitæ* tamen *meruerunt*, ne hoc, quod ſtatim dicam, *oculis prætereuntes relinquas* non conſideratum.

21 *Conſanguineos*, ὁμαίμους eſſe fratres, vel ille Aen. 6, 278 *Conſanguineus leti ſopor* nos admonere poteſt.

23 *Diſſimiles annos* etiam probabile eſt. Similes poſſunt eſſe, & tamen altera ſenilis facies, altera juvenilis.

26 *Faber* pietatem unicuique fratrum ſuam, i. geſtum pietatis exſerendæ, ſed vultum etiam cuique ſuum tribuit, hoc eſt *diviſit*.

28 *Juvenum numina* ſunt Pii fratres, quatenus imitari illos debent juvenes. Optimus numinis cultus eſt illius imitatio. Iidem ſunt *vota ſenum*. Quis enim ſenex non optet tales eſſe, tales ſe præſtare ſuos filios.

32 *Enceladus* Aetna injecto gravatus, cum graviter anhelat, ignes ejicit. Hujus furor obſtupeſcit ad conſpectum tantæ pietatis &c.

35 *Elementa*, corpora naturalia, ſenſu fidei filiorum & pietatis in parentes tacta ſunt. Itaque aër, ventus. *Pater æther adfuit* portanti patrem; matre oneratum *Terra mater* adjuvit.

Quod ſi notus amor provexit in aſtra Lacoṇas,
Aeneam Phrygio raptus ab igne pater;
Si vetus Argolicos illuſtrat gloria fratres,
Qui ſua materno colla dedere jugo:
Cur non Amphinomo, cur non tibi, fortis Anapi,
Aeternum Siculus templa dicavit honos?
Plura licet ſummæ dederit Trinacria laudi,
Noverit hoc majus ſe genuiſſe nihil:
Nec doleat damnis, quæ devius intulit ardor:
Nec gemat exuſtas igne furente domos.
Non potuit pietas flamma ceſſante probari.
Emtum eſt ingenti clade perenne decus.

41 Onupi *Vien. Junt. Baſ.* Anaphi *Vien. marg. Gryph. Vid. quos laudamus ad lemma.* 42 dicabit, dicarit *Cuj. & conj. Heinſ.*

37 *Fratrem* ſuum Caſtora, natura mortalem, Tyndari conceptum ſemine, *alterna morte redemit Pollux*, cujus Jupiter pater erat. Vid. ad Virg. Aen. 6, 121. Aeneam quis non pictum vidit in fronte Aeneidos ex 2, 721?

39 Biton & Cleobis ab Herodoto celebrati 1, 31 ex ore Solonis. Sed nos utemur Ciceronis verbis Tuſ. 1, 47 *Argiæ ſacerdotis Cleobis & Biton filii prædicantur -- Cum illam ad ſolenne & ſtatum ſacrificium curru vehi jus eſſet, ſatis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta, tunc juvenes -- veſte poſita corpora oleo perunxerunt, ad jugum acceſſerunt -- Sacerdos precata a Dea* (Junone, puto) *eſſe dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſit a Deo: poſt epulatos cum matre adoleſcentes ſomno ſe dediſſe, mane inventos eſſe mortuos.*

43 Multos cives ſuos templis & ſtatuis honoravit Sicilia, ut illos conditores ſuos Acragunta, Gelan, ut Damonem & Pinthian, ut Archimedem &c.

45 Splendidæ ſunt tales magnarum calamitatum velut excuſationes, & ſimiles illis φιλοσοφήματα, quibus utuntur in Theodicaea docti homines, immo illi veteris eccleſiæ dicto, quod relatum etiam in Sequenti Natalis Dominici, in aurora ad miſſam ſecundam canenda, O *culpa nimium beata, qua redemta eſt natura.* Sed difficile eſt hoc perſuadere hominibus eo tempore, quo maxime opus eſt. Maluiſſent Catinenſes pietatem civium ſuorum in calamitate privata eminere.

EPIGRAMMATA

LI

1 *DE MULABUS GALLICIS*

Adſpice morigeras Rhodani torrentis alumnas
Imperio nexas, imperioque vagas,
Diſſona quam varios flectant ad murmura curſus,
Et certas adeant voce regente vias:
Quamvis quæque ſibi nullis diſcurrat habenis,
Et pateant duro libera colla jugo;
Ceu conſtricta tamen ſervit, patienſque laborum
Barbaricos docili concipit aure ſonos.
Abſentis longinqua valent præcepta magiſtri,
Frenorumque vicem lingua virilis agit.

Hæc

Viennenſis non habet. 3 munera, mœnia, numina *MSS.* currus *conj. Heinſ.* 5 longis *Heinſ. ex MSS. & Cuj.* 7 *pro* ſervit, ſerum *MS.* *hinc* frenis *conj. Heinſ.* luporum *pro* lupatorum *conj. Heinſ.* 9 abſentis doctique *MS.* 10 vices *vulg.*

1 Quum hic Barthius ad ſuam experientiam, & viſa a ſe ad Rhodani ripas mularum agmina, quaſi certabundus cum poëta, provocet; poſſumne ego tacere magnam vim mularum, majorem partem ſplendide ornatarum, quippe Gallicorum Ducum ſupellectilem geſtantium, quas per duo hoſce annos de feneſtra mea, tintinnabulis, quæ ſuſpenſa habent, excitatus, vidi? *Rhodanum torrentem* quaſi proprio epitheto appellat, cujus ubique memoretur celeritas.

2 Imperio & voce ſola perficit mulio, ut veniant, ad jugum & plauſtrum accedant, vel ut diſcedant.

6 *Patent colla*, quia nulla eorum pars jugo tegitur.

10 *Auris* itaque mulabus his pro ore frenato eſt, vel frenum in aure eſt, ut poſſis convertere illud Horatianum Epiſt. 1, 15. 13 *Sed equi frenato eſt auris in ore.*

Hæc procul anguſtat ſparſas, ſpargitque coactas,
Hæc ſiſtit rapidas; hæc properare facit.
Læva jubet? lævo deducunt limite greſſum.
Mutavit ſtrepitum? dexteriora petunt.
Nec vinclis famulæ, nec libertate feroces,
Exutæ laqueis, ſub ditione tamen.
Conſenſuque pares, & fulvis pellibus hirtæ
Eſſeda concordes multiſonora trahunt.
Miraris, ſi voce feras pacaverit Orpheus,
Cum pronas pecudes Gallica verba regant?

12 hæc properat reſides *volebat Barth.* 13 ordine currum *Junt. Baſ. Plant.* limite curſum *Ald.* & *MS.* limite greſſum *Baſ. marg. Raph. Claver. Heinſ.*

11 *Anguſtare* eſt in anguſtius ſpatium cogere, ut Stat. Theb. 12, 666 *Theſeus agmina anguſtat*, cogit.

13 *Læva jubet* intelligamus *petere*: ut hodie non modo in regendis animalibus, ſed in militaribus etiam imperiis, uno verbo, & monoſyllabis ſi fieri poſſit, jubent vel vetant.

17 An *fulvis* leonum *pellibus* tegebantur mulæ? Sic puto, illæ præſertim, quæ eſſedis junctæ eſſent. Hæ quoque frenis, ut videmus, caruerunt.

19 *Feræ*, quam diu feræ ſunt, bella cum iis gerimus: *pacantur* cum manſueſcunt. Sic eas pacavit Orpheus.

20 *Pronas* in terram, ut in illo *Pronaque cum ſpectent animalia terram* Ovid. Met. 1, 84.

LII

LII

11 *DE SENE VERONENSI QUI SUBURBIUM NUNQUAM EGRESSUS EST*

Felix, qui patriis ævum tranſegit in agris,
Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem:
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numeret ſæcula longa caſæ.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator tremuit, non claſſica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis
Adſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule, computat annum:
Autumnum

De Senatore Veron. *quidam MSS.* 1 propriis *vulg. Sed* patriis *jam Baſ. marg. auctores alios congerit Heinſ.* 2 quem vidit puerum quem domus una ſenem *Cuj.* 4 unius & *MS. hinc* enumerat *conj. Heinſ.* 7 nec — nec *Cuj.* timuit *al.*

2 *Ipſa* repetitum reſpondet Græco ἡ αὐτὴ, eadem.

3 Pulchre opponit vel componit potius *imbecillitatem* ſenis baculo nitentis, infantiæ reptanti velut quatuor pedibus, cum reſpectu ad illud Sphingis ænigma de animali quadrupede, bipede, tripede.

4 Ponit *trium ſæculorum ſenem*, trium ætatum, ut eſt v. 20, nonagenario propinquum; ſæculum enim XXX vel XXXIII anni. Hic numerat totidem ſæcula commorationis in eadem caſa.

6 Periphraſis translatæ habitationis, ut in illo Virg. Ecl. 1, 63 *Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.*

8 *Raucus* ſolemne cauſidicorum, qui in foro audiuntur epitheton. V. G. Mart. 4, 8 *Exercet raucos tertia cauſidicos.*

9 *Indocilis* non ſtuporem notat, ſed incuriam diſcendi, quid geratur.

11 Solent *alternare* quaſi fruges, & hoc anno hæ alio aliæ exuberare, ut poſſis ſignare hunc annum vini copia, alium ubertate tritici &c.

Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idemque reducit,
Metiturque ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercum,
Aequævumque videt conſenuiſſe nemus.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat litora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmiſque lacertis
Aetas robuſtum tertia cernit avum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

15 hic genitam m. p. de germine qu. *Cuj. quod placet, aut certe* parvo qui a ger. q.

13 Si ſit a mare remota illius habitatio, non dicit Solem mari ſe merſiſſe, ſed poſt montem ſibi vicinum ſe occultaſſe.

14 *Suo orbe*, ſuo horizonte, quatenus proſpectus de villa ſua patet.

22 Ut ſæpe alias, ita in hoc loco, *hic* ad remotius ordine Grammatico reſpicit, *ille* ad proximius: & h. l. recte. *Hic* meus ſenex, de quo cano; *ille* alter, cujus modo mentionem feci obiter.

LIII

III *DE APRO ET LEONE*

Torvus aper, fulvuſque leo coïere ſuperbis
Viribus: hic ſeta, ſævior ille juba.
Hunc Mars, hunc Cybele laudat. dominatur uterque
Montibus. Herculeus ſudor uterque fuit.

1 ſuperbi *malit Barth. & ego.* 2 ſetis *ante Heinſ.*

* Videtur ſubſcriptum tabellæ in qua picta duo animalia: vel baſi in qua ſtabant ſigna.

2 Erectis & horrentibus in pugnam aper ſetis, jubis leo, facti erant, vel finguntur.

3 Mars cur aprum ſibi vindicet, non robur modo & impetus ille in cauſa eſt a quo commune epitheton habent θήριος· ſed videtur alludi ad fabellam, in apro qui Adonidem Veneris amaſium interfecit, latuiſſe rivalem illius Martem: aut certe in illo venatu apri a Marte Adonidem eſſe occiſum. Vid. Tzetz. ad Lycophr. 831. Homerus Ιλ. Δ, 253 de Idomeneo συὶ εἴκελος ἀλκήν.

Herculis *ſudor* i. e. laboris ſ. certaminis argumentum aper Erymanthius, Nemeæus ſ. Cleonæus leo &c. Vid. 3, 285 ſq.

LIV

IV. *DESCRIPTIO ARMENTI FRAGMENTUM*

Non tales quondam ſpecies tulit armentorum
Tellus tergemino ſubdita Geryoni.
Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros,
Tarpejo referunt quos pia vota Jovi.
Non talis Tyrias ſparſiſſe juvencus arenas
Dicitur, optatum quando revexit onus.
Non Cretæus ager, nec amati conſcia tauri
Gnoſſos, nec ſimiles paverit Ida feras.
Ipſe & diſpariles monſtro commiſſus in artus,
Qui crimen matris prodidit ore novo,
Cres puer haud talem potuiſſet reddere formam,
Præſtarem totum ſi fera membra patrem.

* * *

1 talis *malit Heinſ.* 2 Geryonæ *malit Heinſ.* 8 feros *MSS. quod præferendum videtur.* 9 diffuſus *vulg.* diffiſus, confuſus *al.* commiſſus *etiam Cuj. quod ex MSS. & auctoritate aliorum firmat Heinſ.* 10 condidit *vulg.* prodidit *eſt a Clav.* 12 portaſſent *vulg.*

* Etiam hoc epigramma videtur, qualia in Myronis buculam exſtant Græcorum & Auſonii, qualia ſunt in Amphitheatro & alia multa Martialis. Non eſt opus putare fragmentum eſſe.

2 Inter Herculis labores Geryonis, tricorporis illius Regis: boves abducti ex ultima Hiſpania per Galliam & Italiam. Vid. ad Aen. 7, 662.

3 De hoc dictum ad 28, 506.

5 Taurus Europæ Tyriæ raptor, in quo Jupiter latuit. Deſcribit Ovid. Met. 2, 852 *Color nivis eſt* - *Colla toris exſtant: armis palearia pendent. Cornua parva -- magis perlucida gemma -- Pacem vultus habet.*

7 Ad Paſiphaës, Minoïs conjugis, flagitium reſpicit, *Quæ* (Ovid. Met. 8, 132) *torvum ligno decepit adultera taurum, Diſcortemque utero fœtum tulit*; Minotaurum nempe *Semibovemque virum, ſemivirumque bovem*, ut vocat Art. Am. 2, 24.

8 *Ida* Cretæ mons, quæ inſula alias quoque armentorum pulchritudine nobilis fuiſſe, vel ex ipſis his narrationibus intelligitur.

LV

LV

* CONCHA

Transferat huc liquidos fontes Heliconia Naïs,[1]
Et patulo conchæ diuitis orbe fluat.
Namque latex, doctæ qui laverit ora Serenæ,
Ultra Pegaſeas[2] numen habebit aquas.

* Hæc concha videtur aut vera, major & ſplendide polita fuiſſe, ut illa Veneri Zephyritidi donata apud Athenæum 7, 19, ubi plura de hoc genere docet Caſaubonus: aut ex auro formata, vel gemma quacunque, qua uteretur lavandæ faciei cauſa Serena Stilichonis uxor. Quid ſi hæc concha ſupereſt? Fuit certe in theſauro cum Maria Honorii conjuge, Serenæ filia, ſepulto, quem refert Marliani αὐτόπτου fide Grut. Theſ. Inſcr. p. 287, 4 *Cochlea & patera ex Cryſtallo.* Ceterum in apparatu balneario matronarum fuiſſe conchas, docet Juvenal. 6, 419 *Balnea nocte ſubit: conchas & caſtra moveri Nocte jubet.*

1 *Naïs*, ut Nympha & Lympha univerſim fontem & aquas vivas notat.

2 *Pegaſeæ aquæ*, quod Pegaſi equi ungula aperta humus fundere cœpit Caſtaliam. Vid. Ovid. Met. 5, 263 *Pegaſus hujus origo Fontis.*

LVI

VI *DE CRYSTALLO CUI AQUA INERAT* *

Poſſedit glacies naturæ ſigna prioris:
  Et fit parte lapis, frigora parte negat.
Sollers luſit hiems, imperfectoque rigore
  Nobilior, vivis gemma tumeſcit aquis.

* de Cryſtallo lapide, in quo ingelata latebat aqua *al.* 4 mitis *vulg.* mixtis *Claver. Raph.* vivis *etiam Cuj.*

* Comparari cum hoc poſſunt illa epigrammata, quibus animalcula electro ſuccino incluſa celebrarunt poëtæ: qualia ſunt Mart. 4, 32 & 59 it. 6, 15. Hujus omne acumen, in quo argutus eſſe voluit poëta, verſatur in illa veterum quorundam opinione, quam ipſum nomen ſignat, putantium glacie, quæ κρύσταλλος eſt Græcis, conſolidatam eſſe cognominem ob ſimilitudinem gemmam; cum primi auctores nominis ſolam ſpeciem externam forte ita ſignaverint. Vid. Plin. 37, 6 & ibi Hard. & quos magno numero hic laudat Barthius. Neque tamen plane omnium hæc fuit ſententia. Auctor carminis de Lapidibus, quod Orpheo adſcribitur, p. 198 Eſchenb. vocat ἀπόῤῥοιαν περιφεγγέος ἀμβρότου αἴγλης effluvium lucidi divini ſplendoris: & ignem ſacrificalem ejus ope docet accendere: denique narrat, ex igne raptam mox refrigerari. Et medio ævo, qui hoc de aqua in Cryſtallum congelata negarent, fuiſſe dicit Marbodeus, ejusque gloſſator Pictorius c. 23.

4 *Tumeſcit*, prægnans vel gravida eſt, ut vult Barthius. Sed mihi magis placet Metaphoram eſſe, *tumeſcit*, ſuperbit, ut referatur ad nomen *Nobilior*. Sic 58, 5 *Auctus honos*.

LVII

LVII

VII DE EODEM

Lymphæ, quæ tegitis cognato carcere lymphas,
Et quæ nunc eſtis, quæque fuiſtis aquæ,
Quod vos ingenium vinxit? qua frigoris arte
Torpuit, & maduit prodigioſa ſilex?
Quis tepor incluſus ſecuras vindicat undas?
Interior glacies quo liquefacta Noto?
Gemma quibus clauſtris arcano mobilis æſtu
Vel concreta fuit, vel reſoluta gelu?

Quæ ſequuntur ſex epigrammata, vulgo continuabantur. Diviſit primum libris auctoribus Claver. 1 Nymphæ & nymphas *Clav. & al. Vulgatam merito reduxit Heinſ.* corpore *it.* pectore *al.* carcere *etiam Cuj.* 3 junxit *al.* vinxit *aliunde etiam firmat Heinſ.* 5 ſecretas *conj. Heinſ.* 7 nobilis *al.* mobilis *etiam Cuj.* 8 fluit — gelu eſt *conj. Heinſ.*

1 *Lympharum* nomen comprehendit duas res, cryſtallum, quæ, ex opinione vulgari quidem, aqua fuit, nunc autem in gemmam induruit, & humorem liquidum, quem continet. Totum hic acumen eſt ex antithetis, *frigus, tepor ; torpuit , maduit ; glacies, Notus.*

LVIII

VIII *DE EODEM*

Solibus indomitum glacies Alpina rigorem
Sumebat nimio jam pretioſa gelu.
Nec potuit toto mentiri corpore gemmam:
Sed medio manſit proditor orbe latex.
Auctus honos, liquidi creſcunt miracula ſaxi,
Et conſervatæ plus meruiſtis aquæ.

* * *

4 *Medio orbe*, maſſa, globo: ſolebat in pilas formari cryſtallus. Plin. 37, 6 *Invenio medicos, quæ ſunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam cryſtallina pila adverſis poſita Solis radiis.*

LIX

IX *DE EODEM*

Adſpice porrectam ſplendenti fragmine venam,
Qua trahitur limes lucidiore gelu.
Hic nullum Boream, nec brumam ſentit opacus
Humor, ſed varias itque reditque vias.
Non illum conſtrinxit hiems, non Sirius ardens:
Aetatis ſpatium non tenuavit edax.

5 axis *vulg.* ardens *etiam Cuj.*

1 *Fragmen ſplendens* eſt ipſa illa moles vel maſſa cryſtallina, quæ fruſtum aut fragmentum glaciei refert: in hoc fragmine, *vena porrecta* eſt, qua lucidioris glaciei via ducitur. *Vena porrecta & limes qui trahitur*, eadem res eſt, diverſis modo ſub imaginibus oſtenſa. In cryſtalli fruſto obſervatur vena quædam lucidior.

4 Nempe ne intelligi quidem poterat, humorem liquidum ineſſe in cryſtallo, niſi cavum aliquanto majus fuiſſet, in quo ille movendi, huc illuc fluendi ſpatium haberet.

5 *Sirius axis* apud Claudianum non diſplicet, quem hoc nomine de ſingulis etiam ſtellis uti alias obſervarim. Vid. ad 34, 35.

6 Cum aëri inacceſſus ſit humor incluſus, nec minui abradendo, nec admiſcendis alienis corrumpi poterit.

LX

x *DE EODEM*

Clauditur immunis convexo tegmine rivus,
Duratiſque vagus fons operitur aquis.
Nonne vides, propriis ut ſpumet gemma lacunis,
Et refluos ducant pocula viva ſinus
Udaque pingatur radiis obſtantibus Iris,
Secretas hiemes ſollicitante die?
Mira ſilex, miruſque latex, qui flumina vincit,
Nec lapis eſt merito, quod fluit, & lapis eſt.

3 properis *vult Heinſ.* cum ſpumat — Ut *Barth.* 4 bina *Junt. Baſ. Claver. Plant.* vina *Vien.* nulla *Ald.* viva *etiam Cuj.* 8 et *vulg. & MSS.* ſed lapides *al.* nec lap. *Raph. Janſ. Heinſ. Ex multa alia varietate Barthius ita*, Eſt lapis ex merito: quod fluit eſtne ſilex? *Heinſius ita*, quod flumina vinxit, Fert lapidis merito: quod fluit, eſt laticis.

1 *Tegmine* ſic poſuit ut 6, 3. Totum hoc epigramma ceteris inferius videtur, & exhauſtæ venæ, ac velut machinis expreſſum, atque extortum. Hinc nimis eget Grammatico, contra quam optat ille, ſua ut *Grammaticis placeant & ſine Grammaticis*.

3 De *ſpuma* mirabor ſi verum ſit. Magnam ſatis lacunam eſſe oportet, in qua hoc contingat. Sed ſuadent etiam alia, non nimis parvam fuiſſe cryſtalli molem. Quod *proprias* dicit *lacunas*, non aliud voluit, niſi fallor, poëta, quam *ſuas*.

4 *Pocula viva*, aqua fluens intus & movens ſe; *ducunt ſinus refluos*, reciproco fluxu, inſtar ſinus aut æſtuarii marini, prout dirigitur cryſtallus, fluunt refluunt.

5 Obverſa Soli cryſtallus certo ſitu poterat colores reddere inſtar priſmatis.

6 *Dies* hic Sol eſt, qui *ſolicitat*, movet, afficit, *ſecretas hiemes*, incluſas velut pluvias, ut colores iridos reddant. Sic *diem* poſuit etiam Luca. 4, 154 ubi *decreſcit umbra In medium ſurgente die*.

7 Hic paruus *latex* incluſus gemmæ *vincit flumina* admirabilitate ſua. Hæc admirabilitas eſt in repugnantia. Nam quod fluit intus, jure vocari lapis non poteſt; & tamen lapis eſt, quod extra tangitur.

LXI

XI *DE EODEM*

Dum cryſtalla puer contingere lubrica gaudet,
Et gelidum tenero pollice verſat onus;
Vidit perſpicuo deprenſas marmore lymphas,
Dura quibus ſolis parcere novit hiems:
Et ſiccum relegens labris ſitientibus orbem
Irrita quæſitis oſcula figit aquis.

1 lurida *MS.* *h. e.* lucida. 3 Nymphas *vulg.* & *Heinſ.* 2. *Sed* lymphas *bene ex MSS. Heinſ.* 1.

Non melius hoc epigramma præcedente.

3 Puer videt ineſſe cryſtallo aquam, quæ ſola a gelu, quod ex aqua cryſtallum fecit, non eſt indurata. Hanc irrito conatu appetit.

LXII

XII *DE EODEM*

Marmoreum ne ſperne globum: ſpectacula tranſit
Regia, nec rubro vilior iſte mari.
Informis glacies, ſaxum rude, nulla figuræ
Gratia: ſed raras inter habetur opes.

4 gratia ſex oves *MS. Barth. unde elicit*, ſexta omnes, *ut ſextum locum illi aſſignet. Merito diſplicuit Heinſio.*

2 A *Rubro* mari i. e. ab Oceano qui Perſiam & reliqua regna orientis a meridie alluit, arceſſit gemmas & margaritas etiam noſter poëta.

LXIII

LXIII

XIII ΕΤΙ ΠΕΡΙ ΑΥΤΟΥ*

Χιονέη κρύσαλλος ὑπ' ἀνέρος ἀσκηθεῖσα
Δεῖξεν ἀκηρασίοιο παναίολον εἰκόνα κόσμου,
Οὐρανὸν ἀγκὰς ἔχοντα βαρύκτυπον ἔνδοθι πόντον.

* * *

2 ἔχουσα dederat Ald. quod bene poſteri mutarunt in ἔχοντα.

* Duo hæc epigrammata Græca ſumta ſunt primum a Raphelengio ex Anthologia 4, 18 ubi habent titulum, Κλαυδιανοῦ εἰς κρύσταλλον ἐντὸς ὕδωρ ἔχουσαν. Hoc prius ita convertit Barthius: *Cryſtallus nive nata, manu fabrefacta virili, Aeternum in varia tibi monſtrat imagine mundum, Cælum amplexum intus ſævi fera marmora ponti.*

3 Ἀγκὰς ἔχειν eſt in ulnis (ἀγκάλαις) in complexu habere, Vid. VV. DD. ad Heſychium h. v. Poëta alludit ad celebratum illud a poſteris dictum Euripidæ (p.504 extr. Barneſ.) ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα, καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις. quod ita vertit vel Ennius vel Tullius de N. D. 2, 25 *Qui tenero terram circumjectu amplectitur.* vid. Daviſ. Ergo hoc voluit Claudianus, Hæc cryſtallus habet, refert, mundi imaginem, nempe cælum ut amplectitur Oceanum. Ponit per appoſitionem, εἰκόνα κόσμου, & οὐρανὸν κ. τ. λ. Qui ἔχουσα legebant, retulere ad κρύσταλλος, quod mihi etiam placebat:; ſed Stephaniana lectio dignior facilitate poëtæ noſtri.

LXIV

XIV ΕΤΙ ΠΕΡΙ ΑΥΤΟΥ

Εἶπ' ἄγε μοι κρύσαλλε, λίθῳ πεπυκασμένον ὕδωρ,
Τίς πῆξεν; Βορέης. ἢ τίς ἔλυσε; Νότος.

Hoc epigramma ita convertit Barthius, *Dic, age, mi Cryſtalle, latex lapideſcere juſſus, Quis ſtrinxit? Boreas. Cui reſoluta? Noto.* Facilius mihi videretur vltimum hemiſtichion, *Unde ſoluta? Noto.*

LXV

XV ΠΡΟΣ ΦΟΙΒΟΝ

Ιλαθί μοι, φίλε Φοῖβε, σὺ γὰρ θοὰ τόξα τιταίνων
Εβλήθης ἐπ᾽ ἔρωτος ὑπ᾽ ὠκυπόροισιν οἴςοις.

2 οἴςροις eſt in Heinſiana. Sed videtur non facilis modo, quam poſui, verum neceſſaria etiam emendatio.

Poteſt ita converti: *Phœbe fave, nam tu, celeris cui tenditur arcus, Saucius es volucri quoties ab Amore ſagitta?* Ceterum hoc & duo, quæ ſequuntur Græca epigrammata accepiſſe ab Leone Allatio ſe dicit Heinſius.

LXVI

XVI ΕΙΣ ΜΙΜΑΔΑ ΓΗΡΑΣΑΣΑΝ

Μαχλὰς εὐκροτάλοισιν ἀνευάζουσα χορείαις,
Δίζυγα παλλομένοισι τινάγμασι χαλκὸν ἀράσσει,

Κτεὶς

Hoc epigramma ex inedita Anthologia etiam pro inedito dedit Jenſius cum lucubrationibus Heſychianis p. 321 n. 47: & nuper Cl. Reiskius in Anthologia Conſtantini Cephalæ p. 132 n. 697. Poſt interpretationes duas Pyrrhonis proſaicam alteram, ut vocat, alteram poëticam, & tertiam Reiskii, dabo quartam, ſoluta oratione, ſed quantum potero verbis Græcis adſtrictam, ut ea conſtituenda mihi videntur. Non eſt res magni momenti: agitur enim de vetula laſciva, interpoli & ſenectutem diſſimulare conante: ſed, qui ſe dedit huic generi ſtudiorum, ei nihil videri tam parvum debet, quod non cura ſua dignetur. Ita igitur interpretor: *Machlas* (laſciva) *in choreis jucunde ſtrepentibus, Geminum æs* (duo crotala, ſiſtra) *vibrantibus concuſſionibus impellit. Pecten, ſuffurans* (diſſimulare ac ſubducere oculis ſtudens) *canam comam fato* (morti) *vicinam, Fruſtratoriis* (necquidquam adhibitis) *radiis* (dentibus) *ſulcat faciei ſplendorem* (ſcalpit faciem a pigmentis unguentisque ſplendidam) *Mentitum*

vero

Κτεὶς μὲν ὑποκλέπτων πολιὴν τρίχα γείτονα μοίρης,
Ἠλεμάτοις ἀκτῖσι χαράσσεται ὄμματος αὐγήν.
Ψευδόμενον δ' ἐρύθημα κατέγραφεν ἄχροος αἰδὼς,
Ἀγλαΐη σέψασα νόθη κεκαλυμμένα μῆλα.

3 Τῆς editum adhuc. Post hunc versum inserit Cl. Reiskius hunc:
Κτεὶς βάπτει, μολίβῳ πᾶς· ἤδη δ' ἀχλυόεσσα. 4 ἄυρη *Heinſ.*
αὐγὴ *Jenſ.* αὐγὴν *etiam Reisk.*

vero ruborem affricat pudor coloris expers(extinctus,qui non amplius poteſt erubeſcere) *venuſtate coronans* (exornans) *ſuppoſiticia* (ſtrophiis, pulvillis ſubjectis) *tectas* (velut modeſtiæ cauſa) *papillas.*

3 Hic verſus ulcus habet, ut adhuc lectus eſt. Ad quod enim nomen referri poteſt Τῆς? Non ſpero ad μοίρης. Et ſi poſſet aliquis concoquere tantam trajectionem, quod ſubjectum, quod nomen ſubſtantiuum habebit ὑποκλέπτων? Orto Jotaciſmo, nihil fuit pronius, quam inter dictantem & excipientem Κτεὶς mutari in Τῆς. Obiicit, puto, vetulæ illam pectendo diſſimulare velle canos. Jam Ciceroni objecit Calenus apud Dio. 46, 18 πολιὰς κατεκτενισμένας, pexos canos & eorum odorem.

4 Ἠλεμάτοις nomen illuſtratum præclare hodie ad Heſychium. Ακτῖνας qui de pectinis dentibus dixerit, non poſſum jam laudare, nec qui *radios*. Sed qui nihil admittere eorum velit, quæ ſunt & vocantur a Criticis ἅπαξ λεγόμενα, ille metuo ne ſerus ſtudiorum aliis videatur. Et qui Proverbium illud Tertullianeum de *Solis pectinibus* invenere, ii viciſſim *radios*, credo, non inviderent pectini, quibus alias in re textoria non minus quam pectini locum eſſe, novimus. Χαράσσειν etiam de tenui ſulco, de veſtigio dentium pectinis, dici poſſe, non eſt dubium, nec ὄμμα de toto vultu dici. Sed quod ita multa concurrunt, quæ Grammatico opus habent, illa forte Claudiani, ſive noſter eſt, ſive quiſcunque alius, culpa eſt. Forte interceſſit mala librariorum ſedulitas e. i. g. a.

LXVII

LXVII

XVII ΕΙΣ ΔΟΥΛΟΝ ΤΥΠΤΗΘΕΝΤΑ ΠΑΡ ΑΥΤΟΥ

Εδρην χαλκεόπεζον ἐπὶ προθύροις ἑλικῶνος
Ἑςήκει θεράπων τις ὑπὲρ νώτοιο μεμαρπώς,
Οὐδ' ἔθελε μογέοντι πορεῖν ἐπιβάθρον ἀοιδῷ.
Τὔνεκά μευ θώρηξεν ἰὸν πολύμητις ἀνάγκη.

* Κλαυδιανοῦ εἰς — αὐτοῦ, διὰ τὸ μὴ ἐπιδοῦναι σέλλιον ἐν ἀκροάσει *Cang.*
3 *forte leg.* ἤθελεν· *ſed non ſimpliciter neceſſarium.* ἀοιδοῖς *Heinſ.* ἀοιδῆς *Cang.* ἀοιδῷ *Reisk.* 4 θώρηξε νόον *conj. Reisk.*

Hujus epigrammatis eadem ratio, quæ præcedentis, niſi quod editum etiam olim eſt a Cangio in Gloſſ. Gr. V. Σέλλιον. Fateor autem, me, cum lemma de ſervo pulſato narret, de plagis in ipſo epigrammate nihil invenire, nec alium exitum probabilem, ac putare a fine truncatum eſſe. Nempe ad verbum ita interpretor: *Servus aliquis ſtabat in veſtibulo Heliconis* (ſic appellare videtur auditorium, in quo eſſet acroaſis) *qui ſellam æneis pedibus correptam* (in ipſo forte auditorio arreptam) *in tergo* habebat: *nec volebat fatigato poëtæ ſedile* illud *præbere. Ejus rei cauſa meum telum armavit conſilii dives neceſſitas.* Hic, inquam, nihil de plagis adhuc. Et poſſit finiri ſine plagis fabula: & non valde aſtutum eſt pulſare ſervum tradere ſellam, quam domino ſuo forte is ſervabat, alii recuſantem.

LXVIII

LXVIII

XVIII *IN SPHAERAM ARCHIMEDIS**

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro,
Riſit, & ad Superos talia dicta dedit:
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.
Jura poli, rerumque fidem, legeſqne Deorum,
Ecce Syracoſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus variis famulatur ſpiritus aſtris,
Et vivum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus Signifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit.
Jamque ſuum volvens audax induſtria mundum
Gaudet, & humana ſidera mente regit.
Quid falſo inſontem tonitru Salmonea miror?
Aemula naturæ parva reperta manus.

5 legemque virorum *Vien. Baſ. &c.* legesque deorum *Plant. marg. Clav.* 9 metitur *Vien. Baſ.* mentitur *Vien. marg.*

* Eſt hæc ſphæra inter nobilia Archimedis inventa, de qua paſſim veteres, quos laudat Fabric. ad Sext. Empir. Math. 9, 115. De eodem ſimilibusque artificiis B. G. 3, 22. 15. Vitream quod vocant, intelligendum de capſa ſphærica, cui incluſa eſſet machina quæ pulverem arceret & manus curioſas, admitteret autem oculos, & ipſa etiam pelluciditate ſua ætheris aliquam haberet ſimilitudinem. Vitream etiam intellexit Cic. Tuſ. 1, 25 *Nam cum Archimedes Lunæ, Solis, quinque errantium motus in ſphæram illigavit* &c. Venuſte Ovid. Faſt. 6, 277 *Arte Syracoſia ſuſpenſus in aëre clauſo Stat globus, immenſi parva figura poli.*

5 *Jura, fidem, leges* eadem figura dicit de illo quem naturæ ordinem vulgo dicimus, *quæ ſedera* noſter 3, 4 ubi vid. no. Add. Lucret. 6, 906 *Quo ſedere fiat Naturæ*, de magnete.

6 *Syracoſium* Virgiliano exemplo ecl. 6, 1 dixit, pro Syracuſio, mediæ ſyllabæ corripiendæ cauſa. Archimedem in hac urbe patria defendenda mortuum, & in ſuburbano loco ſepultum conſtat ex Liv. 25, 31. Cic. Tuſ. 5, 23.

7 *Spiritus incluſus* ſuadet, auctorem putaſſe ſphæram Archimedis ab aëre incluſo, & motu aqua compreſſo, motam, quod genus artificiorum in πνευματικοῖς ſ. ſpiritalibus Hero eodem circiter tempore publicavit. Annon poëtæ licentia auctum ſit artificium, & quousque ea ætate progreſſæ machinandi artes fuerint, difficilis diſputatio eſt, ut de ſpeculis ejusdem Archimedis, de Archytæ columba. Hæc certe debet elaſticum quiddam incluſum habuiſſe. Et mihi facilius videtur, ſi parva fuit ſphæra, quod hic innuitur, cogitare de ſolido elatere.

LXIX

XIX *DE POLYCASTE ET PERDICE*

Quid non ſævus amor flammarum numine cogat?
Sanguinis affectum mater amare timet.

Pectore

1 munere *vulg. ante Clav.* 2 affectu *ſolus Heinſ. ex conj.* amara *Clav.*

* De his nominibus alia ſupereſſe memoria non videtur præter ea, quæ ſunt apud Fulgent. Myth. 3, 2 *Perdicam ferunt venatorem eſſe: qui quidem matris* (quam deinde *Polycaſten* appellat) *amore correptus, dum utrinque & immodeſta libido ferveret, & verecundia novi facinoris reluctaretur, conſumtus, atque ad extremam tabem deductus eſſe dicitur. Primus etiam ſerram invenit.* Deinde ſuo more miras allegorias profert. Quod de ſerra inventa dicit, confundit forte fabulas, interea firmat (ſi conferas v. g. Ovidium Met. 8, 240) opinionem Munckeri, *Perdicam* hic eſſe, qui *Perdix* alias Græca conſuetudine & Romana vocaretur, inventor ſerræ, ob invidiam præcipitatus ab avunculo ſuo Dædalo, & mutatus in ipſo caſu in avem cognominem. (Apollodorus 3, 14. 9 Talum Perdicis, ſororis Dædali filium ab eo occiſum refert) De hujus avis importuna libidine plurima narrant veteres. Subſtantia igitur ejus quam Fulgentius narrat fabulæ eſt, Perdix ſ. Perdica inceſto amore matris ſuæ Polycaſtæ arſit, & contabuit. Ad hanc fabulam retulit epigramma Claudiani, vel cujuſcunque eſt, qui lemma hoc ſuperſcripſit. Poterat certe poëta poſt enarratam ejuſmodi fabulam, hoc velut Epiphonema ſubjicere hac ſententia, Si fieri poteſt ut στοργὴ illa & pietas inter matrem & filium in tale flagitium exeat, corrumpi ea cogitatione ipſam pietatem metus eſt, cum puerulum ſuum in ſinu habens mater, aut lacte ſuo nutriens, cogatur metuere ne hic aliquid Venerei amoris ſubſit, quod poſſit cum annis pueri adoleſcere. Exſtitit ætate Claudiani exemplum relatum ab Hieronymo (Epiſt. ad Vital. T. 4 f. 33, AB. Froben.) magna cum aſſeveratione, de puero decem annorum nutricem ſuam impraegnante. In hoc ſane exemplum convenit epigramma noſtrum melius, quam in ea, quæ de Perdice & Polycaſte narravit ſolus, quantum obſervavi, Fulgentius.

1 *Numen flammarum* eſt vis illa naturalis amoris, quæ divinum quid habere videtur, propter quam Deos fecerunt Venerem & Cupidines.

2 *Affectus ſanguinis* eſt ille, qui ob ſanguinis conjunctionem amatur, verbo filius, Metonymia conſuetiſſima, qua *amores, curas, gaudia, affectus* noſtros vocamus illorum objecta, ut loquuntur Philoſophi. De *affectu* magnam vim exemplorum ex hujus ætatis ſcriptoribus dedit Barthius: quædam habent etiam noſtri theſauri.

Pectore dum niveo puerum tenet anxia nutrix,
Illicitos ignes jam fovet ipſa parens.
Ultrices pharetras tandem depone Cupido.
Conſule jam Venerem, forſan & ipſa dolet.

3 *pro* puerum, miſerum *ante Claver.*

3 *Nutricis* & *parentis* eadem hic perſona eſt.

4 *Ultrices pharetræ*, unde veniunt ſagittæ in pœnam aliorum criminum immiſſæ. Hoc indicant Tragœdiæ, quæ ſcelera ſceleribus, furoribusque divinitus immiſſis puniri docent. Cf. 75. Sic apud Naſonem Met. 10, 524 Adonis ex inceſto Myrrhæ in patrem amore conceptus, *Jam placet & Veneri*, *matriſque ulciſcitur ignes:* qui locus videtur ante oculos noſtro poëtæ fuiſſe. Ipſa Venus pœnas dat procurati inceſtus, dum cogitur amare natum ex illo puerum.

LXX

XX DE ZONA EQUI REGII MISSA HONORIO AUG. A SERENA

Accipe parva tuæ, Princeps venerande, ſororis
Munera, quæ manibus texuit ipſa ſuis.
Dumque auro phaleræ, gemmis dum frena renident,
Hac uterum Zona cinge frementis equi.
Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis;
Turbidus

* De phaleris equi regii a Serena miſſis *Vien.* de Falleris equi *Junt.*
1 memorande *MSS.*

1 Serena, Stilichonis uxor, adoptata a patruo ſuo Theodoſio M. ſic facta eſt ſoror Honorii. Vid. Tab. Gen.

4 Minus offendet *uterus*, ſi quis meminerit cavum quoque equi Trajani *uterum* vocari Aen 2, 20: & *dolii* apud Columellam 2, 4. 5, *navis* apud Tac. An. 2, 6. & uterum eſſe pro ventre. Sed tamen apud hos conſideratur venter ut cavum quiddam, quod alia continet. Quin manifeſta Metaphora equus Trojanus v. 238 *Machina fatalis feta armis* vocatur: quale quid hic locum non habet. Hinc reſtringi velim, quæ ad 26, 260 paulo liberalius dicta ſunt.

Turbidus Argæa ſeu nive lavit Halys;
Sanguineo virides morſu vexare ſmaragdos,
Et Tyrio dignum terga rubere toro.
O quantum formæ ſibi conſcius erigit armos,
Spargit & excuſſis colla ſuperba jubis!
Augeſcit brevitas doni pietate Serenæ,
Quæ volucres etiam fratribus ornat equos.

6 turgidus *conj. Heinſ.* 7 verſare *ante Heinſ.* vexare *conjecerat Gron. ex Luca.* 4, 751 *& firmat e MSS. Heinſ.* 8 croco *vulg.* 10 ſpargit ut *cum admiratione conj. Heinſ. pulchre.*

6 *Argæi* Capadociæ montis ad radices Halyn oriri etiam Cellariana tabula oſtendit. Illum Strabo 12 p. 370, 46 πάντων ὑψηλότατον vocat, καὶ ἀνέκλειπτον χιόνι τὴν ἀκρώρειαν ἔχον κ. τ. λ. Armeniam pariter & Cappadociam Lydiamque equis abundare ex hiſtoria etiam bellorum notum eſt. Cf. 20, 114 & mox 73, 5.

7 Formulam *vexare* frena illuſtrat Oudendorp. ad Luca. 4, 751. Conf. Drakenb. ad Sil. 5, 147.

8 *Torus* hic intelligi debet ephippium quatenus effultum eſt ſetis equinis, vel quacunque re, ad molliter ſedendum apta. Conf. 10, 150 ubi Tritonis *terga*, *Purpureis mollita toris.*

11 *Brevis*, *brevitas* pro parvo hujus ſæculi ſcriptoribus familiaris. Sed jam Plin. 8, 17 Pantheris *breves in candido macularum oculos* tribuit.

12 Non contenta ipſis veſtes texere, equos etiam illorum ſuis ornare manibus dignatur.

LXXI

XXI *DE ZONA AB EADEM MISSA ARCADIO AUG*

Stamine reſplendens, & mira textilis arte
Balteus alipedis regia terga liget,
Quem decus Eoo fratri, pignuſque propinqui
Sanguinis Heſperio miſit ab orbe ſoror.
Hoc latus adſtringi velox optaret Arion.
Hoc proprium vellet cingere Caſtor equum.

Continuant hoc epigramma praecedenti Vien. & al. quod jam diſtinxerat Parm. & MSS.

Videtur eodem tempore etiam Arcadio munus ſimile illius, quod Honorio dederat, miſiſſe. Hunc *fratrem* qua ratione dicat, modo declaratum eſt ad 70, 1. *Eoum* fratrem Conſtantinopoli imperantem, & *Heſperium orbem*, Occidentis imperium, quod gubernabat tum Stilicho, intelligi, non habet difficultatem. De *Arione* Adraſti equo & Cyllaro *Caſtoris* vid. 8, 555.

LXXII

XXII *DE CHLAMYDE ET FRENIS*

Non ſemper clipei metuendum gentibus orbem
Dilecto ſtudioſa parens fabricabat Achilli:
Lemnia nec ſemper ſupplex ardentis adibat
Antra Dei nato galeam factura comantem:
Sed placidos etiam cinctus, & mitia pacis
Ornamenta dabat, bello quibus ille peracto
Conſpicuus Reges inter fulgebat Achivos.
Ipſa manu chlamydes oſtro texebat & auro,
Frenaque, quæ volucrem Xanthum Baliumque decerent,
Aequore quæſitis onerabat ſedula gemmis.
At tibi diverſis, Princeps altiſſime, certant
Obſequiis ſoceri. Stilicho Mavortia confert,
Munera, barbaricas ſtrages, Rhenique triumphos.
Reginæ contenta modum ſervare Serena,
In tua ſollicitas urget velamina telas.

De chlamyde & freno *omnes*, *cum tamen de ſola veſte agi apertum ſit.*
4 fractura *MSS.* pactura *conj. Heinſ.* 5 nuncia *MSS.* inania *MS.* *hinc* inermia *conj. Heinſ.* 10 ornabat *vulg.*
12 obſequiis. Socer en *vulg.*

2 *Fabricabat*, ut ſexcenties *facere* ſibi veſtem, *ædificare* e. i. g. a. Thetis rogavit Vulcanum ut fabricaret: argumentum bonæ partis Iλ. Σ a v. 478. De galea ib. 610. Hoc de veſtibus & frenis neſcio an traditum ſit: certe probabiliter ſumtum e moribus Græcorum.

9 Ξάνθος & Βαλίος nomina equorum Achillis Iλ. Π, 149, quorum illud coloris ſpadicei, hoc celeritatis, vel maculoſi tergoris, eſſe volunt Grammatici.

10 Alludit ad hoc, quod marina Dea Thetis in poteſtate habuit maris divitias.

12 Hoc epigramma ſcriptum eſſe debet aliquanto poſt duo, quæ proxime præcedunt. In illis enim ſoror Serena miſit fratribus ſuis munera: hic ſocrus eſt Honorii. Nempe *ſoceri* ſunt Honorii per filiam Mariam. Sic ipſe Virg. Aen. 2, 457. Ceterum ſplendida antitheſis: Stilicho victoriis ac triumphis te honorat, Serena muneribus textilibus.

15 *Sollicitæ* telæ, ut argutæ: in motu enim quodam ſonoro ac ſtrepero ineſt texendi actus.

LXXIII

XXIII *DE FRENO PHALERIS* * *ET CINGULO EQUI HONORII A SERENA MISSIS*

O felix ſonipes, cui tanti frena mereri
Numinis, & ſacris licuit ſervire lupatis:
Seu tua per campos vento juba luſit Iberos:
Seu te Cappadocum gelida ſub valle natantem
Argææ lavere nives: ſeu læta ſolebas
Theſſaliæ rapido perſtringere paſcua curſu:
Accipe regales cultus, & crine ſuperbus
Erecto virides ſpumis perfunde ſmaragdos.
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos jam purpura veſtiat armos.
Et medium te Zona liget variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ,
Perſarum gentile decus. Sic quippe laborat
Maternis ſtudiis, nec dedignatur equeſtres
Moliri phaleras genero latura decorem.

6 ſaltu *vulg.*

* *Phaleræ* hic ſunt, quæ v. 9. *monilia* vocantur, & v. 10 *purpura quæ armos veſtit.*

2 *Numen* dici de Imperatore, & *ſacros lupatos*, quibus illius equus regitur, a poëta gentili, quis indignetur, cum illa ſolemnis ſit ratio, qua de ſe ipſi loquentes inducuntur in legibus Imperatores Conſtantinei & Theodoſiani ſæculi.

3 *Juba luſit vento*, a vento agitata, eique *ludibrium* fuit, ut illa Sibyllæ folia Aen. 6, 75 *turbata volant rapidis ludibria ventis.* Ceterum hic poeta patrias nobilium equorum memorat, Iberiam ſ. Hiſpaniam, in primis partem maxime occidentalem ſ. Luſitaniam. De *Argæo* nivoſo Cappadociæ monte modo dictum ad 70, 6. *Theſſali* equites Centaurorum fabulæ occaſionem dedere.

10 *Auratos* intelligo *armos* equi ab ipſis phaleris purpureis auro diſtinctis.

12 *Sudata manibus Serenæ Zona* comparata cum ſimilibus formulis ad 24, 94.

13 *Perſarum* luxus regius infecit totum Orientem, vel totum orbem. De hoc genere vid. Briſſo. de regio Perſar. princ 3. 58.

15 *Materna ſtudia*, voluntas enixa ſocrus. Quæ gens hodie quoque non patris, matris, fratris appellatione in proximo affinitatis gradu, blandiendo præſertim, utitur?

LXXIV

XXIV *DEPRECATIO AD ALETHIUM QUAESTOREM**

Sic non Aethiopum campos æſtate pererrem,
Nec Scythico brumam ſub Jove nudus agam:
Sic non imbriferam noctem ducentibus Hædis
Ionio credam turgida vela mari:
Sic non Tartareo Furiarum verbere pulſus
Irati relegam carmina grammatici:

Nulla

3 imbriferis *MSS. pro* noctem, nubem *conj. Heinſ.* 6 lædam *ex* 2 *MSS. Heinſ.* relegam *omnes alii.*

* Ironica hæc deprecatio vel palinodia eſt Horatianæ illi, qua Canidiam infamavit Epo. 17, ſimilis. Hujus *Alethii* nomen an alias ſuperſit, non habeo dicere. Immo nec ipſum nomen invenio: ſed unum alterumque *Aletium* in Gruteriano & Muratoriano Inſcriptionum Indice. Quin in illa varietate atque incerto lemmatum ne hoc quidem ſatis conſtat, ſitne hoc nomen a Claudiano poſitum. Nec puto recte inſcribi hoc epigramma *Ad Alethium;* cum nusquam illum alloquatur, ſed tanquam de abſente agat. Ergo inſcribendum erat *In Alethium.* Quod Mallium Theodorum hic peti ſuſpicatur Barthius, ejus rei cauſam idoneam equidem non video. *Quæſtorem* ipſe poëta nominat eum, in quem ludit, de qua dignitate pluribus locis ad Codicem Theodoſianum agit Gothofredus. Summam videtur complexus Zoſimus 5, 32 ὁ τὰ βασιλεῖ δοκοῦντα τεταγμένος ὑπαγορεύειν, qui conſtitutus eſt ut imperatoris decreta (leges & ſententias) dictet. Duo ab illo per multas verborum ambages requirit Caſſiodorii ſtilo Theodoricus Var. 20, 6 & 7 juſtitiam & eloquentiam.

Offenſio autem quam deprecari ſe ſimulat noſter hæc eſt, quod non bene de verſibus illius judicarat. Mutatis perſonis eadem agitur fabula. Dum hæc ſcribo, publicatur mordax epigramma, in quo accuſatur Purpuratus Regius aliquam diu & nuper admodum Pontificius, bellum, quo nunc perit Europa, conciraſſe, quod Regum ποιητικώτατος, & Rex poëtarum, ipſius verſiculos contemſiſſet.

1 Jurisjurandi formula, Ita evitare mihi contingat incommoda & moleſtias, ut non volui lædere Alethium.

3 Colum. 11, 2. 73 *Pridie Non. Octobris hædi oriuntur.* Hoc tempore navigare deſinebant. *Nox* pluvioſa eo terribilior.

6 Duo irritabilia genera in uno homine conjungit, unum poëtarum

Nulla meos traxit petulans audacia ſenſus,
Liberior juſto nec mihi lingua fuit.
Verſiculos, fateor, non cauta voce notavi,
Heu miſer ignorans quam grave crimen erat!
Orpheos alii libros impune laceſſunt,
Nec tua ſecurum te, Maro, fama vehit.
Ipſe parens vatum princeps Heliconis Homerus
Judicis excepit tela ſevera notæ.
Sed non Virgilius, ſed non accuſat Homerus.
Neuter enim quæſtor, pauper uterque fuit.
En moveo plauſus, en pallidus omnia laudo,
Et clarum repeto terque quaterque ſophos.
Ignoſcat placidus tandem, flatuſque remittat,
Et tuto recitet quod libet ore: placet.

7 verſus *Cuj.* 8 ſolito ex *MSS. Heinſ. contra ipſius conſilium.* 9 mente *MSS.* 10 *Ne adulterinus ſit hic verſus, metuit Heinſ. V. N.* 11 Aſcraeos *conj. Heinſ.* 16 *pro* pauper, paſtor *MS.* 17 *pro* en, & *vulg.* 19 intendat *ante Claver.* 20 quidquid ab ore pluet *vel* fluet *MS. ap. Claver.*

rum (quod ita vocat Hor. Epiſt. 2, 2. 102) alterum Grammatici, quorum iræ paſſim vel ludibrio vel deteſtationi ſunt. Morſus autem acerrimus eſt in verbo *relegam*. Poſt graviſſima mala quæ poſuit, ultimum, creſcente paulatim ad ſummum oratione, poſuit *relegam* carmina irati Grammatici, h. e. Alethii. Ad hoc ſe adigi poſſe negat niſi *verbere Furiarum*. Hæc δριμύτης plane perit, ſi cum ſumme alias poëtarum vindice pro *relegam* ponas *lædam*.

10 Indicativus modus ut hic in verbo *erat*, etiam optima ætate invenitur. Vid. ad 8, 267.

17 Videtur in mente habuiſſe illum deriſorem Horatianum Art. 427 *Clamabit, Pulchre! Bene! Recte! Palleſcet ſuper his* &c. Illud *ſophos* eſt adverbium, σοφῶς, illa acclamatio, quam ſæpe ridet Martialis, ut 1, 77 *Magnum ſemper inane ſophos.*

LXXV

XXV *IN CURETIUM*

Fallaces vitreo ſtellas componere mundo,
Et vaga Saturni ſidera ſæpe queri,
Venturumque Jovem paucis promittere nummis,
Cureti genitor noverat Uranius.
In prolem dilata ruunt perjuria patris,
Et pœnam merito filius ore luit.
Nam ſpurcos avidæ lambit meretricis hiatus,
Conſumens luxu, flagitiisque domum.
Et quas fallacis collegit lingua parentis,
Has eadem nati lingua refundit opes.

1 palantes *MS. quod non contemſerim.* 9 ut quas *Claver.* 10 refudit *vulg.*

Nimis *εὐθυῤῥημον* ac liberum pro more ſæculi Epigramma: ſed in quo firmatur teſtimonio hominis non hoc agentis, quod Legati divini nos docuerunt de pœnis paternorum criminum in filios non meliores experentibus; & de turpitudine mercede impietatis, ut ad Romanos 1, 23 ſqq. it. 2 Petri 2, 13. Similia vidimus ad 69, 4. Claudianum tamen multo modeſtiorem Auſonio, & virginem ſi cum illo comparetur, jam obſervatum Barthio. Et ille Chriſtianum ſe profeſſus eſt, & Imperatorum duorum præceptor fuit.

1 Habuit ergo Curetii pater, quiscunque fuerit (nam *Uranius* fictum ab ipſa arte videtur hominis, qui *cœleſtia* ſemper creparet) ſphæram, quæ cælum utcunque repræſentaret. Archimedeæ de qua n. 68 imitatricem, qua uteretur ad exhibendam, quamcunque vellet geneſin, h. e. ſiderum inerrantium inter ſe, quo tempore quis natus eſſet, comparationem, e qua fata ſic nati legere ſe poſſe ſimulabant. Cogitare interdum ſubit, vel ad hoc ipſum permiſiſſe videri Deum illas vaniſſimæ & impudentiſſimæ artium progreſſiones, quæ etiam ſapientes alioquin, doctos geometriam, & bonos viros velut faſcinaret, ut intelligant poſteri, nullam abeſſe a genere noſtro, niſi caveamus (& quam difficile & forte *ἀδύνατον* eſt cavere?) ſtultitiam.

3 *Venturum Jovem* intellige auxilio, ſaluti. Beneficum ſidus Jupiter, & Saturno obnitens. Hor. Car. 2, 17. 23 *Jovis impio Tutela Saturno refulgens. Venturi* hunc uſum videtur Homero debere, apud quem, (Od. Β, 420) *ἴκμενος οὖρος* ventus ſecundus eſt qui *pervenire facit* navigantes quo volunt.

10 Hinc forte natum Santolio epigramma haud paullo caſtius, in medicum obſtetricantem, *Quas bona pars hominum muliebri mergit in antro, Ex illo Clemens eruit unus opes.*

LXXVI

LXXVI

xxvi *IN EUNDEM*

Si tua, Cureti, penitus cognoſcere quæris
Sidera, patre tuo certius ipſe loquar.
Quod furis, adverſi dedit inclementia Martis:
Quod procul a Muſis, debilis Arcas erat:
Quod turpem pateris jam cano podice morbum,
Femineis ſignis Luna, Venuſque fuit.
Attrivit Saturnus opes. hoc prorſus in uno
Hæreo, quæ cunnum lambere cauſſa facit.

8 cura fuit *MSS.* cauſa fuit *MS.*

Qui ſuperius epigramma cognovit, hic nihil habebit difficultatis. Geneſin hominis enarrat ſatiricam, ſic tamen ut tribuat planetis ſingulis, quæ ſolent in illa diſciplina, quæque ſingula ex Manilio Firmicoque illuſtrare facile eſſet. Sed piget ineptiarum. Itaque defungemur paucis.

4 *Arcas* Mercurius a patria matris Majæ, & ipſius, Cyllene, altiſſimo monte Arcadiæ, in quo & antiquiſſima ipſius commoratio fuit. V. Apollod. 3, 10. Apellatione hac utuntur Stat. Sil. 2, 7. 5. Martial. 9, 35. Juniores laudat Toll. ad Auſo. Eidyll. 8, 22 p. 344. *Debilis* eſt & parum efficax planeta, ſi non ſit in ſuo domicilio s. i. g. a.

6 In *ſignis femineis*, naſcente Curetio, fuere planetæ ejusdem ſexus Venus & Luna. Loquitur ex artis præceptis. De Luna & Venere notum ubique. De ſignis Manil. 2, 151 *Maſcula ſex ſunt, Diverſi totidem generis, ſub principe Tauro.* Nempe, ut eſt diſerte apud Firmicum Aſtron. 2, 1, Maſculina ſunt Aries, Gemini, Leo &c. Feminina Taurus, Cancer, Virgo: ut alternis ſe conſequantur in ſerie illa Zodiaci, quomodo hodie in ſodalitiis elegantiorum hominum alternis ſedetur, ut olim XII Deos in lectiſterniis ſolebant jungere Romani, Jovem ſuæ Junoni, Veneri Martem &c. Vid. Liv. 22, 10.

LXXVII

XXVII *IN JACOBUM* MAGISTRUM EQUITUM*

Per cineres Pauli, per cani limina Petri,
Ne laceres verſus, dux Iacobe, meos:
Sic tua pro clipeo ſuſtentet pectora Thomas,
Et comes ad bellum Bartholomæus eat:
Sic ope ſanctorum non barbarus irruat Alpes:
Sic tibi det vires ſancta Suſanna ſuas:
Sic quicumque ferox gelidum tranaverit Iſtrum,
Mergatur; volucres ceu Pharaonis equi:
Sic Geticas ultrix feriat rhomphæa catervas,
Romanaſque tegat proſpera Thecla manus:

Sic

1 *pro* cani, ſancti *MSS. Cuj.* 3 per clypeum *MS.* defendat *vulg.* 5 *pro* ſanctorum, junthodi *MS.* *unde* Judithæ *conj. Barth.* ne barb. *conj. Heinſ.* 10 regant -- tela *vulg.* regat *vel* tegat teda, theda, tegat Tecla *MSS.* Romanæque gerant *MS.*

* Iacobi hujus an alia ſuperſit mentio, non dixerim. Magiſtri Equitum dignitas illuſtris, & ordinarie Magiſtro Peditum præfertur. Vid. Gothofr. Parat. ad librum 7 C. Theod. qui eſt totus de re militari p. 250. In Notitia Dignit. Imp. Occid. f. 34 ſtatim poſt Præfectos Prætorio & urbis ponuntur Magiſtri Peditum & Equitum.

1 Vt mordeat virum, a quo verſus quosdam ſuos reprehenſos iraſcitur, illudit Sanctorum, quos vocat Eccleſia, cultui, per quos illum videri vult obteſtari, ne velit amplius carmina ſua traducere. Ille porro cultus jam tum immoderatus & ſuperſtitioſus, ne quid gravius dicam, fuiſſe debet, cum hoc epigramma ſcriberetur, quod Claudiano vindicant Barthius & Heinſius. Sed in margine Baſil. adſcriptum, *Hoc epigramma vix credo eſſe Claudiani.* Quidquid ejus ſit, propter Sanctorum & Martyrum admirationem Iacobo exprobratam abjudicari Claudiano hoc Epigramma vetat Hieronymus, qui hoc ipſo tempore plus quam opus eſt contra Vigilantium pro illa declamavit: & ſcripſit ad Lætam (p. 672, B) *Inundans populus ante delubra ſemiruta currit ad martyrum tumulos.*

6 Itaque in veneratione & cultu jam tum erat cum Juditha Suſanna illa apocryphos? Laudat certe Hieronymus alteram Epiſt. ad Principiam, alteram ad Salvinam. Sed abeſſe hoc diſtichon a MS. Vaticano, obſervavit Heinſius.

9 *Ultrix rhomphæa* pertinet ad illa dicta ſacrarum literarum.

10 An hæc pertinet ad S. Theclam, de qua in Martyrologio Ro.

Sic tibi det magnum moriens conviva triumphum,
  Atque tuam vincant dolia fuſa ſitim:
Sic nunquam hoſtili maculetur ſanguine dextra.
  Ne laceres verſus, dux Iacobe, meos.

* * *

11 magnos triumphos *vulg.* 12 et tua perpetuo dolia vina fluant *MSS.* ſic tibi perp. d. v. f. *MS.* fluere *cum Accuſativo illuſtrat Heinſ.*

Ro. a. d. 23 Sept. *Iconii in Lycaonia ſanctæ Theclæ virginis & martyris, quæ a S. Paulo Apoſtolo ad fidem perducta, ſub Nerone Imperatore in confeſſione Chriſti ignes & beſtias devicit, & plurima ad doctrinam multorum ſuperata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace. Eam ſancti Patres ſummis laudibus celebrant & dignis præconiis extollunt.*

11 Adhuc poſuit in optandis Jacobo auxilia Sanctorum, ne ipſius ſcilicet fortitudine opus ſit: nunc potatori ſtrenuo inſultat: *moriens* enim *conviva* eſt vino depoſitus vel ſepultus.

18 Hic præter ceteros verſus eſt amariſſimus. Quis enim ille Dux, quis Magiſter militum, hoc in optabilibus habeat? niſi quis forte huc trahere velit illud Horatianum Sat. 2, 1. 43 *ut pereat poſitum rubigine telum.*

LXXVIII

XXVIII *RIMANTI TELUM IRA FACIT**

In jaculum quodcumque gerit dementia mutat.
  Omnibus armatur rabies pro cuſpide ferri.
  Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnera ſævit.
  Pro telo geritur, quidquid ſuggeſſerit ira.

* ✥ *

1 ferit *MSS.* quodc. rei *conj. Heinſ. cui corruptum videtur vulgatum* gerit. 4 ingeritur *conj. Heinſ. in quo illum audiam facilius.*

* Eſt ſcholaſtica æmulatio Virgiliani hemiſtichii Aen. 7, 508 *Quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit.* Talis etiam eſt n. 86.

1 *Quodcunque gerit*, quod forte in manu habet, v. g. inſtrumenta ruſtici, bipalium, furcam, ventilabrum; ſi doctus eſt, librum, ut illi apud Boilavium certantes de pulpito ſ. lectorio: in proverbio eſt, qui aureis feneſtras inimici petit.

LXXIX

xxix *IN PODAGRUM*

Quæ tibi cum pedibus ratio? quid carmina culpas?
Scandere qui neſcis, verſiculos laceras.
Claudicat hic verſus, hæc, inquit, ſyllaba nutat,
Atque nihil prorſus ſtare putat podager.

In Podagrum, qui carmina culpabat, non ſtare dicebat *MS.*
2 quos -- inqu.t -- putat *MS.*

2 Hoc verbo *lacerandi* uſus eſt etiam n. 77 ext. Hinc colligit Barthius in eundem hic ludi Jacobum. Et bene convenire ſolet podagræ cum potatoribus.

LXXX

xxx *DE THEODORO ET HADRIANO*

Mallius indulget ſomno noctesque dieſque.
Inſomnis Pharius ſacra, profana, rapit.
Omnibus hoc, Italæ gentes, expoſcite votis,
Mallius ut vigilet, dormiat ut Pharius.

Vid. quæ dicta ſunt ad 39, 20. Hon nempe Epigramma poteſt occaſionem dediſſe illi deprecationi.

LXXXI

XXXI *AD AETERNALEM*

Quidquid Caſtalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quidquid fatidico mugit cortina receſſu,
Carmina ſunt: ſed verba negant communia Muſæ.
Carmina ſola loquor. ſic me meus implet Apollo.

3 car. fert *vulg.* & verba *conj. Heinſ.* non verba ferunt *ex MS. Barth.*
4 Smyrnæus imp. *MS.*

1 *Caſtalius gurges* idem qui & *Hippocrene* vocatur, de quo *fonte Caballino*, ut ait Perſius in Prol. qui *labra proluerunt*, poëtæ fiunt.

2 *Cortina*, tripus impoſitus ſpecui Delphicæ, cui inſidens Pythia ſpiritu illo fatidico impletur, a quo fundit Oracula verſibus conſtantia. Sed jam Plutarchus peculiari libello inquiſivit in cauſas cur ἔμμετρα χρᾶν verſibus reſpondere deliberantibus Pythia deſiſſet.

LXXXII

XXXII *AD MAXIMUM QUI MEL MISIT*

Dulcia dona mihi tu mittis, Maxime, ſemper,
Et quidquid mittis, mella putare decet.

LXXXIII

LXXXIII

XXXIII *DE LOCUSTA FRAGMENTUM*

Horret apex capitis: medio fera lumina ſurgunt
Vertice. cognatus dorſo dureſcit amictus.
Armavit natura cutem, dumique rubentes
Cuſpidibus parvis multos acuere rubores.

1 ſurgit *MS. i. e. ſurrigit.* duo cornua ſurgunt *conj. Heinſ.* 2 ſuccreſcit *conj. Heinſ.* 3 dubiisque *MSS.* dubiq. *MS.* dubiisque rubentem *MSS.* 4 multis *vulg.* parum multos *MS.* pariunt multos ac vere colores *Claver. Hinc* dumique rubentis Cuſpidibus pariunt multos ac vepre dolores *conj. Heinſ. Sed Barth. ita:* dubiisque rubentem Cuſpidibus, variant milto victore colores.

Si quis locuſtam marinam ſ. carabum, ut a Geſnero, Aldrovando, aliisque deſcribitur depingiturque, conſideret, videbit ſatis convenire illi hanc deſcriptionem, quantum ad duo priores verſus cum dimidio tertio. In reliquis facilius intelligo Heinſianam conjecturam, quæ illam aſperitatem *cutis*, i. criſtæ, quem *cognatum* i. connatum *amictum* dixit poëta v. 2, *dumo* comparat aut *vepri*. Quod *rubentem* dicit, illud non ſimpliciter repugnare naturæ, ſatis nos vel recentiſſimæ Cateſbyanæ picturæ docent.

LXXXIV

XXXIV *DE BALNEIS QUINTIANIS*

Fontibus in liquidis paullum requieſce, viator,
Atque tuum rurſus carpe refectus iter.
Lympharum dominum nimium miraberis, hoſpes,
Inter dura viæ balnea qui poſuit.

LXXXV

LXXXV

XXXV *DESCRIPTIO PORTUS SMYRNENSIS* *

Urbs in conſpectu montana cacumina velat,
Tranquillo prætenta mari. ducentia portum
Cornua pacatas removent Aquilonibus undas.
Hic exarmatum terris cingentibus æquor
Clauditur, & placidam diſcit ſervare quietem.

* Zarinenſis *vulg.* Saronenſis *conj. Barth.*

Cum hæc deſcriptio hodierno etiam Smyrnæ ſitui conveniat, eo ſecurius Heinſiana lectio retinetur.
3 *Removent Aquilonibus*, ſubducunt illis undas, h. e. excludunt Aquilones, ut defendere proprie eſt depellere, ac tamen *defendi* dicitur urbs a qua proprie defenduntur, depelluntur hoſtes.

LXXXVI

XXXVI *EST IN SECESSU LONGE LOCUS* *

Eſt procul ingenti regio ſummota receſſu,
Inſula qua reſides fluctus miteſcere cogit,
In longum producta latus; fractaſque per undas
Ardua tranquillo curvantur brachia portu.

* Inſulæ deſcriptio *ante Heinſ. pro* ſeceſſu, conſpectu *Heinſ.*
1 receſſu Inſula, quæ *ante Heinſ.*

Eſt imitatio Virgiliana, vel ſi mavis, certamen ſcholaſticum cum Aen. 1, 159 *Eſt in ſeceſſu longo locus: inſula portum Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.* Poteſt hæc deſcriptio ceteroquin accommodari ad Syracuſanum portum, quem objectu ſuo inſula efficit.

LXXXVII

XXVII *DE QUADRIGA MARMOREA*

Quis dedit innumeros uno de marmore vultus?
Surgit in aurigam currus, paribuſque lupatis
Unanimes frenantur equi. Quos forma diremit,
Materies cognata tenet, diſcrimine nullo.
Vir redit in currum: ducuntur ab axe jugales:
Ex alio ſe quiſque facit. Quæ tanta poteſtas?
Una ſilex tot membra ligat, ductuſque per artem
Mons patiens ferri varios mutatur in artus.

4 frenata *Pulm. marg.* 5 vix *vulg.*
6 ex alto -- jacit *MSS.*

1 *Innumeros vultus* non puto dici de hoc tantum opere: ſed univerſim miratur auctor ſtatuariæ artis miraculum, ex una materia, dura eadem tot figuras formantis. Has vocat *vultus*, ut Ovid. Met. I, 2 *Unus erat toto naturæ vultus in orbe.*

2 *Currus* ſunt ipſi equi: hi ſurgunt ſublatis pedibus anterioribus & reclinant ſe verſus aurigam, rotis inſiſtentem.

3 *Quos forma diremit* non refertur ad equos; hi quantum poteſt ſunt ſimiles, eodemque geſtu & velut motu atque actu: ſed auriga, frena, equi, axis, rotæ, omnia ſunt ex lapide eodem. Itaque *Vir redit in currum*, continuus eſt & continens currui, *jugales* equi *ducuntur* ex eadem maſſa *ab axe.* Cogita, lector, ſtatuam dum funditur ex aere, ibi membrum unum ducitur ab altero, una continuatione. Ita hic jugalis quisque *ſe facit*, inter manus artificis fieri & enaſci videtur, *ex alio*, proximo, cui continens eſt. Sed fateor hanc formulam *ſe facit* mihi nimis audacem videri, & barbarum aliquid habere hodiernarum linguarum uſui ſimile, ubi reciprocis verbis utimur pro paſſivis.

8 *Montem* pro ſaxo, parte montis, poni, apertum eſt.

LXXXVIII

xxxviii *FRAGMENTUM*

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,
Exercentur equis, & colla comantia pectunt.

LXXXIX

xxxix *DE PAUPERE AMANTE*

Paupertas me ſæva domat, dirusque Cupido.
Sed toleranda fames, non tolerandus amor.

XC

xl *DE EODEM*

Esuriens pauper telis incendor amoris.
Inter utrumque malum diligo pauperiem.

XCI

XCI

XLI *IN SEPULCRUM SPECIOSAE*

Pulcris ſtare diu Parcarum lege negatur.
Magna repente ruunt: ſumma cadunt ſubito.
Hic formoſa jacet Veneris ſortita figuram,
Egregiumque decus invidiamque tulit.

2 invidiam meruit *ante Claver. cujus emendationem probavit Barth. & Heinſ. 2.*

4 Antiquum pulchrarum vitium invidia: quo nec hodie dicuntur carere. Sic Scyllam monſtrum fecit Circa.

XCII

XLII *DE BIRRO* CASTOREO*

Nominis umbra manet veteris. nam dicere Birrum,
Si Caſtor niteat, Caſtoreum nequeo.
Sex emtus ſolidis, quid ſit, jam ſcire poteſtis.
Si mihi nulla fides, credite vel pretio.

* de Birrho & Caſtoreo *editt. vett.* 1 veteres *edd. vett.* diſcere *MSS.* 2 ſi *edd. vett.* juret, viret, vitet, nitet *al.* nomen verba manet *MS.* ſi textura vetet *conj. Scal.* ni Caſtor niteat *ex MSS. Claver. Barth. Heinſ.* ſi Caſtor vivet *vel* vivat *conj. Heinſ. quod non intelligo.*

Birrum eſſe lacernam, veſtem, quæ aliis interioribus injiciatur, oſtendit Salmaſius, quam laudamus in Theſauro. Caſtoreos pilos molliſſimum genus veſtimenti præbuiſſe jam ea tempeſtate, qua ſcriptum ponitur hoc epigramma, oſtendit Barthius. Videtur illſus auctor ridere antiquum birrum, de quo jam omnis lanugo caſtorea, qua cenſebatur, unde nominabatur, detrita ſit. Hunc negat dici jam debere, quod olim fuerit, birrum *caſtoreum.* Niſi malis imitatione birrorum vere caſtoreorum, alios de viliore lana hoc nomen accepiſſe, ut ſi quis hodierna illa viliora textilia villoſa de lana vel lino (*Peluche*) velit holoſericorum hexamitorum appellatione (*Sammet*, *velours*) condecorare. Et hoc melius placet, quia provocatur ad pretium.

XCIII

XLIII *DE HIPPOPOTAMO*

Utraque fecundo nutritur bellua Nilo:
Quæque vorat morſu, quæque ſub ore fremit.

Protulerat hoc epigramma Heinſius, in nota ad n. 83: unde in altera editione huc relatum eſt. Quid ſibi velint ultima verba, inde intelligere mihi videor, quod veteres ſcriptores univerſim *ἵππου φωνὴν*, *hinnitum*, huic belluæ tribuunt, a quo forte magis, quam a figura corporis, nomen invenit. Videtur autem pulchre exprimi hinnitus hac periphraſi: eſt enim ſpiritus tremulus ex imo gutture profuſus & per os ac nares expulſus.

XCIV

XLIV *QUAE IN MENSA DE SARDONYCHE LAPIDE*

Menſa coloratis aquilæ ſinuatur in alis,
Quam floris diſtinguit honos: ſimilisque figura
Texitur: implumem mentitur gemma volatum.

Eadem hujus epigrammatis ratio eſt. Videtur deſcribi menſa forte argentea, quæ haberet emblemata ex ſardonyche, aquilam, florem, aliam avem. Quod *texi figuram* dicit, intelligo ex diverſis gemmis tanquam muſiuo opere compoſitam, ſegmentatam, teſſellatam.

XCV

XLV *CARMEN PASCHALE**

Chriſte potens rerum redeuntis conditor ævi,
Vox ſummi ſenſuſque Dei: quem fudit ab alta
Mente pater, tantique dedit conſortia regni.
Impia qui noſtræ domuiſti crimina vitæ,
Paſſus corporea mundi veſtire figura,
Affarique palam populos, hominemque fateri:
Quem verbo incluſum Mariæ mox numine viſo
Virginei tenuere ſinus, innuptaque mater
Arcano ſtupuit compleri viſcera partu,

Auctorem

1 *pro* ævi, orbis *MSS.* anni *MS.* 2 fuderat alta *MSS.* 4 impia tu *al. etiam Fabric.* 5 mundum *vulg.* dominum *conj. Barth.* 7 quemque utero *Vien. Junt.* quem verbo *Ald. Fabric. MSS.* tene utero *conj. Heinſ.* lumine *MS.* angelo *MSS. & Cuj. ex gloſſa. Totus verſus in quibusdam codd. deeſt.* 8 tumuere *vulg.* timuere *MSS.* tenuere *MS. Oxon. unde* tremuere *conj. Heinſ.* intumuere *MS.* patuere *MS.* 9 obſtupuit *Fabr.*

* Hoc carmen Ge. Fabricius, Damaſo Epiſcopo ſæculi IV Romano in libro antiquiſſimo adſcriptum, edidit p. 774 & noſtro Claudiano abjudicavit in Comment. p. 35 & 43: cui potius aſſentior, quam Claverio. Non vocatur ibi *Paſchale*, ſed ſimpliciter inſcribitur de Chriſto. Et tamen Paſchale carmen eſſe, indicant duo verſus ultimi, qui etiam hoc docent, ſolemnes eo tempore in Eccleſia preces interpoſites fuiſſe pro Imperatore. Poterat uti hoc loco Vir Illuſtris, commilito ante hos pene quinquaginta annos meus in Jenenſi Academia, cujus nunc magnum decus eſt, C G. Buderus in progr. de precibus pro Imperatore fuſis, quo refellit eorum errorem, qui hunc morem demum ſæculo octavo ab Hadriano Pontifice inſtitutum tradunt.

1 *Rediens ævum*, nova felicitas, ut *Gloria novi ſæculi* in nummis. Ut Virg. ecl. 4, 5 *Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo: Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.*

5 *Paſſus veſtire* formula cujus ſimiles habet etiam Claudianus. Vid. 15, 265. Suſtinuiſti te veſtire corpore.

7 Sic ordino & interpretor: *Sinus Mariæ Virginei*, ſtatim *a Numine* Gabrielis (vel ipſius Dei per Gabrielem ſe manifeſtantis) *viſo tenuere* hunc hominem, *Verbo* illi Johanneo intime unitum & velut *incluſum.* Si quis *tumuere* utique ſervandum putet, ille Græciſmo defendet phraſin, *Virginei ſinus tumuere* (ob) *puerum*.

Auctorem paritura ſuum. Mortalia corda
Artificem texere poli, mundique repertor
Pars fuit humani generis, latuitque ſub uno
Pectore, qui totum late complectitur orbem;
Et, qui non ſpatiis terræ, non æquoris unda,
Non capitur cælo, parvos confluxit in artus.
Quin & ſupplicii nomen, nexuſque ſubiſti,
Ut nos ſubriperes leto, mortemque fugares
Morte tua: mox ætherias evectus in auras,
Purgata repetis lætum tellure parentem.
Auguſtum foveas, feſtis ut ſæpe diebus
Annua ſinceri celebret jejunia ſacri.

10 membra *MS.* 11 fudere *MSS.* & *Baſ. marg.* cepere *MS.* 12 imo *vulg.* uno *Ald.* 14 undis *Fabric.* 15 nec *vulg.* 16 ſupplicii *vulg.* ſupplicium nomen, *vel* mortis *MSS.* mancipii *eſt a Cujacio & Claverio, quos ſequitur Heinſ.* 17 eriperes *MSS.* 19 repetens *vulg.* reparans lætum te luce, parentem Auguſtum *Fabric.* parentem Auguſtum *jungunt etiam alii ante Claver. Dedi lectionem Claver. Janſ. Heinſ.*

20 Auguſtos — celebrent *MS. quod eſt forte ſtudio accommodatum, ad tempus, quo duo erant Auguſti.*

10 *Corda* nominat ea plane ratione, ut Germanorum conſuetudo *ſub corde geſtari* dicit nondum natos, V. G. 2 Maccab. 7, 27, & liberos *a corde* venire, & *redire ad cor*, h. e. cor matrum tangere ſua morte. Utrum tale quid apud Græcos vel Latinos alias inveniatur, nondum obſervavi. Eadem quidem ſententia v. 12 *latuitque ſub uno Pectore*.

16 *Mancipii nomen & nexus*, Romano quidem intellectu, ſubiſſe dominum, nusquam legimus: niſi quod illa Pilati damnatione *ſervum pœnæ* factum dicere poſſumus. Ceterum poteſt Poëta reſpexiſſe ad illud μορφὴν δούλου λαβών.

20 Hæ ſunt preces pro Imperatore, finis & ſcopus totius carminis, cum illud nullas alias preces, nullum aliud deſiderium exprimat.

XCVI

XLVI ΕΙΣ ΤΟΝ ΣΩΤΗΡΑ

Ὦ πυρὸς ἀενάοιο σοφὴν ὠδῖνα φυλάσσων,
Ἐμβεβαὼς κόσμοιο παλινδίνητον ἀνάγκην,
Χριςὲ θεοῤῥήτοιο βίυ φυσίζοε πηγὴ,
Πατρὸς ἀσημάντοιο πρωτοσπόρε φωνὴ,
Ὃς μέγα μητρῴων τοκετῶν ἐγκύμονα φόρτον,
Καὶ γόνον αὐτοτέλεςον ἀνυμφεύτων ὑμεναίων
Στήσας, ἀσσυρίης γενεῆς ἑτερόφρονα λύσσαν,
Ὄργια δ' εἰδώλων κενεῶν ψευδώνυμα λύσας,

Αἰθέρος

Hos Chriſtiani hominis verſus, moneta quidem Nonni percuſſos, neſcio unde acceptos Græce, ut hic ſunt, dedit Heinſius: quos ita converti ad verbum poſſe puto. O *tu* qui æterni ignis ſapientem fecunditatem cuſtodis, Qui *aurigæ inſtar* gubernas volubilem mundi neceſſitatem, Chriſte, vitæ a Deo promiſſæ fons vivifice, Patris ineffabilis Dei vox, quæ primum ſeminavit omnia: (5) Qui valide maternorum partuum gravidum onus, Et fœtum a ſeipſo perfectum nuptiarum ſponſo carentium Conſtituens, Aſſyriæ *contra ea* generationis *(Syriæ Deæ & Magnæ Matris Deum)* alienati ſenſus furorem, Atque Orgia idolorum vanorum falſo nomine

1 Igni æterno tribuit generationem omnium, quod ex antiqua philoſophia Heraclitica aſſumtum: hinc tribuit illi ὠδῖνα σοφὴν, non dolorem profecto partus, ſed ipſam, ſi quid video, generandi facultatem, gubernatam ſapientia.

5 Μέγα hoc refero ad Στήσας v. 7. Valide conſtituit, ſtabilivit, credendum generi humano commendavit partum mirabilem.

7 *Aſſyrium* & *Syrium* perpetuo fere confundi, & *Syriam Deam* eſſe *Deorum matrem*, conſtat: & primis Chriſtianæ religionis ſæculis illud genus furioſæ ſuperſtitionis plane regnum quoddam obtinuiſſe, facile demonſtrari poſſet. Sed verſamur in Parergo: hoc enim carmen quia non eſt Claudiani non debemus lectoribus. Qui Dalenianam de Tauroboliis diſſertationem legere voluerit, ad veſtigia de his rebus quærendi deducetur.

Αἰθέρος ἀμφιβέβηκας ἐφ' ἑπτάζωνον ὀχῆα,
Ἀγγελικαῖς πτερύγεσσιν ἐν ἀῤῥήτοισι θαάσσων.
Ἵλαθι παγγενέταο θεοῦ πρεσβήϊον ὄμμα,
Φρουρὲ βίου, σῶτερ μερόπων, αἰῶνος ἀνάσσων.

celebrata diſſolvens, Cæli balteum ſeptem Zonis conſtantem conſcendiſti (10) Angelicis alis ineffabilibus inſidens, *ſubvectus*: Propitius eſto, genitoris omnium Dei venerande Vultus, Cuſtos vitæ, Salvator hominum, ſæculo imperans.

9 Cælum & peculiari ratione Zodiacum imaginatur ut *balteum*, continentem, & coërcentem omnia. Hunc ἑπτάζωνον vocat, ob ſeptem illas Zonas, de quibus dictum ad 24, 135. Hic illud addo: quemadmodum totum hoc carmen ingenium Nonnianum mihi videtur redolere, ita peculiariter hunc locum. Nonnus enim Dionyſ. 46, 47 Οὐρανὸν diſerte ἑπτάζωνον appellat, & 38, 312 ἑπτὰ περὶ ζώνῃσι κυκλούμενον.

11 Ομμα poteram *oculum* reddere, per quem videt & videtur pater. Sed credibilius mihi eſt, poni pro προσώπῳ: qui Chriſtum videt, vultum ac faciem Dei videt.

XCVII

XLVII ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΕΣΠΟΤΗΝ ΧΡΙΣΤΟΝ

Ἀρτιφανὲς, πολιοῦχε, παλαιγενὲς, υἱὲ νεοττὲ,
Αἰὲν ἐὼν προεὼντε, ὑπέρτατε, ὕστατε, χριστὲ
Ἀθανάτοιο πατρὸς, καὶ ὁμόχρονε, πάμπαν ὅμοιε.

c De hoc idem quod de præcedenti dicendum. Poteſt ita verti, Præſens, Civitatis *tuæ* cuſtos, antiquitus nate, & *idem* fili parvule, Semper qui es, ante *omnia* qui es, ſupreme, ultime, Chriſte, immortalis patris & coæve & undique ſimilis.

XCVIII

XLVIII *LAUS CHRISTI* *

Proles vera Dei, cunctiſque antiquior annis,
Nunc genitus, qui ſemper eras, luciſque repertor
Ante tuæ, matriſque parens: quem miſit ab aſtris
Aequævus Genitor, verbique in ſemina fuſum
Virgineos habitare ſinus, & corporis arcti
Juſſit inire vias, parvaque in ſede morari,
Quem ſedes non ulla capit: qui lumine primo
Vidiſti quidquid mundo naſcente crearas.
Ipſe opifex, opus ipſe tui, dignatus iniquas
Aetatis ſentire vices, & corporis hujus
Diſſimiles perferre modos, hominemque ſubire,
Ut poſſis monſtrare Deum, ne lubricus error,
Et decepta diu varii ſollertia mundi,
Pectora tam multis ſineret mortalia ſæclis
Auctorem neſcire ſuum. Te conſcia partus
Mater, & attoniti pecudum ſenſere timores.
Te nova ſollicito luſtrantes ſidera viſu
In cælo videre prius, lumenque ſecuti,
Invenere Magi. Tu noxia pectora ſolvis,
Elapſaſque animas in corpora functa reducis,
Et vitam remeare jubes. Tu lege recepti

Muneris,

5 nate *conj. Barth.* 9 ſui *adhuc editum.*

* Hoc carmen inter ea eſt, quæ primum Jo. Camers pro Claudianeis edidit. Non ſatis ubique orthodoxum, certe non ad formulas caute loquendi attemperatum. Sed nos hic non θεολογοῦμεν.

4 *Verbum* hic poni de Chriſto, quatenus homo eſt, videtur; ſed poteſt forte ita intelligi: ſemina, e quibus caro fieri naſcique adeo debuit Verbum.

16 *Attoniti timores* ſignant opinionem illam veterum, quam exprimit antiquus hymnus, *Agnovit bos & aſinus, quod puer erat dominus.*

19 *Lege recepti muneris*: ea conditione munus Meſſiæ ſuſcepiſti.

Muneris, ad Manes penetras, mortiſque latebras
Immortalis adis. Naſci tibi non fuit uni
Principium, finiſque mori: ſed nocte refuſa,
In cælum, patremque redis, rurſuſque perenni
Ordine purgatis adimis contagia terris.
Tu ſolus, Patriſque comes, tu Spiritus inſons,
Et toties unus, triplicique in nomine ſimplex.
Quid, niſi pro cunctis, aliud? Quis credere poſſit,
Te potuiſſe mori, poteras qui reddere vitam?

23 nam fuit *adhuc editum*. 24 recluſa *vel* retuſa *conj. Heinſ.*

23 Tibi uni naſci non fuit principium, qui fueris ante quam naſcerere: neque mori finis, qui mox revixeris.

25 Non loquitur poëta hic cum orthodoxis; *in patrem redis* non eſt idem quod *ad patrem*. Nec ſatis eſt Criticam hic medicinam facere, mutare τὴν *in* in alteram *ad*; quid enim faciemus illis, quæ ſequuntur v. 27 & 28. Aut fallor egregie, aut Sabellianiſmi crimen vix abſtergi illis poteſt. Ceterum ita intelligo v. 25 & 26. *Purgatis* jam a miſeria ſua *terris* rurſus ordine æterno per Evangelium conſtituto adimis contagia, ſi qua de novo contrahant.

29 Quid ſibi volunt, quorſum ſpectant omnia iſta miracula? Hoc, ut pro cunctis aliud eſſes, prout quisque patre, redemtore, Spiritu opus haberet.

30 Finis abruptior ſuſpicionem præbuit Scaligero, nos non integrum habere hunc hymnum.

XCIX

XLIX *MIRACULA CHRISTI**

Angelus alloquitur Mariam, quo præſcia verbo
Concipiat, ſalva virginitate, Deum.

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,
Myrrham homo, rex aurum, ſuſcipe tura Deus.

* Similis hic libellus Prudentiano Enchiridio ſ. Diptychis: ſed in brevitate illa diſertior, ingenioſiorque. Separanda curavi aliquantum Diſticha, ut indicetur, unum quodque totum, & abſolutum eſſe. Cererum videtur hoc fragmentum modo eſſe longioris opuſculi, quo alia quoque miracula Domini noſtri poëta proſecutus eſt.

Permutat lymphas in vina liquentia Chriſtus,
  Quo primum facto ſe probat eſſe Deum.
Quinque explent panes, piſces duo, millia quinque:
  Et Deus ex parvo plus ſupereſſe jubet.
Editus ex utero cæcus nova lumina ſenſit,
  Et ſtupet ignotum ſe meruiſſe diem.
Lazarus e tumulo, Chriſto inclamante, reſurgit,
  Et duræ mortis lex reſoluta perit.
Nutantem quatit unda Petrum: cui Chriſtus in alto
  Et dextra greſſus firmat, & ore fidem.
Exſanguis Chriſti contingit femina veſtem:
  Stat cruor in venis: fit medicina fides.
Juſſus poſt multos graditur paralyticus annos,
  Mirandum, lecti portitor ipſe ſui.

* *

C

1 IN SIRENAS*

Dulce malum pelago Siren, volucreſque puellæ,
Scyllæos inter fremitus, avidamque Charybdin,
Muſica ſaxa fretis habitabant dulcia monſtra.
Blanda pericla maris; terror quoque gratus in undis.
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Impleſſentque ſinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox una ratem: nec tendere certum
Delectabat iter reditus, odiumque juvabat:
Nec dolor ullus erat. mortem dabat ipſa voluptas.*

* * *

7 cœptum *conj. Heinſ. Nempe ortum eſt* certum *ex neglectu diphthongi* & *r longinſculo.*

* Non eſt, quod hic adjiciamus poſt ea, quæ habet ipſe noſter 36, 190. 204. 256

6 Meminerimus moris nautarum ab ipſo ſtatim appulſu puppem obvertendi pelago. Virg. 6 extr. *Ancora de prora jacitur, ſtant litore puppes.* Ergo ſtantibus etiam in portu navibus, intelliguntur *venti de puppe ferentes.*

8 *Odium* ac tædium nautarum alias eſt mora longior &c.

CI

ANONYMI POETAE

LAUDES HERCULIS

Pieridum columen, cujus Parnaſſia magno
Numine templa ſonant, læto precor huc age, Phœbe,
Te conjunge choro: penetralia ſancta ſororum,
Et nova Caſtalios latices per rura petentem
Hippocrenæum victorem inſiſtere fontem
Me fac. namque tuam non nunc novus advena turbam
Ingredior, lauroſque gerens, & florea ſertis
Tempora vincta tuis doctorum munera vatum.
Teſtor adhuc veteres quamvis deſuetus honores.
Alcides mihi carmen erit, germana Tonantis
Progenies, dignus credi poſt viſcera Numen
Semper ob immenſos invicti roboris æſtus.
Nec naſci potuiſſe vacat. Nam lucis in ipſis,

 Inclite,

5 Hippocreneos --- fontes *vel* Hippocreneo --- fonti Me fas *conj. Heinſ.* 6 me: famaque *Vien. Baſ. Pul.* me fameque *Ald.* 8 ſuis *conj. Heinſ.* 10 Romana *Vien. Baſ. Ald. Plant.* 12 artus *vel* actus *conj. Heinſ.*

5 Intolerabile eſt cum litera mugiente Polyptoton, quod vix mediocris poëta adniſerit. Etiam illud *Me fac* non placet. Sed quid dederit Poëta, non dixerim. Claudianum eſſe auctorem, mihi non ſit probabile; aut Claverii ſuſpicio vera fuerit, ſenem fuiſſe & viribus defectum, cum iſta ſcriberet. Alteram illius opinionem, puerum fuiſſe, refellit ipſum hoc exordium, niſi dicamus, adeo puerum fuiſſe, uti ſenem ſe fingeret.

11 *Poſt viſcera* debet ſignificare ſtatim ab utero & nativitate. Cf. v. 88 *Poſt membra. Aeſtus* autem ſunt labores & ærumnæ, ut vocari ſolent, Herculis.

Inclite, principiis, tardo vix editus ortu
Feciſti de patre fidem. Sed cur mihi lentis
Ludis adhuc, Cyrrhæe, modis, tenerumque reſultans
Luxuriante leves impellis pollice chordas?
Pone habitum, quo mollis amas: & frondis amatæ
Linque nemus, mollique exutus tempora lauro
Populea mecum carmen luctare ſub umbra.
Jam grave plus etiam, quam ventris tempora vellent,
Alcmenam tendebat onus. ſed regia Juno
Impedit, & partus prohibet, naſcique vetabat,
Ut metus ipſe Deum monſtret. Nec vivida cæli
Semina mortales norunt ſentire latebras,
Nec poſſunt ſufferre moras. Datur inde novercæ
Materies, gravibuſque odiis augmenta miniſtrat,
Quod vinci cœpiſſe pudet. Mox improba binos
In tua membra jubet, dum naſceris, ire dracones.
Incumbunt celeres illi, ſquamoſaque juſſus

Armat

16 Cyrrhæa *editum* 19 mitique, *propter præced.* mollis, *conj. Heinſ.* 21 ferrent *conj. Heinſ.* 22 Alcmena ſ. Alcmenæ *ante Claver.* 27 alimenta *conj. Heinſ.*

13 Nec illud *vacat* æſtu & ærumna, quod naſci potuit, cum Juno artibus ſuis impedire, differre certe partum illius ſtuderet. Narrat ipſa Alcmena apud Ovid. Met. 9, 285 ubi inter alia *Septem ego*, inquit, *per noctes, ſeptem cruciata diebus.* Hic *tardus ortus* eſt.

16 *Tenerum reſultans* adverbialiter ponit Græco more, ut *horrendum clamat.*

20 *Luctare* cum relatione ad argumentum, Herculem. Hoc verbo etiam Phœbo ſuo injungit laborem & magnum conatum: an feliciter? Etiam Herculis major laus fuit, cum facile vicit.

21 Videtur ſecutus Naſonis l. c. 287 *Tendebat gravitas uterum mihi: quodque ferebam Tantum erat, ut poſſes auctorem dicere tecti Ponderis eſſe Jovem.*

23 Operæ pretium eſt etiam hunc locum velut exhilarare Ovidiano carmine v. 295 Lucina vocata precibus Alcmenæ venit illa quidem, ſed præcorrupta a Junone, *ſubſedit in ara Ante fores – dextroque a poplite lævum Preſſa genu, digitis inter ſe pectine junctis Suſtinuit nixus.* Cur Juno ita retardaverit partum Herculis, dicetur ad v. 84. Junonem & Lucinam, εἰλειθυίας hic diſtinguunt Naſo & Apollodorus 2, 4. 5.

24 *Metus Junonis* & ſtudium impediendi indicat, id quod parturiat Alcmena eſſe Deum.

Armat colla furor: nec quamvis maxima tractu
Tradantur ſpiris. ſequitur pars cætera pectus.
Triſtis Tartarea vibratur ſibilus aura.
Morte rubent oculi, triſidiſque horrentia linguis
Ora ſonant, nigrumque fremens levat ira venenum.
Quid nunc invictis fraudes innectere fatis,
Cælicolum Regina, juvat? cur objicis angues?
Cur parvo geminos? anne unum poſſe necari
Jam ſtrato Pythone times? Licet omnia mundi
Monſtra voces, ipſamque armes ſerpentibus Hydram,
Defendet natura Deum, patremque probabit,
Quod non vis conſtare, Jovem. Jamque irrita tetri
Juſſa parant implere angues, miſeroque furore
In tua fata tument. Cernit tua membra petentes,
Horreſcitque parens, numenque ignara creaſſe
Mortali pietate timet. Nil ſancta ſuperbæ
Pellicis inſidias cælo modo freta tremiſcas,
Neve hæc monſtra tibi faciant, Alcmena, pavorem.
Sic mater potes eſſe Dei. Jam tolle ſerenum
Læta animum, tantoque libens hæc adſpice vultu,
Ut deceat genuiſſe Jovem. Depone timorem
Indignum partu, natumque exemplar habeto.

Cui

32 ſpiræ *conj. Heinſ.* 35 pluit ira *conj. Heinſ.* 36 invitis — fatis *conj. Heinſ.* 42 quod novit *Vien. & Baſ.* 43 verſoque *conj. Heinſ.* 46 materna *Cuj.* 51 tenuiſſe *Cuj.* *quid ſi* Jovi? 52 natumque ex. habeto *e conj. Heinſ. pro* quæ habebas.

39 Exemplum Apollinis poterat movere Junonem, qui rudimenta artis ſuæ ſagittandi dedit in Pythone, horribili Dracone, Parnaſſum & oraculum illud obſidente.

47 Junonem iratam non timuit hic poëta, qui audeat illam *pellicem* Alcmenæ, retorto in juſtam uxorem & reginam convicio, appellare. *Cælo freta* h. e. Jovis tui auxilio.

51 Poteſt explicari hic verſus, ut Jovi decorum ſit ex te genuiſſe ſibi filium. Nam *Jovis* nomen hic communicari cum Hercule, non opus eſt. Sed vid. etiam V.L.

Cui metuis, nil ipſe timet. Nam lumine recto
Ridebas tu, Dive, truces animoſque ſuperbos
De genitore tenens, votiſque aptiſſimus orbis
Gaudebas tantam jam tum meruiſſe novercam.
Corripis exiguis mox grandia guttura palmis,
Et quamvis teneris, cogens in brachia pondus,
Corripis, illidens prenſos tellure dracones.
Efferat ætherium quantum volet orbis in axem
Latoidas, veroſque probet ſua fabula Divos,
Quod Delo jam ſtare licet. Non æqua laborum
Gloria, nec parili ſerpentes ſorte necarunt.
Illi unum ferro: geminos hic inermis, & unus.
His cœptis non ulla parat cunabula partus
Diva tibi. ſed cum totis jam bruma rigeret
Imbribus, & ſolidis hærerent flumina lymphis,

Nudum

53 lumine -- truces -- tenens *e conj. Heinſ.* *pro* numine -- trucesque -- tenes. 56 exemptis *Cuj.* 58 crebis cogunt ſe -- Porrigis *vel* Projicis *conj. Heinſ.* 66 dive -- moris *conj. Heinſ.*

53 De *rectis oculis* in tali re, h. e. imperterritis, vid. Bentl. ad Hor. Car. 1, 3. 18.

58 Si quis pictor hoc factum velit depingere, illum oportebit, non, ut quidam faciunt, in cunis relinquere parvum Herculiſcum, ſed facere, quod Plautus Amphitr. 5, 1. 63 *Citus e cunis exſilit, facit recta in angues impetum: Alterum altera apprehendit eos manu perniciter &c.* Hic noſter *cogit* colligit *pondus* omne ſui corporis *in brachia*, & ſic *illidit dracones tellure*, qui aut dativus eſt antiquus, aut omiſſum *in*.

60 *Orbis* Metonymice dictum pro hominibus, ut vulgo *mundum* dicunt, & noſter v. 86; veteres *Orbem terrarum*. Ipſe tamen Ovid. Art. 1, 174 *Ingens orbis in urbe fuit.*

62 Claudianus 8, 133 *Hæſit Apollineo Delos Latonia partu.*

64 Dat Apollini adjutricem in Pythone conficiendo ſororem, Dianam.

66 Poſt ea, quæ ad v. 47 obſervavimus, non eſt mirum, *Divam* appellari Alcmenam: & convenit illud v. 71 *Secura jam matre.* Niſi tamen hic velimus Junonem intelligere, quæ privigni ſui educationem permittente, ut erat uxorius, Jove ſuſceperit. Certe nominativus aliquis hic requiritur, ad quem pertineat verbum *parat*, & mox *firmat*.

67 *Hærentes glacie* fluvios etiam dixit Claudianus 8, 348.

Nudum prægelidis durando firmat in undis.
Utque rudis primo tentaſti robore greſſus,
Frondoſæ deſerta vagus penetralia ſilvæ
Secura jam matre petis, telíſque tremendis
Ludis, & ætherias adducto dejicis arcu,
Aut funda violenter aves, noctemque ſub aſtris
Exigis, & puram fractis bibis amnibus undam.
Immanem interea Nemeæ per luſtra leonem
Ipſa Chimæræa cretum de gente noverca
In tua depaſtis armabat vota juvencis,
Augebatque fero vires, rabiemque juvabat,
Naturam minus eſſe putans. heu quanta virorum
Funera! quam multos ſtravit cum dentibus apros!
Non illum magnæ viduatis mœnibus urbes
Armorum fregere minis, Martique domando
Aſſuetas morſu fudit graviore catervas.
Hunc gravis Euryſtheus (nam, te quocunque levares,
Imperium duri voluit ſufferre tyranni,
Sic mundo fortuna favens) hunc ſternere leto
Imperat. At nullum virtus reticenda per ævum,
Dignaque

74 crudam *conj. Heinſ.* 77 *quid ſi* In ſua? *vel* In tua -- fata?
80 ſtravit ſementibus *vel* conſtravit meſſibus *conj. Heinſ.*
81 montibus *ante Claver.*

74 *Fracti* amnes ob glaciem, de qua modo dictum.

80 *Leo* & *aper* par compoſitum etiam ſupra n. 53. Hic Leo Nemeæus ſtravit apros una *cum dentibus* ipſorum, quibus alias ſunt etiam Leonibus terribiles.

81 Univerſi urbium incolæ relictis mœnibus in expeditionem ivere & venatum. *Martem domare* hic eſt pugna & armis vincere.

84 Quamcunque alte aſcenderes gloria & rebus gerendis, tamen fatale erat, te Euryſtheo parere. Hoc vero ipſum ſalutare fuit generi humano, quod ſic liberabatur monſtris. Cf. 36, 378. Illud fatum nos docet Apollod. 2, 4. 5, itemque, ſed non ſine interpolatione, Tzetzes ad Heſiod. Scutum Herc. 91. Breviter, juraverat Jupiter præceps, (ut ſunt in tali re reges) qui de Perſei ſtirpe certo die naſceretur, illum Mycenis imperaturum. Gravida erat eodem tempore uxor Stheneli, qui Perſei filius erat non minus quam Alcmenæ pater Electryon, Juno impedit legitimum partum Herculis, de quo v. 23, præcipitat nativitatem ſeptimeſtris Euryſthei &c.

Dignaque ſidereos poſt membra intrare receſſus
Poſſe mori quam vile putat: namque impiger ultro
Vadis & immenſæ ſcrutatus devia ſilvæ
In nova ſanguineos armantem vulnera rictus.
Admonita feritate, juba, viſuque cruentus
Excuſſis movet arma toris, dubiumque reſidens
Infremit. Invadis trepidum, ſoliſque lacertis
Grandia corripiens eliſo guttura morſu,
Imbellem fractis proſternis faucibus hoſtem.
Tunc & flavicomis radiantia tergora villis,
Ceu ſpolium fuſo victor rapis. emicat omnis
In laudes mox turba tuas, longoque relicta
Currit in arva metu. Juvat ire, & libera rura,
Defenſoſque videre locos, ſilvamque juvencis
Jam facilem, & nullis reſonantes fletibus agros.
  Mœnalium petis inde nemus, fletamque colonis
Arcadiam, & ſteriles raro jam robore ſilvas.
Namque hic immenſa membrorum mole cruentus
Indomitus regnabat aper, ſoloque tremendus
Corpore lunatis fundebat dentibus ornos,
Sternebatque ſuos lugentia rura colonos.
Horrebant triſidis nigrantia corpora ſetis,
Duratoſque armos ſcopulis, totoſque per artus
Difficilis

94 tumidum *Cuj.* ſolidisque *conj. Heinſ.* 95 eluſo *e conj. Heinſ.* 2. 103 fretamque *Cuj.* 106 ſolidoque *conj. Heinſ.* 107 findebat *Cuj. conj. Heinſ.* 109 horrebat rigidis -- tergora & *mox* tutosque *conj. Heinſ.* 110 deeſt aliquid *Cuj.*

88 *Poſt membra* ut v. 11 *poſt viſcera.* Intelligit poſt membra corporis mortalis ipſa morte depoſita.

92 *Admonita feritate* leonis vel ab Hercule, vel poſtquam ipſe Leo feritatem ſuam velut excitavit. Plin. 8, 16 ſ. 19 *Leonum animi index cauda.* —— *In principio* (iracundiæ) *terra verberatur, incremento terga, ceu quodam incitamento flagellantur.*

107 *Fundere* eſt dejicere: ſic *fundi* dicuntur hoſtes. Sed *ſternere rura* eſt roſtro ruere ac vertere: hæc pulchra Metaphora lugere dicuntur ſuos colonos.

109 *Trifidas ſetas* cur hic poſuerit auctor, me non intelligere fateor:

Difficilis potuiſſe mori. non ſpicula in illum,
Nodoſumve rapis * gravato pondere robur.
Armati viduatur honos. nec vulnera virtus
Extemplo tibi facta timet. jamque arripis ultro
Spumantem, cogiſque diem ſufferre tuendo,
Atque ſupinato mirantem lumine victi
Argolici victor portas ſub tecta Tyranni.
Fama celer toto victorem ſparſerat orbe,
Auxiliumque Dei poſcebat Creta cruento
Victa malo. Taurus medio nam ſidere Lunæ
Progenitus Dictæa Jovis poſſederat arva.
Fulmen ab ore venit, flammiſque furentibus ardet
Spiritus, & terram, non cæli flamma perurit,
Sed flatus monſtri.* dextro jam Siria ceſſent
Sidera,

112 gravato *Vien.*. *Baſ.* gravidato *Clav.* clavato *poſt Pulm. Heinſ.*

fateor: morbus eſſe videtur, qui findit pilos ac feras animalium. Communem in ſuillo genere ſetarum hanc naturam conceſſerim: ad robur quidem & atrocitatem ſignandam qui pertinere poſſit, non video.

111 *Potuiſſe* pro *poſſe*, infinitum autem Græca ratione poſitum. Senſus eſt, difficulter poteſt mori: vivax animal eſt, difficile ad interficiendum.

112 *Clavatum pondus*, moles in clavam formata.

113 *Viduatur* honos, tollitur, certe pulcherrima ſui parte privatur. Armis & ferro conficere beſtiam multo majorem fortiorem artis eſt & celeritatis: Hercules vult cenſeri etiam robore.

115 Suillum genus magis etiam quam alia animalia humum ſpectat, in luſtris deliteſcit & luto. Qui vellet hic victorem apri pingere, ille deberet ſupinum imponere humero Herculis manu prementis fauces. Argolicum tyrannum eſſe Euryſthea, res ipſa docet.

120 Majora terrenis animalia in cavernis Lunæ naſci, oſtenſum ad 24, 288. Addamus hic locum Aeliani Hiſt. An. 12, 7 ubi Nemeæum Leonem de cælo delapſum a quibusdam dici memorat, & recitat Epimenidis verſiculos, in quibus ipſe ſic loquuns introducitur Καὶ γὰρ ἐγὼ γένος ἐμμὶ σελάνας ἠϋκόμοιο κ. τ. λ. Emendavit illos Scal. ad Cirin p. 50. Sed fugit ea res doctos recentiſſimæ editionis auctores.

124 Locus obſcurus, &, ut cetera in hoc libello, relictus ab interpretibus: in Elzeviriana utraque etiam aſteriſco ſignatus. Tentemus aliquid, ut in re deſperata. *Dextra* ex antiqua diſciplina Empedoclis apud Plutar. de Plac. Phil. 2, 10 ſunt τὰ κατὰ τὸν θερινὸν τροπικόν. Hinc generatim alii boreales cæli partes dextras dixere.

Sidera, Solque licet glaciali frigore victus
Abſtruſum mundo claudat jubar, aurea condens
Lumina, & ignifluo ſtupefactus in orbe tepeſcat.
Aeſtus habet Cretam, pereunt ſilvæque, lacuſque,
Graminaque, & fontes ſacri, monteſque perurit
Flamma ferox. Idam Superis ſpectantibus ignis
Diſſipat, & magno cunabula grata Tonanti
Igne ſuum monſtrum, ſi fas eſt dicere, vincit.
Tandem fama celer Dictæa ad littora magnum
Duxerat Alciden, cum Taurum dira minantem
Excipit, & ſævum cornu, flammaſque vomentem
Corripit, atque artus conſtringens fortibus ulnis
Ignifluos flatus, animamque in pectore clauſit.

dixere. Vid. Cellarius Not. Orb. ant. I, 9. Noſter improvide videtur hic poſuiſſe cauſam frigoris, ſi Sol cum ſuo Sirio in frigidum ſeptentrionem, hoc eſt, *dextro*, dextrorſum, ſe recepiſſet, quod plane contra eſt; & novimus Sirium fixum eſſe, nec mutare ſuam ad Eclipticam comparationem. Sed nihil frequentius, quam promiſcue frigus ad ſeptentrionem ablegari, calorem aſſignari partibus meridionalibus: & eſt totus hic locus parum vel *φυσιολογούμενος* vel *ἀστρολογούμενος*, præcipue v. 127, ubi *ignifluus orbis*, ſive via Solis eſt, ſive Zona torrida, inepte Sol ibi tepeſcere dicitur. Sed utcunque balbutiat, hoc vult, quantumvis remotus ſit Sol & Sirius, æſtuat Creta a Tauro ignivomo. Adverbium *Dextro* eſt etiam Lactantii 3, 6. 4 *Aut dextro aut ſiniſtro verſus ceciderunt.*

137 Truncum eſſe carmen, vel potius nos habere modo particulam totius carminis, ſatis apparet, cum tria tantum de XII vel XX certaminibus Herculis hic enarrentur.

INDEX

INDEX
CLAUDIANI

NUMERUS PRIOR CARMEN POSTERIOR VERSUM DESIGNAT

QUAE TYPIS DISTINCTA SUNT IN OBSERVATIONIBUS ILLUSTRANTUR

A

A ſtirpe recifis 3, 56. ſtirpe metas 20, 146. puero 21, 40.

ab hoſte timor nullus 5, 298. *ab* omnibus unum te docebo 28, 437.

abdidit divitias antris 1, 42. pignus 33, 178. *abdita* ſollertia 17, 41. vita luttris 36, 44.

abiere quo leges poli; quo jura deorum? 36, 273. quo ſenſus pii? 39, 4. abiſſe minas 19, 4.

abies apta fretis 35, 107. umbroſa 36, 349.

abegit Sirenas 36, 190.

abjurata Libyæ arva 28, 110.

abluitur fontibus 31, 100.

non abnuit carum ſibi hoſtem 5, 72. opem 28, 594. non abnuat vinci hortos 35, 80.

abolere pudorem 26, 563. abolere nomen ſtirpemque 26, 99.

abripit licentia vitæ 1, 153.

abrumpit in fila querelas 36, 160. abruptura ſoporem 3, 212. in abruptum fertur 20, 424. abruptum flumen 49, 40.

abſconderit Iden 36, 140.

abſolvit deos 3, 21. abſolve triumphos fontes 28, 406. abſolvens puppisque moras crimenque pudoris 29, 30.

abſtruſa in rerum ratione 17, 148. abſtruſos ſinus 49, 42.

abſens doce 41, 20. in abſentes acer linguæ 20, 380.

Abundanti furiis 18, 154.

abundat candor ſanguine 10, 269. abundans pietatis 8, 113. corporis 20, 380. *abundantis* fati 26, 110.

Academia migrat in Latium 17, 94.

accedis gener Auguſtis 21, 79.

accelerat præcepta 33, 227. accelerant gradus 50, 6. acceleravit equis citatis 26, 589.

accendit prælia 3, 300. voce cohortes 5, 173. clientes 5, 276. Venus 14, 12. *diem* 17, 78. ardor 28, 332. alio de lumine tædas 29, 189. ſtellas 33, 252. accendere terreras bellis 5, 9. accenditur relligione loci 30, 357. accenſus amnis 49, 74. accenſæ malo 36, 256. *accenſo* æquore 36, 446.

 accingar

accingar luſtrare diem 36, 316. accingere mecum 3, 337. vecturus dominam 10, 141.
accepit ſonitus 1, 209. accipe principium rurſus 44, 53.
accipiter ferus 44, 81.
acciret te 29, 114. acciri imperat 33, 77.
acclamant concilium 5, 317.
acclinis genitrix auro 8, 139. capulo 26, 487. florum cumulo 31, 4. acclines humeros 1, 115. accline columnis templum 44, 90.
accommodat aures 15, 426. uſum ſilvis 36, 366.
accommoda fraudi vallis 8, 327. res turbæ 3, 112. bellis ornus 35, 167.
acer linguæ 20, 380. acribus auſtris 3, 91. acrior voto 3, 354.
acerbat vulnus 3, 182. acerbant crimen 35, 208.
acerbum munus 5, 168.
acervis tepidis 20, 114. acervos exſangues 8, 472.
Achæmenio de Tigride 10, 224. regi 36, 264.
achates calcatur 10, 92.
Acheloides ſublatæ 36, 254.
Acheloïus decolor 29, 174.
Acheron obmutuit 33, 87. molleſcat 33, 225.
Acheronteos fontes 35, 351.
Achilles hauſit præcepta 7, 60. atrox ignovit 39, 13. Achilli tenero 5, 180. degeneraret 8, 367. proprio 11, 7. irato 21, 99. Memnon proſtratus 21, 268. dilecto 72, 2. Achillem flavum 8, 557. venturum 9, 19. tenerum flammabat 10, 16.
Achillea haſta 38, 46.
Achivi mereantur caput 5, 425. Achivis attritis 10, 179.
Achivæ gentis 20, 214. plagæ 28, 440. Achivis campis 26, 564. Achivos inter reges 72, 7.
acies ſidereæ 1, 23. ſi collata fuiſſet 5, 186. fulgida ornatu Martis 5, 351. adverſas 7, 94. quæ montibus aptæ quæ campis 8, 327. collata 15, 387. polluat 18, 286. ſtratas 20, 463. inter geminas 21, 151. tam ſubitas exſiluiſſe 21, 319. formoſa Dianæ 24, 258. Romana 26, 634. ſtupet igne metalli 28, 51. trepidans obtunditur auro *ib.* inter ſocias 28, 401. pulcras errorum 28, 624 veſana Gigantum 36, 196. per famulas 44, 88. non fixa manet 45, 17. acie nobiliore 6, 12. victi 19, 17. pulſare rebelles 21, 238. aciem eludant 17, 107. armatam 18, 511. mittebat 24, 147. in aciem ruunt 33, 38.
Acis prope flavum 36, 332.
Actæona *mutatum* 5, 419.
Actæa juga 36, 54.
Actia littora 26, 185.
acta Probi 1, 57. *actis* felicibus 18, 396. omnibus 22, 31.
actus Herculeos 3, 284. totos perſpexerit 5, 481. varios geſſerit 15, 291. priores 17, 145. in ſimiles tendit 19, 75. in quales ſe diffundat 20, 120. veteres proſequar 21, 14. Herculis 34, 29. *actu* alio deflexerat aquas 8, 481. toto carminis 29, 19. longe ſpiraminis 48, 76.
acumen mentis non leve diſcurrit 35, 201. in extremum producit 45, 16.
acuere rubores 83, 4.
acus auget meritum 8, 589. acu diſtinguit caput 10, 284. inſignibat 33, 247. Idalia 35, 16. Aſſyria veſtem ſignatur 44, 87.
ad prima (*i. primum*) 3, 165.
adæquat te meritis 8, 430.
adamas laxavit poſtes 22, 444. *adamante* coruſcat 1, 99. *nodavit* comas 3, 119. *ſolido* rigens 5, 470. *notabat* voces 15, 202. *gravem* haſtam 20, 166. manſuro ligat 22, 39. rigentes muri 26, 213.
addictus reus 28, 279. *addicto* cenſu 17, 231.
addit vulpibus fallaces 5, 484. addunt flammea vultibus 35, 324. *addidit* hinnitum ferro 28, 573. adde parum 18, 205. unum precibus 22, 387. addite numina rebus 35, 372. addere curſibus nomen 1, 10. addi nihil ultra poteſt 31, 93.
Addua viſu cærulus 28, 196. ſpumoſior 28, 458. celer 28, 488.
adduxere curas 36, 19. *adductus* enſis 18, 513. adducto arcu 101, 72. adductis nervis 5, 439. habenis 44, 48.

adiret tacito paſſu 28, 509. vix adeunda deis 22, 425.
Adherbal ſolio pulſus 15, 409.
adegit ſubjuga 29, 120.
adjicias hoc donum 1, 141.
ademi te crudelis ego 36, 420.
aditus ſequendos 26, 287. aditum anguſtant 1, 105. ante tuum 28, 278. *aditu* clemens 28, 550. tentare 33, 159.
adjunxit virum natæ & aulæ 21, 91. adjuncta Tonanti 1, 128.
admirentur nocentem 20, 227.
admiſces viva ſepultis 35, 222. admiſcent probra 18, 431.
admittit viam 28, 503. oculos 35, 114. *admittet* haſtam 11, 15. admittentia cultus non mortales munera 39, 31.
admoduletur Padus 12, 15.
admonet ſic uſus rerum 28, 129. laborum 28, 257. flammas 44, 64. admonuit gentes 24, 97. admonita feritate 101, 92.
admonitor facti 22, 155.
admoverat agmina muris 28, 443.
admugit Apis 8, 576. *omnibus* (Ceres) 36, 443.
adnatat umbra fretis 36, 444.
adolere lucos flamma 10, 210.
adoleſcis in oſtro patrio 8, 125. adoleverat annis plenis virginitas 33, 130.
Adonidem reverſum 11, 16.
adoptat te patruus 29, 104. *adoptans* in nomen 28, 418.
adorea hæc veterum revocavit laurus 21, 184.
adores dominum 22, 72. adorat ſubmiſſus 7. 122.
adoret te Tibris 28, 425. adorant regis iter 44, 80. adorent annum 28, 656. adorabunt nomen 10, 278. adoratæ plebis 28, 616.
adſcribis juveni 22, 81. adſcribimus illum his lacrimis 36, 419. adſcribere caſum meritis 49, 81.
adſtitit fretis 21, 326.
adſtringit ſtiria ſetas 26, 327. vapores 49, 45. adſtringi latus 71, 5. adſtrictis aquis 34, 18.
adſis faveasque 35, 78. adeſt totus oculis 24, 5. aſſore bello norat 3, 321.
advexit Muſas 23, 19. advexiſſe prædam 36, 337.
advena Arctous 20, 158. Alpheus 35, 60. non novus 101, 6.
adventat Stilicho 28, 456.
adventus tuus 26, 447. ſacra 28, 125. adventum optat 1, 242. acerbum 20, 504. urbi largire 22, 388. petiere 24, 54. negatum flagitat 28, 333. dei 33, 9. adventu dignata 40, 29.
adverſa ſigna furori 3, 266. *Catonis* 8, 411. *fronde* 36, 393. adverſi Mauri 15, 380. in adverſis major micuit virtus 21, 286. adverſis ignibus 1, 24.
advertere oculos 1, 196.
advigilat vallo 20, 419. ſtupris 22, 140.
adulantes tituli 20, 79.
adulter obſcoenus 15, 166. corrupit uterum 17, 304.
adulteriis crevit 18, 100.
aduncis peltis 35, 62.
advolat nuntius urbem 1, 174. auras Veneris 7, 165. nuntius 20, 474. una Naiadum 28, 153.
advolvere carmen in unum 21, 11. advolvor genibus 36, 298.
adytis penetralibus 21, 60. *effunditur* Echo 28, 33. exſilit 33, 210.
Aeaciden Pyrrhum 26, 125.
Aeacus pater horret 5, 456.
ædes latas 3, 213. dilectas 17, 278. ſuas mirari 20, 340. vacuas 20, 512. amplas ſibi poſceret 28, 3. ſubnixas jugis 28, 49. effulgere matribus 28, 546. auguſta deæ 33, 290.
aedificat culmina 22, 188. aedificent *corpora* 17, 320.
Aegaeon cruentus 33, 46. Aegaeonis centumgemini 36, 345.
Aegaeus ridet 1, 190. non æquet 20, 333. *horruit* 37, 117. Aegæi timor 10, 162. Aegæo turbine 21, 287. ſtagnantior 47, 38. Aegaeos portus 20, 246. *Aegeas* hiemes 32, 12.
ægra ſpes 10, 14. ægro luxuriante 49, 100. ægris ſitientibus 27, 9. *animantibus* 44, 9.
ægida exaſperat ſignis 7, 193. fulvam pererrans 8, 164, percutit 20, 161. Palladis 24, 211. iratam ſentiet 36, 60. poſuiſſe cruentam 36, 336.
Aegyptius rex 20, 252. Aegyptia tibia 8, 575. rura 15, 61. ſomnia 18, 312.

Aegyptos ſine nube ferax 47, 5. ſecura poli *ibid.* Aegypti ſagacis ſigna 3, 148. Aegyptum irriget 26, 57. per Aegyptum clara urbs 44, 89.

Aelia proles 28, 420. *ſeries* 29, 56.

Aemilios inter 18, 439.

Aemonii 26,165. Aemonium Oeten 37, 66. Aemoniis ab oris 5, 278.

æmula pars 24, 36. naturæ manus 68, 14. aemule parentis 31, 47.

Aemus reſponſat 20, 16. remugit 20, 162. nil profuit 26, 177. Aemi ſcopulis nivalibus 3, 340. vertice 20, 106. valles 21, 131. in oris Threïciis 26, 574. Aemo in Getico 1, 120. nubifero 3,334. nivali 20, 565. nudato 34, 21. ſub Aemo 10, 309. ab Aemo ſe dividit Tigris 18, 196. Aemum ſummum radiis ſtringebat 5, 336. addite rupis Caucaſiis 8. 107. frondibus nudatum 26, 166.

Aeneas piavit 21, 98. Aeneam provexit in aſtra pater 50, 38.

ænea lux 7, 134. aëni Aſſyrii ſpumis 35, 96. *aënæ* ſegetis 17, 316. aënam effigiem 25, 7. aënis trabibus 33, 242.

Aeoliis cavernis 26, 224.

Aeolus ventis frena remittat 5, 23. fundit hiemes 7, 97. adverſus aënos objecit poſtes 33, 74. ſeſe probat 39, 35.

æquævus genitor 98, 4. æquæva cum majeſtate creatus 8, 122. polo urbs 26, 54. æquævi principis annis 28, 547. æquævum caput 1, 220. nemus 52, 16. æquævas viſere 20, 373.

æquale veris 26, 27.

æquat ſtellas 44, 11. æquent ingluviem 20, 334. *æquavit* valles ſtragibus 21, 132. æquavero jugis 1, 111. *æquare* ſupplicіis favorem 5, 422. non æquare fatetur 24, 361. æquantia ripas ſtagna 49, 51. æquatura fames 20, 378. *æquaris* fratri 8, 170. æquatur campo 15, 386.

æquor tectum 5, 12. *devotum* 10, 176. frugibus aptum 18, 355. tutius terris 19, 54. magnum panditur 21, 22. Siculum 4, 9. mobile 5, 39. claudunt 22, 211. armatum 26, 1. in medium dilapſus 37, 114. medium invidet 39, 55. defectum cultoribus referens 47, 37. exarmatum 85, 4. diſcit ſervare quietem *ib.* æquoris *rubri* receſſus 5, 243. unda 95, 14. in æquore quacunque it 36, 343. æquore tranquillo 1, 246. *multo* ſpatii 5, 172. ſubito 17, 330. levat ſolem 29, 51. montes interluit 33, 143. vetito 35, 189. *accenſo* 36, 446. ſummo Oceani 44, 1. æquora Cocytia 5, 472. *rubra* 7, 210. *praerupta* 15, 142. per immenſa 15, 500. hiberna 17, 197. trans alta 20, 509. floribus indueret 21, 86. trans diverſa 26, 108. utraque diſcriminat 28, 290. ſpumantia cedunt 29, 125. fumantia 33, 24. quidquid ſalis verrunt 35, 295. per longinqua 36, 363. proſperiora 40, 60. ligat margine 49, 44. trans æquora verte 29, 149.

æquoreus populator 5, 378. æquorei Jovis 17, 281. patrui 29, 124. proceres 36, 11. æquoreas alni habenas 8, 422.

æqui gloria 20, 204. æquum protulit 1, 237. ex æquo dividis 22, 53. æquior patribus 24, 45.

aër, *veſtis deorum* 1, 24.

aër terras ambitque vehitque 8, 289. jucundior 10, 238. inſcribitur 15, 478. peſtifer 15, 514. *princeps* rerum 17, 70. vernus 17, 197. jaculis obtexitur 21, 258. ſolito decentior 28, 537. noctem fœdavit imbri *ib.* præſudat ſolibus 33, 120. liquidus complectitur 35, 294. pugnæ ſpatium diſcriminat 37, 74. turbidus ſpargitur 49, 35.

æraria creſcunt 8, 499. cumulent 17, 231. *laſſant* expenſæ 22, 145. corruptura fidem 28, 606. undique conveniunt 29, 64.

æriſonas per urbes 26, 234.

ære vetuſto floreat 1, 18. attonito 50, 12. in ære colis os ſacrum 24, 11. latentes cornipedes 28, 569. æra fingunt lupam 1, 99. publica 17, 87. funeſta 18, 164. gemunt incudibus 20, 71. fluerent fornacibus 22, 177. columnis conſita 28, 48. *Cybeleia* 28, 260.

260. non ſonant 33, 209. veſtita cibis 46, 12.
æſculus frondens 14, 19.
æſtas induat te meſſibus 1, 274. vaga 20, 100. atrox 22, 461. temperiem cælo referret 26, 152. longinqua 44, 27. quod ex fluvio ſpoliaverit 47, 30.
æſtimat ſe poteſtas 28, 41.
æſtiva relinquunt 15, 475.
æſtivus candor 1, 219. *Nilus* 3, 185. Leo 3, 365. æſtivo pulvere 28, 215. ſopore 47, 41.
æſtuat lorica curſu 3, 353. in aurum 18, 191. curia 19, 58. Argæus 20, 115. furtim ſub pectore 26, 476. Nereus 28, 497. fervore 35, 137. ales 36, 141. vigor 44, 66. radiis potentibus axis 47, 35. ſanguine præceps 48, 46. æſtuantes Naides 11, 23.
æſtus dubius 3, 72. medios Libyæ 8, 27. incertos animi 8, 226. medios ſolis 15, 317. ſolabitur pluviis 17, 196. in arenoſos 21, 337. per ſteriles 24, 277. faſtidit amictum 31, 7. mortifer 36, 237. exuperat 36, 384. ob immenſos 101, 12. habet Cretam 101, 128. *æſtum* mentitur 22, 249. ſecutæ 29, 79. æſtu pleno Oceani 5, 114. rapido 8, 108. in medio 31, 47. nimio exuberet 33, 164. dubio 36, 322. rapido 49, 61. arcano 57, 7. æſtibus urit Sirius 29, 7.
ætas veſtit ridenti lanugine ora 1, 70. laſciva 1, 153. aurea 3, 51. ceſſit *animo* 7, 86. robuſtior 8, 371. gravibus latet ſub moribus 8, 517. incipiens 8, 627. utraque 10, 327. *una* interfuit 17, 59. protulit 17, 162. fecunda refloruit 17, 261. in gremio conſumta tuo 18, 66. quod perdidit 18, 97. miſta duplex 18, 469. diluet 18, 23. nubilis 21, 69. 29, 159. priſtina infloruit 24, 124. luxu mollior 26, 160. fraudata ſenſibus 26, 521. protinus adveniens 26, 642. matura 28, 557. conjungit 30, 5. pretioſior 35, 285. lubrica 36, 227. lubrica me duxerit 39, 6. tertia cernit ævum 52, 20. ætatis *pudor* 29, 200. ſpatium edax 59, 6. vices 98, 10.
æterno gramine 36, 231. æternam avem 44, 73. æternis aſtris 35, 299. æternas in moras 42, 6.
æther militat 7, 97. nullis præſentior affuit ominibus 8, 172. ſidera parturit 10, 275. mitior 15, 152. complectitur 24, 131. quid velit loqui 26, 230. ſollicitus cogitur in nubem 26, 379. ſuſceperit Jovem 27, 19. pruvidus 28, 352. incanduit 33, 250. nobis Phlegra infenſior 36, 201. pater adfuit 50, 35. in æthera protulit hoſtes 37, 5. *æthera* poſſidet 1, 83. rupit 3, 130. fatigat 3, 371. convertant 17, 105. *multum* innexuit limo 20, 493. conſcenderat 21, 141. denſum 28, 47. Auſonium 28, 273. deſeruit 33, 139. cum cerneret 68, 1. in æthere quacunque it 36, 443. ex æthere lapſa 1, 194. ab æthere cernit 28, 102. æthere vulſo 35, 228.
ætherium decus 7, 175. 28, 169. in axem 101, 60. *ætherii* parentis 5, 145. vigoris 22, 498. patris 22, 26. ætheriis terrena miſcens 8, 229. faſtis 22, 476. tropæis 36, 354. ætherias aves 101, 72. in auras 95, 18.
Aethiopem generum 15, 192. Aethiopum vaſta 8, 35. æſtus 17, 195. campi 18, 179. vapores 21, 180. vulnera 21, 351. armenta 24, 337. locus 31, 62. nigrantia regna 47, 16. campos 74, 1.
Aethon puer 31, 140.
Aethon auroræ nuncius 8, 561. ſagitta ocyor 33, 282.
æthra ab liquida 17, 116. æthram temperat 12, 7. *ad æthram* liquidam 15, 468.
Aetna projecta 7, 161. gravis domat 27, 18. ſe porrigit 33, 151. Giganteos nunquam tacitura triumphos *ib.* linquitur 33, 188. flebile gemuit mugitibus 35, 8. protulit Enceladum 36, 186. favillis nobis crevit 36, 399. ab prima 36, 438. mirata 50, 4.

Aetnæ notæ jugis 36, 330. Aetnam petens 26, 3. redundantem frenavit 50, 33.
Aetnæa cacumina 36, 334. Aetnæos apices 33, 158. Aetnæas in favillas 17, 72.
ævum exactum 1, 276. longum 3, 58. in *Latium* te confer 8, 400. ſecurius 15, 107. ſparſum maculis 20, 132. in omne futurum 28, 602. agas 30, 310. terit 44, 12. per nullum 101, 87. transegit 52, 1. in ævum procedat 17, 333. ævi defuncti 44, 40. redeuntis 95, 1. ignavi ſenium 36, 21. ambagibus 33, 61. Romani 26, 232. cani 24, 106. *ſedes* & arcana 22, 445. cum prima parte vireſceret 1, 63. futuri ardor præſcius, 3, 145. florem 5, 145. longi decus 7, 65. 15, 278. curſibus 8, 621. longi labor 18, 288. quanti canities 18, 476. continui 20, 59. gurges corruptior 22, 116. maturior 22, 348. immenſi 22, 426. ævo læto aderit 3, 372. mandaverit novum 17, 68. obſitus 18, 170. nimio 24, 306. ab tenero 26, 493. toto 28, 56. tenero 28, 424. primo 35, 51.
Afris domitis 15, 84. vicinior 15, 510.
affatur agmen 10, 189. affari licet 22, 163. palam populos 95, 6. affata quereſis gratis 22, 278.
affatus mihi nullos dirigis 41, 1. affatu fallere cuncta ſolebat 5, 367. maligno 36, 221.
affectant alii quicquid 10, 322.
affectu ſanguinis 69, 2.
affixæ truncis facies 36, 341.
affirmo prædam 36, 304.
affligit egeſtas 62, 94.
afflavit Romam meliore juventa 15, 208. *te* Gratia 29, 89. *afflatus* vicino ſole 15, 348. *afflata* ſidera 33, 1. nox rotis coruſcis 44, 6. afflatum nihil vivit 36, 240. afflatos igne tholos 49, 62.
affulget Apollinis arcus 24, 60.
Africa 1, 60. annexuit lauros 8, 25. contuſa genas 15, 136. nec te patiemur inultam 15, 205. famulabitur Romæ 15, 107. Mauri fuit munus 15, 283. tutior fratri redeat 15, 324. pallida 15, 374. acceſſerit 15, 453. Latio reddita 21, 19. bellum cinxerat armis 21, 275. calido rubicunda die 22, 257. donat ariſtas 22, 392. tremuit 24, 105. reddita bellis 28, 366.
Agamemnoniam claſſem 15, 484. Agamemnonios inter penates 3, 82.
Aganippe fluxit largior 17, 272. doctum fluens 39, 61.
Aganippea unda 29, 8.
Agave cantatur 20, 364.
ager fecundus 3, 190. diſcernetur nullo limite 3, 381. Theſſalus 5, 43. dives frugum 15, 509. omnis reſonabat 31, 25. florebit 33, 197. ſerenus albet rore 36, 233. omnis fluctuat 47, 40. agri ſqualent 18, 244. agros reddidit colonis 8, 57. flaventes 35, 121.
agger odoratus 44, 59. *aggere* conſpicuus princeps 15, 425. ab aggere proſpexit 1, 230. ab ambuſto 3, 120.
aggerat portenta monſtris 18, 237. *undas* cumulis 20, 439.
aggredior latebras monſtri 15, 362. aggrederis metuenda viris 9, 373. quem aggredior prius? 1, 29. aggredimur ſubitæ 36, 248.
agitabat Mavors Auſtrum 21, 270. agitabis equum 19, 56. agitare feras 37, 122. agitanda res tumultu 36. 7.
agmen aquarum, quid? 8, 481.
agmen rarum 26, 78. violenter adorti 26, 252. exſertum 28, 299. perrumperet 28, 460. in terrificum 37, 75. agminis natarum una 36, 58. agmine feſſo 28, 218. inferno 28, 323. caſto cinxerunt 35, 322. agmina armata clientum 5, 76. Eoa 5, 162. *flava* 8, 54. duris exerce ſtudiis 8, 320. *ſuſpenſa* 8, 545. *quanta* producant 17, 69. moveri iubet 20, 408. deleta 20, 464. nigra 21, 265. cæſa 26, 34. objecta Sicambris 26, 419. tota nutaſſent 26, 595. Thracia 28, 473. revoluta 28, 637. duxit 29, 194. fortia turbat 35, 143.

agna lupo latus praebuit 34, 26.
agnoſcisne tuos Penates? 28, 53. agnoſcit manus arcum 17, 188. *pagina* mores 17, 255. agnoſcat fratrem 15, 414. quid terra poteſt 37, 17. agnoſcite tandem 3, 59. agnovit triumphos novos 4, 11. patrui curam 29, 186. tumultus dubios 35, 154. agnoverit ſemet 8, 225. agnoſcere dubio viſu 36, 91.
agit ſpes anxia mentem 1, 66. lucos 24, 303. ductor turmas 44, 84. ardor lapides 48, 56. quid agam? 5, 14. 41, 7. brumam 74, 2. neu agas dubie ſuſpectus 8, 278. aevum 36, 311. *agat* me medius limes Olympi 15, 149. civem 22, 168. quid? 36, 294. agebat voti ignarus 29, 83. egi ſubjuga 22, 290. egit illum amor 3, 282. vias longas 8, 101. nimbos non Boreas, non Sol 8, 181. te (victoria) placidis moribus 24, 216. dies 28, 57. chelys fidibus Maurum 28, 123. *flamma* polum 33, 251. egerit me devius ardor 39, 8. egiſſe notos 3, 232. agentes praelia 1, 78. aguntur trans Phaſin 18, 245. *agi* promiſſa minasque, tempus 15, 427. acto largius ferro 26, 122. actum ſi quid flagrantius 36, 296. ver toties curſibus 44, 28. agendi belli 20, 325.
agreſtem dudum cogis 17, 174.
abenus, vid. *aënus*.
Ajax Eutropii 20, 386.
alae Armeniae 5, 108. comites 8, 544. Geticae 20, 176. ſudant 29, 62. ſolitae tranſcurrere nimbos 44, 39. vix ima tolluntur humo *ib.* alis aequalibus 16, 13. roſeis pavonum 18, 109. nigrantibus 18, 348. velorum ſciſſis 28, 138. rapidis ſublatae 36, 254. in coloratis 94, 1. alas veloces concutit 3, 122. Sarmaticas 7, 148. famulas 8, 558. explicat 10, 48. tenebris obſcurior 20, 231. crinibus rutilantes 21, 38. ſacras panderet 24, 204. nigrantes 26, 201. equitum 26, 474. extentas 28, 175. pandit 35, 97. fulminis pacificas 35, 229.
Alamania ſupplex 8, 449. tuis ſignis 21, 234.
Alamanorum ſpoliis 24, 17.
Alanus Maeotida bibens 3, 312. patiens ditionis 26, 581. Alani tranſiſtis 8, 487. ſtridor venientis 21, 109. calor 28, 224. Alanae gentis 26, 583. Alanis impacatis 5, 271.
Alaricus en! 28, 155. Alarici rabies 26, 431. Alaricum Peuce nutrierat 28, 105. Alarice, res tuas 26, 492. rumpe moras 26, 546. quis tibi dolor 26, 623. properas reverti 28, 181. te caperet 28, 223.
Alaſtor Ditis nota ſignatus 33, 284.
albet amnis 28, 519. ager rore 36, 233. albent oſſa 36, 342.
Albis ſerviet 10, 278. Albin liquere 8, 452. per medium 21, 226.
Alcides pulcer ſudore palaeſtrae 8, 533. ducit cohortem 15, 418. victor 29, 174. miſſus 34, 9. reddidit arces 39, 15. mihi carmen erit 101, 10. *Alciden* poſce palaeſtras 17, 287. duxerat fama 101, 134.
Alcinoo genitam 29, 142.
Alcmena, ne tibi faciant pavorem 101, 28. Alcmenae ovanti 8, 536. Alcmenam tendebat onus 101, 22.
Alcyoneus per ſtagna Tyrrhena cucurrit 36, 185.
alea non totis caſtris conſtitit 21, 365.
Alecto atrox 3, 26. 41. inviſa 33, 278.
ales non admittitur 10, 62. *littera* 15, 477. Libyae 20, 310. fama 22, 408. ignea 22, 420. victoria 28, 597. Cyllenius 33, 77. *longaeva* 35, 83. aeſtuat 36, 141. Titanius 44, 7. alite querula 14, 21. monſtrant ventura 22, 216. alituum ſuſpenſa cohors 44, 77. alitibus fecundis 7, 9.
Alexandro proſtratus Porus 21, 268.
alga in Ionia 7, 197. *in* rubra 48, 15. algae virides ridebunt 3, 387. *divitis* 8, 597. algam cautibus illidi 33, 255. algas alter-

nas 10, 157. per algas extenta jacet 46, 9.
alget Trionibus proxima 20, 238.
Aliacmona rapidum 26, 179.
alienenr ſenſus 22, 49.
alienus ignis 3, 9. aliena principibus 10, 262. *alieni* cæli 47, 14.
aligera e plebe 31, 139.
alimenta *dubitanda* 15, 103. natis paret 26, 329. vaporis 44, 16. aſpera fuſa per artus 48, 19.
alipedis terga 71, 2. alipedum jubas 22, 472.
ex alio ſe quisque facit 87, 6.
allatret Sirius 22, 466.
Allia renovet pugnas 15, 124.
allicitur faſtidire 22, 42.
alligat pectora merces 8, 502. Iſtrum glacie 20, 165. vox blanda carinas 36, 258.
allocutio Imperatorum pro tribunali 5, 382.
alloquio gravis 36, 287. alloquiis edomuit 21, 197. hærere 29, 139.
alloqueris alto faſtu 22, 159.
alludere umbras videt 5, 328. alludens genitor 28, 83.
Almone prælato 15, 119.
alnus aſſibilat alno 10, 68. alni plenæ 8, 625. arbiter 21, 286. alno plena 5, 503. alnum committere flatibus 32, 3. remigat 35, 178. *alnis* electriferis 12, 15.
quidquid alit tellus 35, 295. alebat bellum inſidiis 21, 276. aluit Bellona 26, 34. aluiſſe fluentis 1, 236. alitur rumor 3, 70. ali parvo 15, 105. alendis odiis 22, 16.
Alœus aſper genuit 26, 68.
Aloidæ pervenere 26, 74.
Alpes trepidas laxaverat 1, 74. anguſtant aditum 1, 105. edomitas 5, 1. transgreſſus erat 5, 125. bis rupimus 5, 389. invadi faciles 7, 89. hunc habent 8, 93. gelidas 8, 557. ſi pateant 8, 390. nubiferas 5, 442. 24, 307. clareſcunt 10, 185. tranſeat 18, 432. obſtant 22, 411. exegere ſupplicium 26. 194. poſt ruptas 26, 261. ignotas invaderet 26, 283. poſt apertas 26, 471. fregi 26, 532. per alias 26, 642. notas adſpicit. 28, 266. ruptas ſpirans 28, 442. quæ 39, 37. non irruat barbarus 77, 5. ad Alpes cucurrit 15, 376. Alpe ab rupta 15, 82. ab frondoſa 24, 285. Alpibus procedere 20, 505. recluſis 26, 198. ruptis 26, 547.
Alpheus rubuit 4, 9. *anguſtus* acervis Geticis 21, 186. advena 35, 61.
Alpheæ *Piſæ* 15, 483. Alpheas ripas 26, 575.
Alpinus apex 12, 9. Alpina nive 17, 307. glacies 35, 176. 58, 1. Alpino *vulnere* 21, 317. Alpinum pudorem 26, 563. Alpinæ nives 7, 99. rupis 24, 241. caſæ 26, 363. Alpinis jugis 8, 106. *odiis* 15, 295. Alpinos montes 8, 637. Alpinas pruinas bibunt 1, 255. rupes 5, 304.
altaria ſpirant fumo 44, 96.
alre levantibus intumuit rebus 1, 39.
alternant ſtudiis 22, 269. alternanres colorum vices 45, 13.
alterna morte 33, 58. alrernæ Tethyos 7, 58. aulæ 26, 567. alternam viram 44, 26. alternis jugulis luſit 3, 83. collis 35, 369. *frugibus* 52, 11. alternas aves 16, 16. ferit 36, 378.
altiſoni mariti 39, 27.
altus Jupiter 26, 100. *alta* cervix 3, 53. mens 29, 20. vis 46, 18. ad altum vectus 31, 83. in altum tolluntur 3, 22. maior intrat 49, 29. duxiſſe ratem 26, 8. vibratis clipeis 28, 627. fertur 33, 249. cernentes oculos 35, 114. altum latus 7, 102. patrem 22, 62. *ab alto* 20, 24. alto de ſemine fratres pubentes 1, 142. Ionio 47, 38. in alto condere virus 22, 34. altior omni plebe redibis 5, 333. ires equis 28, 369. cunctis matribus 33, 125. altius nihil complectitur æther 24, 131. altiſſime princeps 72, 11.
alumnæ lavanti 18, 106. ſidereæ 36, 178. alumnas Rhodani 51, 1.
alumnus *Oceani* miles 21, 159. alumno tanto 18, 385. ſordenti 26, 358. alumnum pium 44, 49. alumnis parvis 18, 127. roſeis 35, 48.

31, 48. alumnos proprios diſcernere neſcit 8, 211. horribiles Libyæ 24, 280.
alveus medius interfluit urbes 1, 227.
alvo ab cava fagi 35, 126. alvum quatiens 20, 389.
amaracus mollis 35, 129.
Amazon anus 18, 240. Amazonas ſævas 11, 32.
Amazonidum cohors 35, 63.
Amazonii Ponti 20, 264. *Amazonio* ritu 18, 499. Amazonios cinctus 34, 37.
ambages remotæ 1, 35. ambage tacita 26, 552. ambagibus longis 8, 227. certis ævi 33, 61. non ullis 36, 80.
ambigat poſt talia ſegnis 26, 549.
ambiguus vitæ 18, 52. ambigui mares 18, 462. *ambiguæ* matri 8, 210.
ambit Honos virtutem 17, 8. quodcunque dies 17, 57. *humeros* veſtibus 22, 365. non blandius vitulam parens 33, 127. globus auras 35, 299. cærulus color 44, 21. totum complexibus 48, 35. ambiat te uvis 1, 274. ambirent fulmina laurum 28, 355. ambitos a principe honores 3, 180.
ambitio naſci 3, 178. avaritiæ nutrix 22, 114. ambitione potitus 8, 46. mortis peti 29, 166.
ambitioſa colus 8, 594.
ambitus demens expellitur 7, 186. obruit artes 17, 164. noctis 18, 93. contingere dextram 20, 67. procul erret 28, 609. victus ratione ſalutis 29, 212. circuit 49, 50.
ambroſio ſinu 10, 110.
ambuſtus ager 3, 120. ambuſta favillis juga 26, 24.
amens terror 3, 256. ſucceſſibus 28, 441.
amentia quieſſet 15, 296. petulans 18, 237.
amentatus puer 17, 322.
amethyſtus ineſt 8, 587.
amica linquit domum 19, 24.
amicta illecebris 22, 136.
amicitiæ nexus 5, 321. amicitiam teſtor 42, 6. amicitiis receptis 17, 74. amicitias firmat 22, 38. manſuro adamante ligat *ib.*
amictus ſubſtringit 10, 284. cærulus 22, 249. glaucos 28, 167. purpureos 35, 17. conſcidit 36, 149. cognatus 83, 2. ſordidus 88, 1. amictum viridem 26, 168. faſtidit æſtus 31, 6. amictu præcipuo exornat 1, 192. teſtatur mentem 5, 81. Quirinali 8, 157. Auſonio 8, 566. claro 18, 307. Romuleo 20, 62. Grajo 20, 250. madido oneratus 26, 351. ferrugineo 35, 275. refugo 44, 6.
amica inſula 1, 189. amicam materiem 48, 42. amicis regibus 24, 185.
amicis caris ſpoliamur 39, 24. amicos vincit meritis 22, 45.
Ammon corniger 8, 143. Marmaricus 18, 180. *non* potuit Naſamona morari 21, 255.
amnis pius 1, 97. ebrius 1, 250. repetatus Achilli 5, 180. *rari* coloris 28, 517. Volcanius 33, 170. lætatur in antro 35, 70. declinat prodigus urnam *ib.* vagus edidit 36, 270. gelidus decidat 49, 73. accenſus fluit 49, 74. amnem per *totum* 8, 444. gentibus ſævum 22, 188. tranſeat 26, 428. in unum 47, 32. amne nunc ſecundo nunc redeunte 28, 497. ſubacto 29, 177. hiberno 35, 199. eliſo 49, 64. amnes accedere 3, 183. corruptos 3, 304. vagos *rapuiſſe* 5, 121. impulſos pluviis 10, 125. docti 17, 273. quatuor procedunt 20, 259. epoti arebant 21, 171. lugerent, 24, 24. ſervare fidem 26, 47. Grajos 25, 515. areſcere vidimus 26, 527. exhorruit 28, 146. in refluos 29, 80. mille 36, 16. amnibus fractis 101, 74.
amas mollis 101, 18. quicquid 18, 367. *ames* populum, 22, 392. amat arbor 10, 66. te ipſe metus noſter 10, 332. carmen 2 3, 6. quos ſervavit 28, 388. amavit propius quam ſi genuiſſet 29, 106. amabis, quem nunc horreſcis 31, 138. amare inopem 19, 44. timet mater 69, 2. amandi ignarus 10, 4. amans furto

furto gaudet 27, 7. amari non extorquebis 8, 282. ſe diffidit 22, 182.
amolitur onus 5, 455.
amomi mitis 10, 93.
